Sr. Hochwürden

Herrn Professor Dr. Hengstenberg

hochachtungsvoll

d. Verf.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DE NOVI TESTAMENTI VERSIONE SYRIACA ANTIQUA QUAM PESCHITHO VOCANT LIBRI QUATTUOR.

SCRIPSIT

IOANNES WICHELHAUS
THEOLOGIAE LICENTIATUS IN ACADEMIA HALENSI.

HALIS
TYPIS ET IMPENSIS ORPHANOTROPHEI
A. MDCCCL.

PRAEFATIO.

Versiones Bibliorum antiquas, ab omnibus interpretibus semper plurimi habitas, in quibus edendis et recensendis reges, civitates, viri docti certatim summam et operam posuerunt et laudem quaesiverunt, neque nostro tempore spernendas esse ei puto, qui ad Verbum Divinum recte intelligendum et explicandum via plana eaque firmiter munita ingredi velit. Quare aliquot abhinc annis edito libello de Ieremiae versione Graeca Alexandrina, ut primum otium nactus sum, curas meas in versionem alteram contuli, Syriacam et antiquissimam et nobilissimam, quam vulgo Peschitho vocant. Quemadmodum enim

Veteris Testamenti versio Alexandrina ad Novi Testamenti dictionem viam facillime aperit, ita Syriaca Novi Testamenti translatio ex idiomate Graeco in ipsum Orientalium coetum et sermonem reducere videtur. Atque primum quidem in mente erat, ad singulos N. T. libros annotationes scribere, quem ad finem quum quaedam de versionis origine et indole praemonenda meditarer, subito me in tam amplum vastumque quaestionis campum abreptum vidi, ut quae praefationis loco disputaturus eram, libelli mei ambitum paene excedere viderentur. Etenim post I. D. Michaelem neminem vidi de versione N. T. Simplici accuratius et plenius disseruisse; quae ex illo tempore et plurima et maxime memorabilia in rebus Syriacis observata et detecta sunt, in libris variis et vix multis cognitis latentia, manum exspectare videbantur, quae membra disiecta in unum corpus colligeret interque se colligaret; restant quoque obscura multa, dubia, haud pauca plane erronea et falsa; omnia fere hisce in rebus raro ad amussim inquisita et ut decet illustrata sunt; denique plurimi nostro tempore versionis illius praestantissimae, quae saeculis prioribus theologorum manibus terebatur, vix mentionem faciunt et quae de Syrorum ecclesia, libris, litterarum studiis I. S. Assemanus, vir eruditionis vere admirandae, in Bibliothecae Orientalis tomis quat-

tuor ex codicibus Mss. innumeris congessit, paene obsoleta et oblivioni tradita iacent. Quare quae de versionis Syriacae lingua, origine, historia, usu in virorum eruditissimorum libris repperi, ea examinavi, composui, atque cum iis, quae ipse inquirendo inveni, libris quattuor digessi. Qua in re si quid praetermisisse vel minus recte exposuisse aut etiam errasse videbor, meliora me edoceri facile patior; sunt enim quaestiones nimis multae et genere maxime diversae, adminicula autem et subsidia haud raro parva, manca, aliena, frustra quaesita; quare quae vel fugerunt me vel fefellerunt, ea a viris peritioribus emendari me ipsum maxime iuvabit. Quodsi usum huius versionis, quae lingua scripta est dialecto Christi et Apostolorum proxima, nostro tempori aliquo modo commendavero, operae non poenitebit.

Sub finem libri adieci tabulam regum Edessenorum chronologicam, quae ad Excursum libri II. respicit. Porro quum Syriae et Mesopotamiae tabulas, quas d'Anvillius et Reichardus ediderunt, in rebus multis errare et variare viderem, addidi tabulam geographicam Syriae (Syriae propriae, Mesopotamiae, Assyriae) secutus maxime eam, quae Ainsworthi libro praefixa est. (Travels in the Track of the ten thousend Greeks. Lond. M.DCCC.XLIV). Fuit ille expeditioni adiunctus, quam Britanni

ad Euphratis litora exploranda publico sumtu exornaverunt, cuius fructus simulatque omnes [1]) publici iuris facti erunt, geographia Mesopotamiae antiqua de integro efformanda erit.

In quaestionibus ethnographicis librum diebus his novissimis editum (Knobel, die Völkertafel der Genesis) in usum meum convertere non licuit. Quare rogo ut ille conferatur praecipue ad nomina קיר et גתר (pag. 152. 235.); quam sententiam de Assyriis et Chaldaeis eorumque lingua protuli, testimoniis et argumentis novis (p. 146. 159. sq.) comprobari video.

Scripsi Halis d. X. m. Aug. a. MDCCCL.

---

1) Prodierunt nuperrime volumina priora operis praestantissimi: Chesney, Lieut. Col., The Expedition for the Survey of the Rivers Euphrates and Tigris etc. London.

CONSPECTUS RERUM.

LIBER PRIMUS.

De lingua Aramaea eiusque dialectis.

LIBER SECUNDUS.

De Syrorum ecclesia et versionis Simplicis origine.

LIBER TERTIUS.

Versionis Syriacae Simplicis historia litteraria.

LIBER QUARTUS.

De versionis Simplicis indole, auctoritate et usu.

Liber primus.

De lingua Aramaea eiusque dialectis.

Cap. I.

De linguae Aramaeae patria et finibus antiquis.

Inter Semi filios Genes. X, 22 postremo loco legitur אֲרָם, de quo Iosephus scribit: Ἀραμαίους ἔσχεν, οὓς Ἕλληνες Σύρους προςαγορεύουσι. Occurrit quidem etiam alter ארם Gen. XXII, 22. filius Kemuel, quem Graecus et Vulgatus interpres πατέρα Σύρων habent [1]). Quamlibet autem facile nobis persuadeamus, duplici notione nomen ארם in usu fuisse, altera latiori, altera strictiori, tamen omnes huius nominis gentes recensentibus nobis ab Aramo Semi filio principium petendum est. Aramaeorum nomen non fuit Graecis prorsus ignotum. Homerus (Il. II, 783) et Hesiodus (Theog. v. 304) Ἀρίμους memorant [2]); Strabo au-

---

1) ארם a plerisque hodie nomen non gentis sed regionis habetur, terram superiorem significans oppositam terrae inferiori כנען. Sed historica documenta non esse postponenda censeo meris nostratium coniecturis. Neque vero ipsa locorum ratio coniecturae favet; nam in Palaestinam ascenderunt Israelitae ex Babylonia, in eandem ascendit Abraamus ex Aegypto. Mesopotamiam, Syriam Damascenam quis tandem loca superiora („Hochland") diceret? St. Morinus nomen interpretatur regionem sublimem, amoenam.

2) De Arimis res dubia est. Homerus: ἐν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφώεος ἔμμεναι εὐνάς. Cf. Her. 3, 5. ἀπὸ δὲ Σερβωνίδος λίμνης, ἐν τῇ δὴ λόγος τὸν Τυφῶ κεκρύφθαι. Constat crebris terrae motibus Syriam omni tempore concussam esse. Callisthenes autem Arima Cilicibus adscribit, et Typhoeum Cilicem faciunt Pindarus et Aeschylus. Cf. Forbiger, Alte Geogr. II, 641. Anm. Steph. Byz. s. v. Ἄριμα.

tem refert, *Ἀρίμους* intelligi a quibusdam Syros, quos suo tempore Aramaeos s. Aramos dicerent [1]). Idem alio loco scribit: *τοὺς γὰρ ὑφ' ἡμῶν Σύρους καλουμένους ὑπ' αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀρμενίους καὶ Ἀραμμαίους καλεῖσθαι.* Romanis vero quum vix auditum esset Aramaeorum nomen, Plinius cum Scythis eos confudit. Invaluit enim ubique in Occidente nomen Syriae et Syrorum, de cuius origine nil certius esse et exploratius opinor, quam quod Herodotus Assyrios a Graecis Syrios appellatos esse scribit [2]). Neque ipsi se Syri hodie Aramaeos vocare solent, quare idem illis evenisse videtur, quod recte de gentium nominibus statuunt Iacobus Grimmius aliique, non ab indigenis sed ab hostibus populisque affinibus dicta esse eorum plurima paulatimque in usum omnium deinceps prolata. Ita terra Israelis vulgo Palaestina dicitur, a Graecis olim sic nuncupata, qui Iudaeos cum Philistaeis confundebant, neque aliter qui se ipsos Israelitas et Iudaeos appellabant, ab exteris Hebraei dicti sunt hodieque dicuntur.

Pater autem Syrorum, Aram, primum habitasse videtur in regione קִיר, quam alii Cyro fluvio adiacentem, alii partem Mediae habent [3]). Legitur enim apud Amosum prophetam (c. IX, 7): nonne eduxi Israelem ex Aegypto et Aram e Kir? Eandem in terram Damasceni postea ab Assyriis in exsilium abducti sunt. Primum igitur terram Kir obsidentes, deinde alias regiones petiisse Aramaeos propheta innuit, neque a vero multum aberrare nobis videmur, si in Mesopotamia stabilem eos sedem collocasse statuamus. Est autem Mesopotamiae pars una culta, quae Armeniae montibus proiacet, felix satis ut Strabo scribit, pascuis et germinibus laeta; altera meridiem versus arida et sterilis. Utriusque regionis praeclaram descriptionem Xenophon praebet in libro primo Anabaseos, qui in tractu illo Mesopotamiae, per quem Cyrus Euphrate prope Thapsacum traiecto usque ad Araxem amnem iter fecerit, vicos complures fuisse narrat frumento vinoque refertissimos. Hanc regionem Xenophon Syriam

---

1) Cf. Bochart, Phaleg. ed. III. Lugd. B. p. 75.

2) Her. VII, 63. *οὗτοι δὲ ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων ἐκαλέοντο Σύριοι, ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν.* Cf. Winer R. W. s. v. Hoffmann Gr. Syr. Prolegg. pag. 2. et quae infra dicentur.

3) Cf. Gesen. in Ies. ad c. XXII, 6.

vocat; est ea ipsa, quae in Genesi פַּדַּן אֲרָם appellatur, שְׂדֵה אֲרָם apud Hoseam (c. XII, 13), a Curtio campi Mesopotamiae dicti (l. III, 2. §. 3). Praecipuas ibi Aramaeorum sedes et quasi cubilia quaerenda esse inde coniici potest, quod Laban eius regionis incola appellatur הארמי (Gen. XXV, 20; XXVIII, 5; XXXI, 20. 24) idque non propterea, quod gente Aramaeus fuerit, sed quia in terra Aramaea habitavit. Eadem de causa iubetur Israelita Deut. XXVI, 5 coram Deo confiteri, patrem suum fuisse אֲרַמִּי אֹבֵד et descendisse in Aegyptum; quocum convenit, quod Iosua Israelitas monet, patres ipsorum trans Euphratem serviisse olim idolis.

Ex Mesopotamia autem varias in terras filii Aram dispersi sunt; recensentur enim בני ארם Gen. X, 23 עוּץ וְחוּל וְגֶתֶר וָמַשׁ, ex quibus Uz a Iosepho pater eorum dicitur, qui Damascum et Trachonitidim incolant. Sane Damascena vallis (inter Libanum et Antilibanum) hodieque ab Arabibus el Gauta (الغوطة) dicitur, cuius rei testes laudat Bochartus; protenditur autem secundum geographum Arabem spatio duarum stationum in longitudinem et unius in latitudinem. De nomine חול alii aliter. Rosenmuellerus, Tuchius, alii monent, quod lacus Merom ab Arabibus el Hule [1]) dicatur; Krueckius [2]) autem Emesenos notat a Plinio (l. V, 19) Hylatas vocari. Minus etiam constat inter viros doctos de nominibus Gether et Masch s. Meschech. Iosephus nomine גתר Bactros intelligi putat; Krueckius Gindarenos confert eius regionis incolas, quae ex septentrionali parte urbis Aleppo sita est. Masch denique ad Masium montem referre solent, qui Mesopotamiam ab Armenia disiungit, cui adiacet urbs Syrorum celeberrima Nisibis; Iosephus autem *Μησαναίους* intelligit, sinus Persici accolas. Iam liquet, a filiis Aram gentem nullam originem ac nomen duxisse, quae maiorem famam et auctoritatem sibi vindicaverit. Id tantum ex eorum nominibus colligi potest, Aramaeorum partem Euphrate traiecto Coelesyriam cepisse, partem vero in Armeniam sive Adiabenen et provincias Tigritanas transmigrasse. Si vero Arami filii vix gentem suam pa-

---

1) بحرة الحولة cf. Schultens, index geogr. ad vitam Salad. s. v. Haula.

2) Erklaerung der Voelkertafeln im I. B. Mos. Bonn 1836.

trisque nomen magnopere promoverunt, gens altera eaque cognata sese quasi inseruisse videtur Aramaeorum stirpi ac terrae, ita ut in unum cum illis populum coaluerint. Iam monuimus, Labanem dictum esse Aramaeum, neque omnino dubitari potest, quin cognati et posteri eius cum Aramaeis sese confuderint. Quod probatur ex nominibus *filiorum Nachoris*, qui Gen. XXII, 21. 22 recensentur. Etenim quum Abraamus iter prosequeretur in terram usque Cananaeam, Nachoris familia medios inter Aramaeos propagata est. Nomina igitur filiis indita apud Aramaeos usitata; ipsi se Aramaeos dici passi sunt; atque Kemuel cognominatur pater Arami cuiusdam, qui huic nomini celebritatem aliquam parasse existimandus est. Porro inter filios Nachoris occurrit מַעֲכָה (v. 24), a quo regnum ארם מעכה nomen adeptum est. Sarug denique, ut alia quae minus certa sunt, omittam, urbi et regioni Mesopotamiae nomen dedit inter Syros celeberrimum. Omnino inter Aramum et Arpachsadem, a quo Nachor et Abramus oriundi erant, cognationis et vicinitatis arctissimum vinculum statuendum est. Quare Chaldaei quoque, sive ad Arpachsad sive ad Cesed [1]), filium Nachoris eorum originem referas, cum Aramaeis proxime coniungendi sunt [2]). Ita vero iam a principio factum est, ut Aramaeorum natio quum nimis mixta, longe lateque diffusa, variisque dispersa esset regionibus, nullo unitatis vinculo colligaretur neque coerceretur, quare etiamsi numero et terrarum, quas occupaverant, opportunitate satis valerent, nunquam tamen dominium in Asia exercuerunt.

Tempore Abrahae vix iam constitutae erant *Aramaeorum civitates*; Davidis autem aetate floruerunt haec tria regna:

---

1) In libro Iuchasin haec genealogia traditur: „Primus Elam, a quo descendit quae hodie vocatur Persis. Secundus Assur, a quo quae nunc vocatur Mozal. Tertius Arphaxad, a quo qui nunc Chaldaei vocantur. Quintus denique Aram, a quo Aramaei, qui Graece Syri vocantur. Unde Syriae nomen. Hi condiderunt Trachonitidem et Damascum habuerunt pro regni metropoli." Eusebius in Chronico Armen. p. 110. „Et ab Arpaxad Arpaxadaei, qui etiam Chaldaei vocabantur. Ab Aramo autem Aramaei, qui Syri quoque appellabantur."

2) Ur Casdim in Mesopotamia quaerendum esse, patet ex Act. VII, 2; neque displicet Bocharti sententia, natale solum Abrahae convenire cum eiusdem nominis loco quem Ammianus inter Nisibim et Tigrim amnem memorat. — Inter Armenios quoque nomen Aram multis viris commune fuit; cf. Tabulam principum ap. Mosen Chor.

1) אֲרַם דַּמֶּשֶׂק 2) אֲרַם צוֹבָה 3) אֲרַם נַהֲרַיִם. Constituunt autem ארם נהרים et ארם דמשק provincias Aramaeorum per omnes temporum vicissitudines celeberrimas, Mesopotamiam scilicet et Syriam Damascenam. Media inter utramque habenda est provincia צובה, cuius rex Hadad Eser Davidis tempore inter omnes Aramaeorum gentes principatum obtinuisse videtur. Ille erat, qui in auxilium vocabatur ab Ammonitis, cui succurrebat rex Damasci, cuius in ditionem redactus erat rex Hamathae, qui copias auxiliares etiam ex terra trans Euphratem sita in proelium adduxit. Tamen multum de situ Zobae disputatum est. Syri quidem constanti traditione Zobam urbem Nisibim reddunt, quae apud posteriores Syrorum scriptores ܨܘܒܐ scribitur [1]. Minime tamen id convenit cum V. T. locis, ex quibus ni fallor satis certo evincitur, cis Euphratem Zobam quaerendam esse. Etenim Mesopotamia et Zoba (Ps. LX) diserte distinguuntur neque diceretur Hadad Eser adduxisse ארם אשר מעבר נהר (II Sam. X, 16) nisi ipse cis Euphratem imperii sedem habuisset (cf. II Sam. VIII, 7). Audiamus igitur Bochartum in Saben urbem animum advertentem, a Ptolemaeo eam laudatam et in Arabiae Palmyrenae finibus sitam. Cui sententiae maxime favet Chronicorum locus (l. II. c. VIII, 3. 4), ubi connectuntur חמת צובה et תדמר in deserto. Accedunt nonnulla Aramaeorum regna minoris ambitus et auctoritatis, quorum principes Davidis et Salomonis aetate in Scripturis memorantur: מַעֲכָה (II Sam. X, 6) גְּשׁוּר (II Sam. III, 3; XIII, 37) בֵּית רְחוֹב (II Sam. X, 6) et חֲמָת, de quibus nostrum non est accuratius disserere. Tot vero constitutis Aramaeorum civitatibus et regnis, quae quum omnia sui iudicii essent, nonnunquam confoederata, alias tamen sibi invicem infesta erant, communi tantum Aramaeorum nomine insignita: fieri non potuit, quin vires omnium tanta diminutione et fere amputatione frangerentur. Ipsa tamen locorum conditio obstabat, quominus unius imperio singulae Aramaeorum gentes et urbes in unam rem-

---

1) Apud Christianos demum scriptores hoc nomen occurrit, quare maiorem huic traditioni auctoritatem ne tribuamus, quam Ephraemi aliorumque opinioni, qui Erech Edessam, Accad Nisibin etc. interpretantur. I. D. Michaelis Syrorum traditioni de urbe Zoba maxime patrocinatus est, nec tamen validis eam argumentis comprobans. Debilis omnino et manca κρίσις Michaelis.

publicam coaluerint; nam nimis distracta est illa terrarum plaga, interclusa et Euphrate et Antilibano et deserto. Ita vero factum est, ut facile ab Assyriis subiicerentur. Illi enim saec. IX et VIII totam fere Asiam devorarunt, ita ut ex illo tempore plurimis regnis sublatis populisque ex suis sedibus in remotas vasti imperii provincias deductis, Assyriorum nomen terram omnem obtexerit, quae ex Asiae interioris recessu ad mare usque mediterraneum late longeque protenditur. Aramaeorum ipsum nomen cessit Assyriis. Comprehendebantur enim terrae omnes Assyriorum imperio subditae nomine אַשּׁוּר, id quod ex locis S. S. facile cognoscitur. Cf. Ies. X, 9; XI, 11; XXXVII, 12; II Reg. XVII, 24 [1]). Obtinuit etiam posteriori tempore nomen Assyriae; Esr. VI, 22 Darius vocatur מֶלֶךְ אַשּׁוּר et Plinius (l. XIX, 19) Cyrum Assyriae regem dicit. Assyriorum autem nomen prorsus idem esse ac nomen Syrorum, ex innumeris exemplis probari potest, quare iam nullus dubito Herodoto fidem habere affirmanti, nomen Syrorum mutilatum esse ex Assyriis. Apud Aristotelem, ut pauca quaedam proferam, legitur *Μεσοποταμία τῆς Συρίας*; in Syria angues esse circa Euphratis ripas memorat Plinius, Ninus metropolis Syriae vocatur apud Strabonem [2]), ipsi Cappadoces Leucosyri appellantur ab antiquis [3]). Nullam fere huius rei dubitationem relinquunt Strabonis loci, qui l. II scribit: „Magna Media quondam imperavit toti Asiae, *καταλύσασα τὴν τῶν Σύρων ἀρχήν*“, et l. XVI.: „Qui porro de Syrorum imperio scribunt, quum dicunt Medos quidem a Persis, Syros vero a Medis eversos, non alios Syros intelligunt, *ἀλλὰ τοὺς ἐν Βαβυλῶνι καὶ Νίνῳ κατασκευασμένους τὸ βασίλειον.*“ Cui consentit Hieronymus, ad Es. XIX. sic scribens: „Quos veteres Assyrios, nunc nos vocamus Syrios, a parte totum appellantes [4])“. Plinius autem Syriae fines ita describit, l. V, 13: „Sy-

1) Cf. Tuchius de Nino urbe p. 14.

2) Iust. Hist. I, 2. Strabo l. XVI ab initio. Diod. Sic. II, 13; XIX, 23. Steph. Byz. *Σύροι, πολλῶν ὄνομα ἐθνῶν.*

3) Herod. I, 72; V, 49; VII, 72. Ctesias secundum Strabonem XVI, 2 scripsit *τὰ Ἀσσυριακά*, ubi in aliis codd. legitur *Συριακά*. In Ptolemaei tabula Chaldaei reges dicuntur Assyrii. Herodotus ubique Babylonios Assyriis adnumerat. Nebucadnezar Diod. I, 10 princeps Syrus dicitur.

4) Freinshemius in notis ad Iust. l. I c. 2 „Assyrios dixere Syros, decurtantes primam syllabam, ut ex Hispania fit Spania.“ Hupfeldus Grae-

ria quondam terrarum maxima et pluribus distincta nominibus. Namque Palaestina vocabatur, qua contingit Arabas et Iudaea et Coele; dein Phoenice et qua recedit intus Damascena, ac magis etiamnum meridiana Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphratem et Tigrim; quaque transit Taurum, Sophene, citra vero etiam Comagene, et ultra Armeniam Adiabene, Assyria ante dicta et ubi Ciliciam attingit Antiochia." — En plenum terrarum ambitum, quas imperium Assyriorum complexum est [1].

Citius igitur periit Aramaeorum nomen, ab Assyriis primum absumtum, quos deinceps secuti sunt Chaldaei, Graeci, Romani, Persae et Arabes, ita ut semper fere in peregrinorum obedientiam redacti fuerint populi illi, qui Euphratis ripis adiacent. Neque tamen non maximi momenti fuit Aramaeorum lingua, consuetudo et terra, etiamsi alienis gentibus servirent, ita ut ex victis paene victores evasisse videantur legesque et mores tradidisse iis, quorum ditione tenerentur. Idque locorum ipsa rerumque ratio effecit. Ut enim accuratius fines circumscribamus earum gentium, quae commune Aramaeorum nomen tulerunt, exordiendum est a Mesopotamia, quae affinitate gaudet Armeniae, Assyriae, Babyloniae. Cis Euphratem in deserto Aramaei mixti erant Arabibus, ita tamen, ut Aramaeorum lingua et mores praevalerent. Sed tenebant quoque Coelesyriam, Commagenem, Damascenam, omnem denique regionem, quae ab Euphrate ad Taurum, mare mediterraneum, Libanum, Palaestinam spectat. Nonne ad nostra usque tempora

---

cis nomen *'Ασσυρίους* auditum esse coniicit, quasi cum articulo *οἱ Σύριοι* dicerentur, ut Arabes Alexandrum Escandrum vocant. Fit saepenumero, ut in nominibus propriis syllaba prima abiiciatur, id quod maxime apud Germanos videre licet. Displicet aliorum sententia, qui nomen Syrorum a צֹר vel a שִׂרְיוֹן derivari volunt.

1) Latius igitur patuit Assyriorum et Syrorum nomen quam Aramaeorum. Sed aliam significationem nomen Syriae subiit, Seleucidarum regno constituto et quum postea Syria provincia Romana fieret. Seleucidarum imperium quo magis diminuebatur, eo propius ad eos fines recessit, qui olim Aramaeorum fuerant, ita ut quae terra tum Syria dicta est prorsus fere conveniret cum antiqua terra Aram. Iosephus Antiq. I, 6, 4. Syriae fines ita circumscribit, ut ipsas et fere solas gentes Aramaeas complectatur. Geographi posteriores Syriam vulgo cum terrarum tractum definiunt, qui inter mare mediterraneum et Euphratem a Tauro et Amano montibus ad Aegyptum usque et Arabiam desertam vergit. Cf. Winer, R. W. s. v. Reland, Palaestina pag. 46. Infra alia ad hanc rem pertinentia dicentur.

supersunt et partim florent antiquissimae Aramaeorum urbes, Hamath (Epiphania), Damascus, Palmyra, Edessa, Haran, Nisibis, quamvis innumeras pertulerint vastationes et expertae sint tot tantasque rerum vicissitudines, quas altera vix ulla terrarum plaga viderit? Etenim insita quaedam est huic regioni opportunitas et necessitas omnibus temporibus emicans iterum et refulgens. Scilicet locum medium tenebant Aramaei inter gentes litteris artibusque maxime excultas et illas, quae plane rudes et barbarae fuerint; attingentes enim Babylonios, Phoenices, Hebraeos, postea Graecos et Romanos, pertinebant usque ad Armenios, Persas, Arabes, alios Asiae interioris populos. Quare quas ab illis acceperant litteras, artes, mores, institutiones, tradiderunt gentibus vicinis et remotioribus, ita ut recte dixeris, Aramaeorum terram et linguam viam quasi et vehiculum fuisse, quo Asia minor et Asia interior, Aegyptus et Babylonia, Occidens denique et Oriens inter se mutuo commercio rerum suarum copiam permutaverint. Obsidebant enim Asiae aditum Aramaei Euphratisque transitus, quibus omnibus utendum est, qui cum ex Oriente in Occidentem tum ex Occidente in Orientem pergant. Aegyptiis, Graecis et Romanis advehebant Syri equos, merces, fructus et delicias Orientis, illorum iterum res bellicas non minus quam artes humanas et liberales ad Asiae extremas usque plagas propagaturi. Simul enim ea animi promtitudine erant Aramaei, ut quae facile ab aliis discentes suum in usum verterant, eadem protinus aliis traderent, etiam iis se insinuantes, a quibus maxumopere abhorrebant, discipuli omnium iidemque magistri. Sed et aliud quoddam non praetereundum est. Erat enim terrae magna pars foecunda, uberrima, plana, aquosa, referta oppidis et vicis; sed neque montes et deserta deerant, eorum recessus, quibus tempore iniquo ex urbibus fugiendum erat. Ita levitati Aramaeorum mixta fuit ea vitae severitas consuetudinisque constantia et aequalitas, quae montium et deserti incolis propria est, ita ut ubi perdita iam et exstincta videbatur Syrorum lingua et natio, ex solitudine et latibulo recreatis viribus denuo surrexerit.

Ut autem brevi quae modo diximus, consummemus, medii intercedentes Aramaei inter diversissimas gentes, mercatorum, interpretum, nuntiorum munus obibant inter Orientem et Occidentem; atque quod Phoenices via maris valebant, idem fere offi-

cium et privilegium Aramaeis obtigit media in terra, quae ex Asia in Europam et Africam traducit. Salomonis aetate id primum apparuit. Aramaeis enim a Davide subactis et Phoenicibus in foederis amicitiam receptis, omne terrarum commercium tunc temporis Salomonis imperio traditum et concessum erat, qui postquam Thapsacum, Palmyram aliasque stationes vel occupavit vel condidit, vias omnes obsedit, quibus obviam sibi venirent et conversarentur Orientis et Occidentis gentes et nationes. Quare non est, cur miremur, Aramaeae linguae usum olim latissimum fuisse, quum plurimarum gentium mutuo commercio serviret. Quippe cognata erat linguae Phoenicum, Hebraeorum, Arabum; eiusdem in Cilicia et Cappadocia vestigia multa scrutatus est Bochartus; porro Armeniae et Mesopotamiae incolas corpore et ore valde similes fuisse, testantur scriptores antiqui. Ita Aramaeorum lingua maxime apta [1]) videbatur, quae diversas circumquaque gentes uno quasi ore coniungeret; quod quomodo factum sit, iam accuratius nobis exponendum est.

Cap. II.

De linguae Aramaeae usu in imperio Assyriorum, Chaldaeorum, Persarum.

Quaenam lingua in Assyria proprie dicta fuerit vernacula, difficile est diiudicare. Primum tenendum est, Assyriam non mi-

---

1) Aramaeorum nomen plane non evanuit. Inter ipsos Syriae et Mesopotamiae incolas satis vulgare fuit. Iudaei τὰ ἔθνη, ut in N. T. uno verbo Ἕλληνες dicuntur, ita Chaldaice Aramaeos vocare solebant. Onkeloso Levit. 25, 47 Aramaeus est idololatra. Eodem modo „Aramaeus" passim occurrit in Talmude estque medius inter Iudaeum et Cuthaeum i. e. Samaritanum. In N. T. Syriaco τὰ ἔθνη et οἱ Ἕλληνες vulgo redduntur voce „Aramaeorum." Bartholomaeus a scriptoribus Syris dicitur Apostolus Aramaeorum. In epigraphe cod. Nitr. I. is, qui librum scripserat, Aramaeum se vocat. (Assemanus Adamaeum verterat). In epigraphe cod. Heracleensis legitur: liber Evangelistarum, qui versus est e lingua Graeca ܠܣܘܪܝܐ ubi adscriptum est: ארמיא. Naaman Syrus Luc. IV, 27 in Simplici Aramaeus dicitur. Aevo medio singula provincia vocabatur ܒܝܬ ܐܪܡܝܐ, inter Mosulam et Bagdadum media quam Assemanus Assyriam transferre solet. Cf. Michaelis Spicil. geogr. T. II p. 117 et in Lex. Syr. s. v.

nus atque Babyloniam in V. T. ubique distingui ab Aram. Quare neque Babylon neque urbs magna Ninus Aramaeae dicendae sunt. Erat quidem Assur eiusdem stirpis cuius Aramus, sed exierat Babylone, quum Niniven conderet. Locorum quoque ratio Assyriam, Graecis Ἀτουρίαν, posteris Adiabenem vocatam, a Mesopotamia disiungit. Eo ipso loco condita erat urbs Ninus, ubi ex Asianorum sententia Oriens ab Occidente dividitur [1]). Haud quidem immemor sum [2]), ab Amira, Assemano aliisque doctissimis viris Assyriam antiquitus Aramaeae linguae et terrae provinciam haberi; ipsa tamen antiquitatis vestigia et monumenta vix idem nobis persuadere videntur. In loco Iesaiae vexatissimo c. XXXVI, 12. hortantur principes Iudaeorum legatos Assyrios, ut ארמית cum ipsis colloquantur. Cui loco si vim intulisse iudicandi sunt ii, qui cum Simoni ארמית „Assyriace" vertant, erroris non minus arguendus est Haevernickius [3]), qui inde concludit, Aramaeam linguam Assyriis vernaculam fuisse. Nonne clamassent Iudaei, ut Assyriace legati orationem haberent, si Assyriorum propriam linguam dixissent? Quare rectius statuerunt Gesenius, Winerus, alii, Assyriorum linguam fuisse Medo-Persicae cognatam, Aramaeae autem linguae viguisse illo tempore usum tam divulgatum et communem, ut interpretis fere locum inter gentes alienas habuerit [4]). Fuerunt Nini plurimi mercatores, multum erat Assyriis commercium cum Mesopotamia et Phoenicibus, in magno diversarum gentium imperio omnino opus erat lingua quadam publica et communi, unde factum facile est, ut Assyriorum qui nobiles et eruditi haberentur non minus Aramaice loquerentur atque Iudaeorum principes hanc linguam intelligebant, quae tamen captum vulgi excederet. Assyriorum linguam Medo-Persicae similem fuisse, colligitur maxime ex nomi-

---

1) Assem. B. O. II. p. 248. 251.

2) Assemanus linguam Syriacam vocat in maximo olim Assyriorum et Chaldaeorum imperio florentem et ad summam amplitudinem et elegantiam perductam; incarnati postea Numinis et cum hominibus conversantis ore consecratum, Apostolis familiarem etc.

3) Einleit. I, 1. p. 96.

4) Mirum sane est, quod regio quaedam Assyriae proprie dictae apud Mosulam a Syris scriptoribus ܒܝܬ ܐܪܡܝܐ dicitur. Linguam Syriacam in Adiabene postea vulgarem fuisse, satis constat.

nibus propriis, quae Babyloniis affinia sunt, atque ex monumentis nostris demum temporibus detectis, quorum inscriptiones cuneatas ex dialecto Pehlevica successu laetissimo viri docti explicare coeperunt [1]). Est tamen res nondum satis enucleata neque absoluta. Linguam certe Aramaeam in emporio scholisque Assyriorum satis tritam et vulgarem fuisse, inde liquet, quod Aramaeas voces multas in dialectum Pehlevicam irrepsisse Bohlenius [2]) docuit: neque omittendum, quod lingua Syriaca posterioribus aevis in illa regione ubique viguit hodieque superstes est. Ex Iesaiae loco c. XXX, 19. nihil de Assyriorum lingua probari puto, quippe plane abhorruisset ab idiomate Hebraeo; quia meo quidem iudicio non de Assyriis loquitur propheta, sed de viris suae ipsius gentis scholasticis barbare nimis et abstruse loquentibus. Facilius ex Ies. XXVIII, 11; Deut. XXVIII, 49. quispiam concluderet, alienae et ignotae linguae eam gentem fuisse, in cuius potestatem Israelitae Dei numine traditi sunt; neque tamen in ipsam Aramaeam linguam hoc non quadraret Iudaeorum plebi ignotam, deinde in exercitu Assyriorum et Chaldaeorum proculdubio nationes congregatae erant ore et sermone prorsus ab Israelitis alienae et remotae [3]).

Quae vero omnino et in omnibus regula observanda est, ut ad cuiusvis rei origines regrediatur quaestio, ita de Assyriis vix certi quid statui potest nisi Babylonis simul ratio habeatur. Assur enim Babylone exiit; Babylone autem Nimrodus olim papam et dominum egerat, qui navibus appulerat Euphratis litora ex Aethiopia advena. Origines ergo Assyriae quaerendae sunt Babylone, Babylonis origines in Nubia et Ae-

1) Inscriptiones, quas ad hunc diem interpretati sunt, tempori Persarum assignantur. Sunt vero nuperrime aliae repertae et accuratissime Parisiis una cum figurarum tabulis transscriptae, quae linguis tribus textum eundem proponere videntur. Ad Chaldaeorum et Assyriorum tempora haec monumenta referuntur. Lassenius aliique putant, unum inscriptionum genus linguam Aramaeam proferre.

2) Cf. Symbolae ad interpret. Sacr. Cod. ex ling. Pers., ubi e glossario Pehlevico apud Anquetilium secundo permulta vocabula congessit Aramaeae originis. Simili modo Persarum lingua recentior multas Arabicas voces recepit.

3) Ieremias (c. V, 15) de Chaldaeorum exercitu idem annuntiat, quod Iesaias de Assyriis.

gypto latent. Id ipsum est, quod mirum in modum monumentis antiquis et traditione vetusta probatur. Sedem habebant quidem Assyriorum reges in urbe Nino, terrae adiacenti imperantes; exstruxerunt in angulo illo, qui Tigri et Sabato superiore continetur, arcem illam, cuius tumuli hodieque magnam in altitudinem ascendunt; sectabantur vero mores, instituta, linguam, religionem eam, quae ab antiquissimis inde temporibus Babylone exculta erant. Babylon commune Orientis fanum erat rerumque sacrarum metropolis, cuius splendorem maiestatemque tueri et augere ipsi Assyriorum reges officio habebant [1]). Quare Babylonem non inepte antiqui orbis Romam dixeris; colebantur enim ubique dii Babylonis, quae urbs sacra aestimabatur apud Assyrios primum, deinde Chaldaeos, etiam apud Persas quodammodo nec non Alexandrum Macedonem [2]). Neque aliter Iesaïas oraculo illo grandi et magnamino c. XIII. et XIV. Babylonem צְבִי מַמְלָכוֹת non eam urbem describit, quae divitiis et mercatura superbiat ut Tyrus, neque quae militia rebusque bellicis polleat, malleus populorum dictus ut Assur; sed describit eam tanquam metropolin cultus divini litterarumque sedem, astrologiae inventricem, coeli spectatricem, coelestium rerum doctrina gentes omnes seducentem, quae ut Lucifer in coelo, sic inter omnes populos gloria tam sapientiae quam sanctitatis splendeat. Id quod testantur etiam Graecorum Romanorumque scriptores, Babylone ab antiquissimis temporibus viguisse astrologiae litterarumque studia, eorumque sedem quasi catholicam per multa saecula fuisse. Astronomia miro modo Babylone exculta fuit: pondera, mensurae, nummi ibi inventa, si Boeckio et Idelero fidem habemus [3]); syste-

---

1) Ninus, Semiramis aliique Assyriorum reges Babylonem templis, aedificiis, muris ornasse et muniisse dicuntur. Est quidem difficile exponere, quae inter Babylonem et Ninum necessitas fuerit antiquissimis temporibus; id tamen certum mihi videtur, Ninum quidem sedem fuisse regum Assyriorum, qui per multa saecula Asiae imperium obtinebant, sed Babylonis quoque illos praecipuam curam gessisse tanquam augustissimae et vetustae rerum divinarum matris.

2) Alexandrum, Antigonum, Seleucum magni habuisse Chaldaeorum vaticinia, Diodorus Sic. refert II, 81; XIX, 85.

3) Samir rex Babylonius pondera et mensuras invenisse dicitur. Bar-Hebraei Chron. p. 10. Cf. Ersch u. Gruber Encycl. Art. Phoenizier. Boeckh, Metrolog. Untersuchungen p. 41 sq.

ma scribendi cuneatum, cum hieroglyphico ab initio coniunctum, Babylone primum adhibitum esse putatur; religio denique Syrorum et Phoenicum una cum philosophia quadam practica et monastica a sacerdotibus Babyloniis instituta et propagata est [1]). Erant enim religionis et litterarum studia certo et distincto pontificum ordini commissa, qui aeque ac pontifices Aegyptiorum divinarum omnium humanarumque rerum magistri proprio iure constituti, disciplina autem et classibus inter sese distributi et arcana traditione scientiam propagantes, totius Asiae doctores exstiterunt. Hic autem gravis et perdifficilis oritur quaestio, cuiusnam gentis et stirpis Babylonii eorumque pontifices primitus fuerint, undenam advecti, quae fuerit lingua ipsorum patria? Nimirum vocantur pontifices Babyloniorum a Graecis Romanisque scriptoribus *Χαλδαῖοι*, Chaldaei. Habes illud oraculum apud Iustinum in orat. paraenet. ad gentes: „Solis Chaldaeis sapientia cessit, Hebraei — ingenitum regem mente Deumque colunt.“ Testis primus et quasi choragus scriptorum Occidentalium [2]), qui uno ore Chaldaeorum sapientiam laudant, Herodotus est, qui l. I, 181 *ἱερέας* Babyloniorum *Χαλδαίους* appellari scribit, eo magis audiendus utpote qui ipse Babylone cum pontificibus illis versatus sit. Eos tradere narrat similia quaedam Aegyptiorum pontificibus, quod accuratius exponit Diodorus, qui Chaldaeos vetustissimos Babylonis incolas facit. Callisthenes philosophus, Alexandri M. comes, reperisse se scribit Babylone Chaldaeorum observationes astrologicas ad tempora usque Alexandri *χιλίων ἐτῶν καὶ ἐννεακοσίων τριῶν*. (Simplicius de coelo l. II). Sed id ipsum, Chaldaeos Babyloniae primaevos incolas fuisse, a plerisque in dubium vocatur, quare etsi Babylonicae astrologicae scholae antiquitatem concedant, Chaldaeorum tamen nomen novum habent et recens ortum. Quippe insinuavit se fere omnibus antiquitatis indagatoribus illa opinio, quam primus ni fallor Perizonius protulit [3]), Chaldaeos esse gentem illam Arme-

---

1) Chaldaei *περὶ τὰ θεῖα φιλοσοφήσαντες* oraculorum Beli et religionis interpretes. Cf. Arrian. VII, 16. Stanleius Phil. Orient. l. I.

2) Cf. Winer R. W. s. v., qui Strabonem, Diodor. Siculum, Ciceronem, Ammianum, Clementem Alex. aliosque laudat.

3) Origg. Babylon. Addenda pag. 366. Perizonius ipse secutus est aliquo modo Kimchium.

niae et Assyriae vicinam [1]), a Xenophonte laudatam, quorum coloniam Assyrii demum in Babyloniam abduxerint, bellicosissimae huic et fortissimae genti id maxime imponentes, ut campos Babylonios adversus Arabum turmas semper inquietas et bellum cuique inferentes defenderent; hac ex gente postea natos esse volunt reges Chaldaeos, qui Assyriis ipsis imperium Orientis eripuerunt. Sed quomodo nomen Chaldaeorum ad pontifices transierit quaeris [2])? Nonnulli quidem (ex. c. Heerenius) pontifices nomen gentis victoris accepisse statuunt, alii ut Winerus Chaldaeos unam pontificum classem constituisse, alii denique ut Gesenius Chaldaeos pontifices nil commune habere dicunt cum Chaldaea gente. Quibus omnibus haec quaestio non solvitur. Omnino autem ab Assyriis Carduchiorum montium rudes ferosque incolas in Babyloniam abductos esse, nihil nisi coniectura est, Iesaiae loco vix satis probata. Chaldaeorum nomen latius patere puto. Chaldaei non solum obviam veniunt in Armeniae et Assyriae montibus [3]), ut de illis taceam, qui Ponto et Cappadociae affines erant, sed in Mesopotamia quoque, Arabia et Babylonia. Herodotus, Assyrios a Graecis Syros appellari memorans, addit: „Τουτέων δὲ μεταξὺ Χαλδαῖοι." Ur Casdim in Mesopotamia quaerendum. Inter filios Nachoris כשר recensetur, cuius posteros in Mesopotamia aut Arabia sedes quaesivisse verisimile est. Haran autem, urbs Nachoris, astrorum observatione et veneratione ab antiquissimis temporibus celeberrima fuit. Alia iterum gens Chaldaeorum Iob. I, 17 citatur, intra Arabiae fines ut videtur obsidens, barbara, bellica, fera. Perinde statuendum mihi videtur, non ab Assyriis demum Chaldaeos in Babyloniam deductos esse, sed antiquitus sedes ibi habuisse neque eos rudes et barbaros fuisse omnes, sed partem artibus litterisque deditam. Quae enim terra a Babylone dicta est Babylonia, proprie Chaldaea apud omnes scriptores appellatur. Babylon Chaldaicarum gentium caput dicitur a Plinio [4]) et secundum Ptolemaeum

1) Cf. Gesenius ad Ies. 23, 15. Rosenmueller Alterth. I, 2. p. 36 sq.

2) Dubia movet Ideler, Handb. d. Chronol. I, p. 200.

3) Cf. de nomine „Χαλδαῖοι, Χάλυβες" etc. Strabo l. XII. p. 825. 66. Cellarius, Geogr. ant. tom. II. p. 212—14. Moses Choren. p. 87.

4) Plin. VI, 30. 31. „Laeva fluminis (Pasitigridis) Chaldaei obtinent, dextra Nomades Scenitae." Idem c. 32. „Nomadas infestatoresque Chaldaeorum Scenitae claudunt." Cf. Winerum R. W, s. v.

Χαλδαία παράκειται τῇ ἐρήμῳ Ἀραβίᾳ. Neque Babylone solum scholas instituerant Chaldaei; Plinius enim scribit [1]): „Sunt etiamnum in Mesopotamia oppida: Hipparenum, Chaldaeorum doctrina clarum. Orcheni quoque, tertia Chaldaeorum doctrina in eodem situ ad meridiem versi.“ Atque Babylonios indigenas non esse a Chaldaeis distinguendos, apparet quoque ex Ezechielis loco c. XXIII, 15 בני בבל כשדים מולדתם. Etenim כשדים hoc loco non gentem significat, sed terram [2]): filii Babelis, quorum patria est Chaldaea. Quare haec iam rerum ratio probabilis mihi videtur. Babylonem venerant antiquitus coloni ex Aethiopia, qui Chamitarum litteras attulerunt. Babylon facta est ut imperii, sic doctrinae et idololatriae sedes. Mox tamen imperio ad Assyrios et Ninum urbem delato, campos Babylonios Chaldaei occupaverunt et eorum pars excolere coepit una cum Babyloniis astrologiae litterarumque studia, ex quo tempore inter pontifices classis nova instituta est, quae Chaldaeorum erat. Pontifices maximi simul regiam quandam dignitatem affectarunt [3]). Sed quum ab Arabibus semper infestaretur et turbaretur urbis securitas, Assyrii terram Chaldaeam quasi iterum condiderunt, colonias eo transducentes, exercitum et procuratorem eam in provinciam ablegantes, urbem ipsam templis ornantes et firmantes moeniis. Atque id ipsum loco Iesaiae vexatissimo (c. XXIII, 13) [4]) innui puto. Propheta proponit ארץ כשדים i. e. Chaldaeam terram, vulgo Babyloniam dictam. A Chaldaeis haec regio occupata erat, sed nulla vigebat inter populos auctoritate et potestate; nam Chaldaeorum alii quidem artibus et religioni dediti erant, alii vitam vagam degebant et instabilem. Non erat regimen illis, nullus principatus; Arabes diu Babylone dominati erant [5]). Tum Assyrii Chaldaeam

---

1) Cf. Strabo l. XVI. „Constituta est habitatio peculiaris in Babylonia τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, plurimum astronomiam tractantibus, qui Chaldaei appellantur. Est et Chaldaeorum natio et Babyloniae regio ab iis habitata.“ Cic. de Div. I, 1.

2) Chaldaei versu antecedenti scribuntur כשדיים et vers. seq. legitur כשדימה. Cf. Ezech. VI, 24. Ierem. LI, 24. יושבי כשדים.

3) Cf. Diodorus l. II, 24 de Belesi, qui τῶν ἱερέων ἐπισημότατος fuerit.

4) Cf. Perizonius origg. Babyl. l. IV. Vitringa ad Ies. XIII, 19 et XXIII, 13.

5) Babylon teste Beroso per longum tempus Arabum regibus obtemperabat.

provinciam fecerunt, res publicas ordinarunt, Arabes expulerunt, Chaldaeos vero vagos aliasque gentes per Mesopotamiam dispersas, deserticolas et scenitas [1]) congregaverunt iisque regem praefecerunt [2]). Iesaiae tempore id factum esse videtur; aera Nabonassaris tum exordium cepit. Atque subito reflorescere coepit antiqua Babylon; confluxerunt divitiae, palatia et templa ad Euphratis litora aedificata sunt, divinarum rerum famae addita est rerum humanarum copia et bellica virtus. Hierarchica tamen dignitas adhuc apparet in rege Merodach Baladan, qui ad Hiskiam legatos misit et ipsius Nebucadnezaris tempore magis et pontificibus regni administratio commissa erat [3]).

Iam quae fuerit Chaldaeorum lingua, quaerendum est. In libro Danielis cap. I., ubi pontificum classes recensentur, Chaldaei postremo loco positi sunt [4]). Sed qui unam dumtaxat classem constituebant, posteriori demum tempore acciti, ii re vera inter omnes primum locum obtinuisse videntur. Iuvenes quattuor Iudaeorum, qui et nobilissimi et ingenio maxime promti videbantur, magistro traditi sunt, ut discerent סֵפֶר וּלְשׁוֹן כַּשְׂדִּים (Dan. II, 2). Chaldaei autem regem alloquuntur (v. 4) אֲרָמִית [5]). Nonne sequitur, ut Chaldaeorum lingua fuerit Aramaea, qua rex quoque in edictis utitur? Id sane certissimum est, viguisse Babylone linguam Aramaeam in usu vulgari. Ieremias Iudaeis Babylonem abductis Aramaice scribit (c. X, 12); Iudaei in exsilio linguae Aramaicae assuefacti sunt; Xenophon (Cyrop. VII, 5. 31)

1) לְצִיִּים alii aliter explicarunt. Perizonius, navibus, ut sit navale s. emporium. Equidem non verterim: adversus deserticolas, sed pro deserticolis, quod nomen non quadrat in Carduchios.

2) Huc facit Dicaearchi testimonium apud Stephanum Byz. s v. Chaldaeorum „quartum decimum a Nino regem, nomine, ut fertur, Chaldaeum Babylonem celeberrimam urbem aedificasse, *ἅπαντας εἰς ταὐτὸ συναγαγόντα τοὺς καλουμένους Χαλδαίους.*“

3) Nebucadnezar, patris morte renunciata, Babylonem regressus, invenit omnia bene administrata *ὑπὸ Χαλδαίων*. Ios. Ant. X, 11 ex Beroso. Scaliger intelligit sapientes et pontifices Babyloniae.

4) Chaldaei etiam posteriori tempore sapientes et doctores ethnici dicebantur. Gabriel, episcopus Hormuzi (c. a. 540) scripsit librum adversus ܟܠܕ̈ܝܐ. Simili modo הַכְּנַעֲנִי Cananaeus est, deinde mercator.

5) Hieronymus ad l. „Quae sequuntur Hebraicis quidem litteris sed lingua scribuntur Chaldaica, quam vocat hic Syriacam.“

31) dicit *Συριστὶ ἐπισταμένους* eos, qui linguam calleant incolarum Babylonis; *συριστί* autem LXX interpretes pro ארמית scripserunt[1]).

Haec igitur summa est eorum, quae invenimus. Babylon antiquitus litterarum sedes artiumque liberalium metropolis fuit in Oriente. Babylone id genus scribendi, quod cuneatum dicunt, inventum est; inde ad Assyrios, postea ad Chaldaeos et Persas pervenit. Videtur autem haec scriptura, ut Aegyptiorum hieroglyphica, a solis pontificibus virisque litteratis adhibita fuisse maxime in monumentis, aedibus publicis et templis, ita ut etiam posteriori tempore eodem modo et eundem ad finem hac scriptura uterentur, postquam usu communi aliud iam litterarum genus excultum est. Idem enim apud Aegyptios observare licet. Sacra igitur habebatur haec inscriptionum forma, usui regio tantum et publico destinata. Una cum hac scriptura vigebat lingua quoque sacra et antiqua, ad quam nomina propria apud Assyrios, Chaldaeos et partim Persas referenda sunt, cum Deorum nominibus plerumque composita[2]). Ita se propagavit antiqua Babyloniorum et scriptura et lingua per multa saecula in Asiae gentibus regiis. At vero in vita communi fere ubique lingua Aramaea valere coepit, primum in Assyriorum imperio, deinde in regno Chaldaeorum. Antiqua urbium nomina vix possunt ex lingua Aramaea explicari; quae post Assyrios rerum in Asia potitos conditae sunt urbes in Mesopotamia, Aramaeae originis sunt. Quod apud Ezechielem legitur nomen urbis כנה, a Targumista redditur נציבין. Assyria postea Adiabene dicta est a flumine Zabo, apud Ammianum (l. XXIII.) Diaba i. e. דיבא (lupus, *λύκος*). Arbela Bocharto est ערבלא populorum colluvies, ut Chald. Cant. I, 9. habet ערבלאין [illegible] cribrum frumentarium[3]); Gaugamela גבי־גמלא (sic distinctis vocibus in Plinii M. S.

---

1) Varia erant Babylone pontificum et fatidicorum genera. Qui primo loco leguntur חרטמים similes fuisse videntur Aegyptiorum sacerdotibus, qui et ipsi חרטמים dicuntur Gen. XXXIX. Varias augurum classes et vaticinandi artes Nebucadnezar consulit Ezech. XXI. Ubi etiam תרפים memorantur, quod antiquitus erat deorum genus apud Aramaeos.

2) Multa quidem nomina propria linguam Aramaeam redolere videntur. Cf. Haevernick. Einl. I. p. 97. 100 sq. Lorsbachius, Bohlenius aliique e lingua Persica nomina haud pauca explicare studuerunt.

3) Facilius Arbelam referas ad nomen Arbeli Assyriis usitatissimum.

optimae notae legitur) tributa cameli (testatur enim Plutarchus priscorum regum aliquem, qui hostes effugerit camelo dromade vectus, illam ibi collocasse, certis vicis et vectigalibus in eius curam attributis). Num ipsis olim Assyriis vernacula fuerit lingua Aramaca, in dubiis relinquam; sed in Assyriorum imperio, ergo in terra universa, quae ex illo tempore Assyria s. Syria dicta est, magis magisque illam omnium usui se commendasse, certissimum videtur. Gentes enim variae et disiectae facile eam receperunt, quae iam Asiae fere communis videbatur. Accedebat, quod Aramaei Damasceni aliique deportati sunt in Assyriae s. Mediae regiones nec non a Salmanassare Israelitae, qui linguam Aramaeam cognatam mox adoptarunt. Simul qui Babylone confluxerant negotiatores et quas in Chaldaeam abduxerant bellicas gentes Assyrii, iis quoque Aramaea lingua aptissima videbatur, qua omnes uterentur et cui cetera et inter se diversa sermonis idiomata cederent [1]. Denique si statuere possimus, Chaldaeis propriam fuisse linguam Aramaeam, quae ab ipsis Chaldaeae nomen traxit, quis miretur, cum Chaldaeis linguam quoque Chaldaeorum Babylone superiorem evasisse [2]. Urbe Nino expugnata et imperio ad Chaldaeos delato, etiam magis Aramaea lingua in tota fere Asia usu probata est. Quae terra antea dicebatur Assyria, nunc dicta est Chaldaea [3] et lingua Aramaea, Chaldaeis usitata, coepta est eorum nomine appellari. Sed ad alios iterum reges et imperatores summa rerum pervenit;

Ninus fuisse fertur filius Arbeli. Est et deastri nomen apud Babylonios et Phoenices. Etiam in Peraea oppidum occurrit Arbela. Cf. Cellar. ed. 2. II p. 656. Cf. Hos. X, 14. Winero (R. W. s. v.) Arbela est: urbs Beli.

1) Babylone variae gentes ac nationes confluxerunt. cf. Euseb. Chron. Armen. p. 20. *ἐν δὲ τῇ Βαβυλῶνι πολὺ πλῆθος ἀνθρώπων γενέσθαι ἀλλοεθνῶν κατοικησάντων τὴν Χαλδαίαν.* Chaldaei autem ubique inter primos incolas laudantur. Cf. Aeschyl. Pers. 51. *Βαβυλὼν . . πάμμικτον ὄχλον . . πέμπει.*

2) Est verisimile, Babylone varias linguas in usu fuisse et fortasse variae classes virorum litteratorum varias linguas exercebant. Id sane mirum est, inter quattuor illa nomina Danieli et sociis indita unum (Abednego) esse Chaldaeum. Inter Hamanis filios nomen Dalphon Chaldaeum videtur. Veri simile est, Chaldaeos eos ipsos fuisse inter pontifices, qui Aramaice loquebantur, quare et illi regem, Chaldaeum genere, alloquuntur.

3) Ezech. I, 3; XI, 24. In Ezechiele Aramaismi plurimi.

populi ac linguae commiscebantur et quo plures in unius ditionem redacti sunt, eo magis opus erat lingua, qua ad interpretandum omnes uterentur. Ea de causa Persarum quoque reges in Babylonia, Mesopotamia et si quid cum Syris, Phoenicibus, Graecis communicandum erat, lingua utebantur Aramaea, quae quum primum in regno Assyrio adhibita fuerit, ab Occidentalibus vulgo Assyriaca sive Syriaca dicebatur, a Iudaeis vero Chaldaea, quoniam sub Chaldaeorum imperio eam receperunt.

Ut autem lingua Aramaea vulgo dicebatur a Graecis Assyriaca s. Syriaca, eodem modo litterae, quibus in scribendo utebantur Aramaei, Ἀσσύρια γράμματα vocantur. Sic enim appellatur ab antiquis ea litterarum forma, quae Phoenicum, Assyriorum, Chaldaeorum communis erat. Hanc formam intelligit Plinius (l. VII, 56.) quum scribat: „Litteras semper arbitror Assyrias fuisse, sed alii apud Aegyptios alii apud Syros repertas volunt.“ Sed apud Semitas alphabetum illud primum in usu fuisse, certissimum est atque veri simillimum mihi videtur, Babylone, unde regulae vitae normaeque doctrinae in totum orbem exierunt, excultas esse eas litterarum formas, quas ut primum in imperio Assyriorum plurimis populis innotuerunt, Assyrias Graeci vocare solebant [1]). Recte itaque Diodorus Sic. (V, 74.) Syros invenisse litteras dicit, a quibus acceptas Phoenices tradiderint Graecis. Esse autem Ἀσσύρια γράμματα revera Aramaeum scribendi genus, probatur loco Esrae IV, 7. 17, ubi traditur, epistolam regi Persarum missam, et scriptam fuisse ארמית et translatam ארמית. Nam litterarum usus latius patebat quam linguae. In vasto Persarum regno, cuius nuntii epistolas omnes in terras ferebant, cuius singulae satrapae nummos excudendos curarunt nomine suo et imagine, γράμματα a Chaldaeis et Assyriis recepta ubique adhibebantur. Herodotus Darium narrat in columnis ad Bosporum positis conscripsisse populos, quos secum duxerit, Graecis et Assyriis litteris. (IV, 87.) Apud Thucydidem (IV, 50.) legitur, Athenienses legisse epistolam Artaxerxis ad Lacedaemonios missam, μεταγραψαμένους ἐκ τῶν Ἀσσυρίων γραμμά-

---

1) Ad Aramaeam gentem litterarum inventionem referunt Boeckhius, Moversius, alii. Apud Semitas aeternum fuisse puto litterarum usum; Semitarum alphabetum nil commune habet cum Aegyptiorum scriptura hieroglyphica.

των [1]). Assyrium autem nomen complectebatur apud Graecos populos omnes imperii Assyriorum [2]), ut patet ex locis plurimis, quos inter alios Relandus vir inprimis doctus diligentia qua solet collegit (Palaest. p. 1012.). Ipse Cadmus dicitur Assyrius et Phoenices Assyrii, Assyrius Libanon, atque res plurimae, quae Tyriae habentur, alio loco Assyriae vocantur. Neque aliter antiquum scripturae genus Arabes Suri, Aethiopes Surianum vocant teste Adlero et de Sacio [3]). Quam usitata fuerint *γράμματα Ἀσσύρια* [4]) tempore regni Persici, inde quoque coniicitur, quod Eumenes, quum Persepoli esset, epistolam tanquam ab Oronte Armeniae procuratore scriptam inter milites circumferendam curavit, quae litteris Syriacis exarata erat (Diodor. XIX, 23.) [5]).

---

1) Cf. Kreuser, Vorfr. neb. Hom. I, 39 sq. Loci Ctesiae, Diodori, Xenophontis ab eodem citati p. 61. 259.

2) Iustinus I, 2.: „Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere.“ Secundum Eusebium Assyrii regnarunt 1240. s. 1300. annos.

3) Cf. Hoffmann, Gram. Proleg. p. 61. Nonne terminatio litterarum Graecarum alpha, beta etc. Aramaeam originem prodit? Certe apud Phoenices status emphaticus minus vulgaris est.

4) Quae a Graecis dicuntur litterae Assyriae, eas origine non esse Assyrias, ex loco Alexandri Polyhist. liquet, quem legere licet ap. Eusebium Chron. Armen. p. 43, ubi haec de Sanheribo narrantur. „Quum fama accepisset, Graecos in Ciliciam pervenisse, ad eos contendit, partaque victoria imaginem suam eo in loco erectam reliquit Chaldaicisque litteris fortitudinem ac virtutem suam ad futuri temporis memoriam incidi iussit. Idem Tarsum Ciliciae urbem condidit ad Babylonis similitudinem.“ Proculdubio Chaldaicae litterae sunt, quae vulgo Assyriacae dicuntur. *Χαλδαϊστί* saepius eodem sensu legitur quo ארמית. Eusebius ipse inter Hebraeos et Chaldaeos arctissimum cognationis vinculum fuisse statuit; Chaldaea inquit (pag. 47.) ab initio erat natio Hebraica. Idem alio loco „Abramus primum inter Chaldaeos vixit.“

5) De antiquo Assyriorum imperio quaestio est difficillima. Ninus ab Eusebio coaevus habetur Abraami. Desiit Assyriorum regnum a Medis et Babyloniis eversum, in Sardanapalo. Ex illo tempore Chaldaei, Medi, Lydi vires sumsisse videntur. Novum Assyriorum regnum, quod deinde sub Phulo, Tiglath-Pilesaro, Salmanassare etc. floruit, distinguendum est ab illo antiquo. Phul in Eusebii Chron. p. 4. Chaldaeus dicitur. Aliter autem Herodotus, qui Asiae imperium apud Assyrios fuisse scribit per quingentos et viginti annos; ab iis primos Medos defecisse sub rege Deioce. In universum hac de re fide dignus videtur Herodotus.

Ita porro factum est, ut Iudaei in exsilio Babylonico, lingua Chaldaea recepta, etiam litteras Assyrias sibi vindicarent. Babylone enim quum sedulo plurimumque litterae exercerentur, genus illud litterarum magis magisque efformatum est, quod cursivum vocant. Quare Iudaei quoque illam formam, quae ubique in regno Chaldaeorum valeret et facilitate commendaretur, sine dubitatione assumserunt, quum Samaritani formam antiquam servare pro officio haberent. Esra enim eiusque socii non tam pusillo animo erant et perverso, ut in litterarum forma sanctitatem et integritatem scripturae servandam esse putarent; facilius et commune Chaldaeorum s. Aramaeorum scribendi genus libenter adoptarunt, quod posteriores Iudaei in genus quadratum transflectere coeperunt [1]. Iudaei enim, postquam primum Aramaeorum more litteras cursu quodam flecti, premi et quasi coalescere passi sunt, postea praecepta prorsus contraria secuti, calligraphiam et formam rectam s. quadratam pro norma habuerunt, ita ut litteras iam inflexas et inter se iunctas iterum dirimi, denuo surgere, tegumentis quasi et fundamentis ornari et firmari, rectis denique lineis in unum ordinem redigi iuberent [2]. Aramaei autem, qua ratione et lege inceperant, litteras antiquas mobiliores reddere et faciliores, ea via procedebant, quare ab antiquiore forma, qualis in coctili Babylonio, deinde in monumentis Palmyrenis apparet, facile transitus cognosci potest ad recentiorem Syrorum formam, quae aliter iterum apud Iacobitas aliter apud Nestorianos exculta est, mater simul alphabeti Arabici facta.

Sed haec hactenus. Iam liquet, quo iure Amira in Grammatica definire possit linguam Syriacam s. Chaldaicam eam, quae et nata et dominata sit in Oriente, quae simul Assyriaca, Babylonia, Aramaea, Hebraica vel Christiana nominari possit, quum gentibus illius nominis nota fuerit atque ab iis usurpata.

---

1) Non possum Hupfeldo assentiri, qui genus scribendi אשורי dictum interpretatur „rectum". Assyriae scripturae illo tempore communis notio erat. Illam tempore exilii Iudaeis acceptam esse, Rabbini docent. Ex Aramaea s. Babylonica scriptura genus quadratum formatum esse, Koppius demonstravit. Bild. u. Schr. I, 599.

2) Kopp. l. c. II. p. 156. 226. sq. Hupfeld, Stud. u. Krit. 1830. II. p. 266. sq.

Cap. III.

De linguae Aramaeae usu et conditione sub imperio Seleucidarum et Romanorum.

Quae primum et proprie fuerit linguae Aramaeae patria et sedes quibusque finibus terra Aramaeorum circumscribenda sit, cap. I. exposuimus. Sed Euphrati non absimilis, qui litora sua transgredi et latius exundare solet, lingua Aramaea multis saeculis in maxima Orientis parte pervagata dominatum quendam occupavit [1]). Insedit enim in terra illa inter Tigrim et Euphratem media, quae cingulum quasi videatur, quo Asia inferior et superior, orientalis et occidentalis cum contineantur tum separentur. Quare quicunque Asiae subactores et reges exstiterunt, hac in terra castra et sedes figendas esse duxerunt, quam ut primum Omar aspexit, Islamo Asiam subiecturus, terrae se pectus, Orientis clavem, viam lucis eamque orbis plagam introisse nuntiavit, quae omnes vitae delicias voluptatesque praebeat [2]). Haec tamen regionis ubertas et copia primum Assyriorum, deinde Chaldaeorum quoque et Persarum mores viresque ita effeminavit, ut qui orbi terrarum imperarent, tanta mox imbecillitate fere exhausti et correpti appareant, ut ne paucorum quidem impetum arcere potuerint. Quis miretur, quod gentis fata et mores etiam sermoni vestigia impresserint, quod odorem saporemque nativum fere exhalaverit lingua Aramaea, inustis perversitatis et luxuriei maculis, quum non tam vitae naturaeque simpli-

1). Assemanus quum Nilo veheretur, libros Syrorum antiquos Romam transducturus, non inepte litterarum Syriacarum historiam cum huius fluvii fontibus et cursu comparat. „Incertis quippe fontibus nata — inquit — per mille atque sexcentos annos quod ferme duravit Assyriorum et Chaldaeorum imperium, magna litterarum atque litteratorum affluentia excurrit. Persarum postea et Graecorum armis atque dominatione angustioribus coercita ripis iter coëgit, donec Romanis Parthisque alternante fortuna imperantibus, terram praeceps subiit. Mox Christianae religionis favore emersit, quo tempore floruerunt Archelaus, Iacobus Nisibita, Ephraem, Maruthas, Isaac, Iacobus Sarugensis aliique clarissimi scriptores, et scholae sacris litteris apertae quas Iunilius Africanus, Theodorus Lector et Dionysius patriarcha celebrant. Paulo post oppressa per Saracenos Syrorum libertate, religio atque bonae artes in abditos Coenobitarum et Eremicolarum recessus atque in hospitales terras se receperunt."

2) Cf. v. Hammer, Laender-Verw. p. 77. Rich et Ker Porter apud Ritterum X. p. 877.

citati et veritati, quam communi gentium commercio, aulae pestiferis blandisque moribus, vitae denique languori et taedio servierit [1]).

Quare multum abest ut doleamus, quod una cum imperio Persarum lingua quoque Aramaea principatu orbata est, quem satis diu in Oriente obtinuerat, ut laetemur potius ob invectam in Asiam linguam Graecam, quo factum est, ut hac lingua et Apostoli divina eloquia scripserint. Primum autem de Seleucidarum regno nobis disserendum est et linguae Aramaeae in illo usu et fatis. Arctioribus primum finibus illud coactum mox tantopere auctum est, ut totum fere Persarum regnum illis obtigisse videatur. Nova inde lux Syriae quasi affulsit, quare ut antea Chaldaeorum aera viguit, ex illo tempore ad aeram Seleucidarum annos computari coeptum [2]). Utique nova et alia rerum omnium forma apparuit. Ceciderant et humi prostratae lugebant Aramaeorum veterum sedes regiae, quas exceperunt Seleucia et Antiochia aliaque oppida multa, Graecis nominibus et insignita et a Graecis colonis condita. Simul artes, disciplinae et litterae ad Graecorum normam excultae sunt; Graecorum theatra, ludi, mores, lingua ubique se insinuaverunt. Rarus admodum librorum usus fuerat apud Orientales antiquos; Chaldaeorum enim viri docti et sapientes oris magis traditione artes et scientias propagabant; tantum in tabulariis regiis historiae, series dynastiarum et catalogi populorum brevi stylo componebantur; libri sacri solis sacerdotum manibus terebantur atque, si in foro, in vita communi, in commercio regum [3]), populorum et privatorum hominum frequentior erat litterarum usus, haec omnia non in usum et memoriam posteritatis servanda videbantur. Fuisse quidem Aramaeorum scripta, nullo modo dubitari potest

---

1) Ctesias libro Persicorum III. scribit, omnes quidem, quotquot in Asia regnarint, luxui et voluptatibus deditos fuisse, sed prae ceteris Ninyam (apud Athen. Deipn. l. XII).

2) Aeram Seleucidarum, vulgo Graecorum dictam, Syri etiam Christiani sequuntur. Incipit d. I. m. Oct. 312 a. Chr. A Mahometanis scriptoribus nonnunquam nuncupatur تاريخ ذو القرنين epocha Cornigeri, quo nomine alluditur ad Danielis visionem.

3) Naëman Syrus litteris commendabatur a rege suo regi Israëlis. Id primum in Bibliis litterarum Syriacarum exemplum.

perierunt autem, Graecitate silentio aeterno antiquaumonumenta obruente. Qui deinceps inter Syros reperti sunt viri litterati, quando animum induxerunt, scriptis aliquid mandare, ea lingua utebantur quae usu omnium et doctorum et discentium tum probata erat. Quare lingua Aramaea ex sede regia et foro detrusa, in vicos et agros secedere iussa, eos ad fines reducta est, quibus antiquitus propria fuerat.

Alia tamen fuit alio loco linguae Aramaeae consuetudo et ratio. Seleucidae, quas terras occupaverant, vix diu tenere potuerunt. In Mesopotamia certatum est cum Parthis, in Asiae minoris parte septentrionali et Armenia nova regna exstiterunt nec non Palaestina Maccabeis ducibus victoriam libertatemque reportavit. Satis iam eversum et dilaceratum erat Seleucidarum imperium, quo tempore a Pompeio in formam provinciae redactum est; provinciae autem quae Seleucidarum iugum abiecerant aliae brevius aliae diutius libertatem tuebantur, donec Romano imperio et ipsae adderentur. Est igitur de hisce terris seorsim agendum.

Mesopotamia teste Iosepho divisa erat in factiones tres, Graecorum, Iudaeorum, Syrorum; postremam reliquis numero opibusque antecelluisse dicit. Graecos plurimos illo tempore in Asiam transmigrasse, notissimum. Plinius (l. VI, 30.) scribit: „Mesopotamia tota Assyriorum fuit, vicatim dispersa praeter Babylona et Ninum. Macedones eam in urbes congregavere, propter ubertatem soli. Oppida praeter iam dicta habet Seleuciam, Laodiceam, Artemitam; item in Arabum gente, qui Orei vocantur et Mardani, Antiochiam, quae a praefecto Mesopotamiae Nicanore condita Arabis vocatur [1]." Seleucus Nicator triginta novem urbes sua sponte condidit (Appian. Syr. ed. Amstelod. p. 124.) cuius exemplum imitati sunt successores fere omnes, Graecorum coloniis in Asiam assumtis. Maxime inter Euphratem et Tigrim Seleucia ambitu opibusque aucta est [2], cuius vicinitate antiqua

1) Arabis nescio quid sit? Num Nisibis legendum? sed huius urbis Plinius antea in lib. V. mentionem fecit.

2) Parthis Mesopotamiam obsidentibus, Seleucia eo usque pervenerat virium et auctoritatis, ut ad M. Aurelii tempora libertatem servaverit, ad rei publice formam constituta. Civium habuisse dicitur milia sexcenta; Graecorum artes litteraeque ibi asylum quoddam reperisse videbantur. Dio C. l. LXXI. Eutrop. VIII, 10. Euseb. in Chronico.

Babylon exhausta iacebat [1]. Babylone autem **Iudaeorum** magna copia insederat; habuerunt ibi locatos *αἰχμαλωταρχάς* [2], qui postea Nahardeae et Sorae sedem fixerunt, ubi Beniamin Tudelensis multa eorum sepulcra se vidisse testatur, Saracenorum autem tempore Bagdadi habitabant, regiae fere aulae splendore et dignitate gloriantes. Iosephi adhuc tempore Babylone degebant Iudaei plurimi, mox tamen exorta gravissima et diuturna persecutione in oppida minora vicosque qui Euphrati eiusque canalibus adiacebant, se recepisse videntur [3]. Condiderunt autem ubique synagogas, instituerunt scholas, in quibus neque Graecorum litteras et disciplinas exercere neglectum; Babylone enim litteras Graecas Hierosolyma translatas esse tempore Hillelis, traditio Talmudica docet. Quantopere saec. post Chr. tertio et sequentibus scholae Iudaeorum in Babylonia floruerint, satis constat [4]; studia biblica et canonica, Rabbinorum traditiones, Chaldaeorum disciplinas astronomicas et arithmeticas, Graecorum denique philosophicas exercitationes copulare et connectere studebant. Post Hierosolyma diruta, maxime Hadriani tempore, quum patriam fere omnes vitare et deserere cogerentur, procul dubio multi Iudaei Babyloniam petierant, ita ut vix alio loco tanta eorum multitudo congregata fuerit. Tres autem linguas Babylonii Iudaeorum magistri distinguunt: 1) לשון תורה Hebraeam antiquam; 2) לשון חכמים Talmudicam; 3) לשון הדיוט (*ἰδιωτοῦ*) Aramaeam vulgarem [5]. Unde iure nostro

---

1) Sub Tiberio et Claudio Babylon magna ex parte deserta erat. Strabo l. XVI. Plin. VI, 26. Steterunt tamen reliquiae. Hyrcano permissum esse narrat Iosephus a Phraate, Parthorum rege, ut Babylone degeret.

2) Babylone Iudaeorum *αἰχμαλωταρχάς* ad annum usq. Chr. septingentesimum creatos esse, Scaliger notat ad Euseb. p. 205. cf. Fürst, Cultur und Literat. Gesch. d. Iud. in As. p. 8.

3) Ios. XV, 2. „Decem tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum milia, quae vix est numero comprehendere.“ Cf. Act. II. 9. Sub Artabano Parthiae rege, qui ab anno Chr. 16. ad a. 47. imperavit, saevitum est in Iudaeos Seleuciae et in Babylonia degentes Syrorum Graecorumque conspiratione. Usserius ad a. 40 ex Iosepho antiqq. XVIII. cap. ult.

4) Cf. Fürst. l. c. p. 63. sq.

5) Rabbinorum alii linguam Aramaeam maximi habuerunt, excolere eam et purgare studentes, alii plane ab illa abhorruerunt. In universum valet illud, quod legitur Midrasch Rabba sect. 74.: Syriaca lingua ne tibi

colligimus, communem et consuetum sermonem illa in regione, ubi Graeci vix multi vivebant, inter Iudaeos et Syros fuisse linguam Aramaeam nostram. Reperti sunt Iudaei etiam in Mesopotamia proprie dicta; Edessae synagogam habebant [1], Nisibi scholam fundaverant. Tamen pauciores erant in his regionibus, ubi Syri minus mixti alienis gentibus, proprio iure fruebantur. Floruerunt enim regna potissimum Edessenorum et Adiabenorum, inter quos lingua Aramaea s. Syriaca fere sola et purissima obtinuit. Edessae quidem populus satis mixtus erat, variis e gentibus congregatus, in eiusque terrae finibus interiacebant vincinitate Graecorum multae; in Adiabenorum autem regione Iudaeorum plurimi habitabant; verumtamen praevaluit nomen et consuetudo Syrorum. Quare Graecos Seleuciae maxime, Iudaeos in vicinia Babylonis, Syros autem in septentrionali Mesopotamiae parte consedisse recte statuimus. Est autem discrimen inter Graecos et Iudaeos notandum. Graeci nullam fere curam gesserunt Syrorum et Syriacae linguae; sibi solis suisque legibus et moribus indulgebant, non tam imitari alios soliti, quam exemplo esse omnibus et admirationi. Itaque contemtui habebant Antiocheni Edessenos tanquam mixo-barbaros et Seleuciae aliisque in oppidis nil fere Graecis commune erat cum Syris, qui in suburbiis habitabant. Eo magis Syri Graecorum mores litterasque recipere et exercere consueverant maxime iis in locis, ubi res Graecorum florerent multumque cum illis commercium esset [2]. Sed Iudaei Aramaeam linguam plane suam fecerant, licet doctorum nonnulli plebeculae tantum eam esse committendam duxerint. Utebantur vulgo omnes lingua Aramaea, qua etiam in synagogis Legem et Prophetas interpretabantur. Quare linguam si spectas, cesserant et applicaverant se Iudaei Syris indigenis; at vero religionem moresque quod attinet ipsi suas ad res trans-

---

vilis videatur, quum in Pentateucho, Prophetis et Hagiographis Deus illius dignitatem agnoscat."

1) Rabulas Edessae episcopus a. 412. aedificavit templum Stephani, quod antea domus Sabbati i. e. synagoga Iudaeorum fuerat. Assem. I p. 197. Ephraem multum cum Iudaeis disputavit. Edesseni Iudaeos multos occiderunt, quum audivissent, Iulianum Carrhis sacrificasse idolis et Iudaeos honorifice excepisse.

2) Gentis dominantis dominatur lingua, secundum illud: quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

duxerunt Syros, proselytas enim plurimos fecerunt. Omnino constat, Iudaeos ubique in Seleucidarum et Romanorum postea imperio dispersos vixisse; Seleucus ipse, Antiochus, alii Iudaeos, ut colonias ducerent, impulerant, ratam habentes eorum fidem et strenuitatem, quum de Syrorum mente et religione dubitarent [1]).

Iam vero, qui linguarum usus fuerit in ipsa Iudaea, exploremus. Iudaei exsules in patriam reversi aures linguamque assuetas habuerunt sermoni Aramaeo neque dubitandum est, quin Iudaei illo tempore non solum in commercio cum Persis et Samaritanis [2]) sed etiam vita vulgari plerumque lingua Aramaea usi sint. Prophetae quidem, qui Serubabelis tempore et postea exstiterunt, Hebraice et loquuti sunt et scripserunt, unde certissimum est, patrii sermonis Iudaeos adhuc memores et peritos fuisse. Sed qui Esra [3]) duce in patriam redierunt, diutius illi remoti, vix omnes Hebraice calluisse videntur, etamsi ex loco Nehemiae vexatissimo c. VIII, 8. certo non liqueat, iam tum opus fuisse, ut Legem populo Levitae et scribae Aramaice interpretarentur [4]). Errant autem, qui Iudaeorum gentem illam Esrae et Nehemiae coaevam probe tenacem habeant patrii moris et sermonis; audias Nehemiam querentem, quod viderit Iudaeos (c. XIII, 24.), qui mulieres peregrinas in matrimonium duxissent, quorum liberi אשדודית loquerentur neque periti essent loquendi יהודית [5]). Quare quo diutius Persarum imperio subiecti erant Iudaei, eo magis Aramaea lingua omnium communis et vulgaris

---

1) Ios. antiqq. XII, 3. §. 1. 3. sq. de B. I. VII, 3. §. 3.

2) Samaritanorum linguam mixtam esse dicunt ex idiomate Aramaeo, Hebraeo et tertio quodam, quod Cuthaeum appellant. Samaritani linguae suae una cum pristino alphabeto miro modo ad hunc usque diem tenaces fuerunt.

3) Cf. nomen אֶזְרָא, titulum תִּרְשָׁתָא.

4) Agitur de voce difficili מְפֹרָשׁ. Terminus technicus fuit forte, modum legendi distinctum, certum, accuratum significans. Tamen observandum est, in ling. Chald. vocem hanc „interpretationem" significare atque ex Rabbinorum traditione antiqua iam Esrae tempore factam esse Legis expositionem Aramaeam. Cf. Esr. IV, 18.

5) Neque interseruisset Esra libro suo capita Aramaice scripta, nisi haec lingua eo tempore omnibus cognita fuisset. Nescio, an יהודית Aramaeam Iudaeorum dialectum significet.

facta est, lingua Hebraea servata in synagogis et a scribis Legisque peritis in scholis exercita [1]).

Sed graviora imminebant fata et pericula patrio ritui ac sermoni. Nescio, num vera sint, quae de Alexandro Hierosolyma petente tradit Iosephus; id tamen probabile videtur, Graecos omnino benignos se et gratos praebuisse Iudaeis. Cum Seleucidis, qui magnopere Iudaeis favebant, aemulari videbantur Ptolemaei, qui Legem Graece transferri curasse dicuntur et Iudaeorum plurimos privilegiis blandisque verbis in Aegyptum acciverunt. Iudaei vero cedebant in dies Graecorum moribus, erant quos iam puderet nominis et signi a patribus accepti; Graecorum pompa ludi spectacula in Urbem sanctam invecta sunt. Quam defectionem miserrima secuta est clades; nam templum a Iudaeis sacrilegis factis sermonibusque foedatum Antiochus Epiphanes fastidio dedit et abominandum reddidit totum, arcem diruit, urbem occupavit. Non multo post Maccabaei patriam liberarunt, templum urbemque restituerunt. Sed Graeca lingua illo tempore ita iam sese insinuaverat, ut vix eius usus cohiberi et detorqueri potuerit. Cf. II. Macc. III, 10. 13., V, 27., VII, 9. 11. 16. 18. 30., XII, 27. Maccabaeos, ut omnino restauratores erant status antiqui, ita operam dedisse, ut redderent populo vitaeque communi linguam Hebraeam verisimile est; ad Legem enim Legisque studia et lectionem omnes revocabant, nummos excudebant Hebraicis verbis litterisque signatos [2]), quum antea ipsi pontifices Graeca nomina assumsissent. Sed altas iam radices egerat primum Aramaeae deinde Graecae linguae usus, ita ut ex illo tempore in scholis solummodo lingua antiqua Hebraea, in scribendo autem et inter eruditos lingua Graeca, atque in vita communi lingua Aramaea obtinuerit [3]). Iesus quidem Siracida ante

---

1) Aliter Fürstius (Gesch. d. jüd. Literat. in Pal.), qui linguam Hebraeam putat superstitem fuisse, Iosephum Hebraice scripsisse, plebem vero Aramaeam linguam paulatim recepisse, doctores demum operam dedisse, ut in plebe Aramaea lingua, inter doctos autem Hebraea emendaretur neque ambo inter se commiscerentur.

2) Cf. II Macc. II, 13. 14. Nuperrime sigillum quoddam repertum est, a Roedigero descriptum, cuius litterae nummis Maccabaeorum similes sunt. Pontificis fuisse videtur.

3) Iosephus Chaldaeam linguam dicit suae regionis sermonem. l. XI. c. 4. 5. II. Macc. VII. mater filios πατρῴᾳ φωνῇ alloquitur i. e. Aramaice.

Maccabaeorum tempora librum Ἑβραϊστί [1]) composuit quem eius nepos (anno XXXVIII. Ptolemaei Euergetae) Graece transtulit. Palaestinenses postea scribendo haud multam operam dederunt; Pharisaei Iosephi tempore linguam Graecam profanam habebant. Sed in vulgus iam sparsi erant libri permulti Graece scripti et Bibliorum versio Graeca Alexandrina inter ipsos Palaestinenses locum vulgatae habuit, cuius testimoniis fides haberetur.

Multum disputatum est, quae lingua Christi et Apostolorum propria fuerit. Singulare et maximum inter omnes Aramaeae linguae elogium est, quod ore Salvatoris sacrata sit. Neque id falsum; valuit enim lingua Aramaea in vita communi, plebi maxime consueta et vulgaris. Ita habes in urbe locorum haec Aramaea nomina: Golgotha, Gabbatha, Akeldama; Iesu ipsius ex ore citantur verba Syriaca: ἐφφαθά (Marc. VII, 34.) *Ταλιθὰ κοῦμι* (Marc. V, 41.) *Λαμὰ σαβαχθανί* (Matth. XXVII, 46., Marc. XV, 34.) [2]); nec non Iacobum et Ioannem Iesus appellavit *Βοανεργές*, Simonem allocutus est *βὰρ Ιωνᾶ* (Matth. XVI, 17.) et Levitam illum egregium Apostoli dixerunt Barnabam. Quare non audiendi sunt, qui demonstrabant Graecam linguam Christo propriam et familiarem fuisse [3]); concedendum tamen est, praeter Aramaeam linguam fuisse omnibus satis tritam et communem linguam Graecam, quae scribendo maxime legendoque, in commercio et foro adhiberetur. Cephas simul dictus est Petrus, Thomas — Didymus, Tabitha — Dorcas. Nomen Messiae cessit Christo. Paulum Hebraice loquentem mirabantur Iudaei; ipsi servi Graecam linguam callebant Iosepho teste (Ant. XX, 9.), templi septo inscriptio Graeca insculpta erat Iudaeos non minus quam alienigenas respiciens. In laudibus Mariae et Simeonis Deo sacratis vestigia apparent versionis LXXviralis (item in Zachariae cantico) neque Evangelistae et Apostoli eiusdem versionis verba citassent, nisi omnium illo tempore manibus tersa fuisset. Christus plebem allocutus sive cum Apostolis familiaribusque versatus, non dubito, quin

---

1) Utrum Hebraice an Aramaice vertendum, nescio, maluerim Aramaice.

2) Memorabile est, apud Marcum plurima exstare Syriaca verba, ap. Lucam fere nullum, nisi Nomina propria.

3) Is. Vossius. Diodati, de Christo Graece loquente. Neap. 1767.

Aramaice sermonem fecerit; certissimum tamen est, eum saepenumero Graece esse locutum. Apostolos item Graeca lingua iam pridem in praedicatione Evangelii usos esse nonnunquam, inde veri simile est, quod permulti Proselytae ecclesiae Hierosolymitanae addicti erant; post ubi primum Hierosolymis persecutione excitata in Samariam aliasque terras dispersi sunt, nesesse erat, ut Graeco sermone Iesu Christi mortem et resurrectionem adnuntiarent omnibus, quare postea Graeco sermone etiam Evangelistae ad unum omnes scripserunt [1]. Iudaeorum tamen auribus linguam Aramaeam sanctius quid et familiarius sonuisse, inde patet, quod Paulus quum quocunque modo posset animos popularium flectere et movere vellet, patrio sermone usus est; aeque atque Iosephus in gentis suae gratiam libros, quos Romanis Graece scripserat, ipse transtulit in linguam Aramaeam [2].

Haec igitur, ut dicta consummemus, linguarum conditio in Palaestina fuisse videtur. In vita communi inter se invicem Iudaei, maxime ii qui ruri degebant vel qui tenaciores erant patrii moris, loquebantur Aramaice; quare Aramaicam dialectum utpote Iudaeis illo tempore familiarem Evangelistae linguam Hebraicam dicunt [3]. Ubi cum exteris versandum erat, omnibus satis cognita erat lingua Graeca, quam eruditi a magistris accurate docebantur, vulgus usu publico facile percipiebat. In sacris celebrandis Lex legebatur Hebraice; Psalmi Hebraice canebantur (cf. parvulorum clamorem *Ὡσαννά*); aderant tamen in synagogis viri qui Aramaice (apud Hellenistas [4]) Graece) Scri-

---

1) Dionysius bar Salibi (Assem. II. p. 160.) ita scribit: „Quum Matthaeus ad Iudaeos Evangelium scripserit et plerique Hebraeorum lingua Graeca uterentur.“

2) Christianos ex Iudaeis oriundos magnam partem miro modo tenaces fuisse ut Legis *πατροπαραδότου* sic etiam linguae Aramaeae, probat Evangelium Hebraice scriptum, quod inter Nazaraeos circumferebatur et Ebionitas. (Paupertatis ostentatione quadam Ebionitae dicti mihi videntur, quasi veri אביונים essent).

3) Ioan. XXI, 14. 18. 20. *Ἑβραϊστί.* Act. XXI, 40. *τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ.* Titulus cruci affixus scriptus erat *Ἑβραϊστὶ, Ἑλληνιστὶ, Ῥωμαϊστί.* Rabbi Iochanan (Midrasch Tillim fol. 25, 4.): „Tres sunt linguae: Latina bello inserviens, sermoni Graeca, precibus Hebraica.“ Contra Philo Hebraeam linguam dicit Chaldaicam.

4) Megillah fol. 23, 2. 24, 1. Cf. Waehner antiqq. sect. I. cap. XXXIX. §. 265.

pturam interpretarentur. In scholis domique Graece potissimum Biblia legebantur, quum Legis periti et scribae textus originalis studia et genuinam traditamque interpretationem sibi solis vindicarent [1]).

De Coelesyria et Commagena si quaeritur, distinguendum maxime est inter incolas urbium, praecipue recens conditarum, et eos qui ruri, in agris et in deserto degebant. Antiochiae quidem Graeca lingua viguit fere sola, secundum dictum illud Iuvenalis (Sat. III, 62.):

„Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
Et linguam et mores (Graeciae) — vexit.
Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra.“

In Actis narratur, Antiochiae fratres primum esse dictos Χριστιανούς; Graeca igitur lingua ibi vulgata erat. Late diffudisse se illa in regione Graecorum mores et sermonem inde quoque elucet, quod plurimis oppidis Graeca nomina tribuebantur, ex. c. Ptolemais, Epiphania; tamen apud homines indigenas et vulgares non prorsus exstinctam esse antiquam rerum faciem non minus eo probatur, quod earundem urbium nomina perantiqua tempore seriori resurgebant, ita ut hodieque nomina locorum, indita pridem ab Aramaeis et Hebraeis, trita sint in toto Oriente et sola percipiantur [2]). Maxime ruri, in regionibus mon-

---

1) Rabbinis quam sancta fuerit lingua Hebraica notissimum est. Ab iisdem vero passim laudatur lingua Aramaea et Graeca. Cf. librum meum de Ierem. vers. Alex. p. 32 sq. Vid. supra pag. 25 not. 5.

2) Ammian. Marc. XIV, 8.: „Abusus Seleucus multitudine hominum quam tranquillis in rebus diutius rexit, ex agrestibus habitaculis urbes construxit multis opibus firmas et validas: quarum ad praesens pleraeque licet Graecis nominibus appellentur, primogenia tamen nomina non amittunt, quae iis Assyria lingua institutores veteres indiderunt.“ Vides hoc loco Assyriam linguam dici, quam Syram vulgo dicunt. Seleucidarum unus cognominatus est Syra voce Zabinas (emtus), quo probatur linguae usus. Foy Vaillant, Seleucidarum imperium ed. II. Hagae Com. 1732. pag. 109.: „Seleucus Nicator Syria occupata non solum ut tradit Appianus plurima nomina Graeca urbibus Syriae imposuit, sed et linguam Graecam populis communicavit et in publicis monumentis usurpare iussit; in Phoenicia tamen lingua vernacula aliquando servata videtur. Testes sunt Sydonis et Tyri nummi, qui promiscue cum Graecis vocibus, modo cum solis Phoeniciis characteribus exhibentur.“

tanis et desertis, Aramaeam linguam nequaquam cessisse Graecae eo certius est, quo magis Orientales mirum in modum antiquae traditaeque rerum formae tenaces sunt. Itaque Palmyrenae reliquiae saec. II. p. Chr. Aramaeam linguam tenent, addita tamen Graeca interpretatione, et inter Christianos postea ubique in agris, in solitudine regionibusque suburbanis Aramaeam linguam superstitem et vulgarem reperimus. Cui rei consentiunt testimonia multa veterum a Relando collecta [1]). Hieronymus enim narrat, Hilarioni Elusae incolas acclamasse: Barech (ברך) voce Syra. Elusa autem urbs fuit Palaestinae tertiae in terra Moabitica. Theodoretus quaest. 19. in Iudices haec habet: „*Ὀσροηνοὶ καὶ Σύροι καὶ Εὐφρατήσιοι καὶ Φοίνικες τῇ Σύρων χρῶνται φωνῇ.*“ Cyrillus, Comm. in Ies. lib. II. tom. IV. p. 293.: „*Τῇ γλώσσῃ τῇ Χαναvίτιδι, τοῦτ᾽ ἔστι, τῇ Σύρων, ἤτοι τῇ κατὰ τὴν Παλαιστίνην· μιᾷ γὰρ λαλοῦσι γλώσσῃ Φοίνικες καὶ Παλαιστινοί* [2]).“ Origenes lib. III. in Iobum scribit, Idumaeorum nomen et linguam periisse omnesque Arabes appellari et Syriace loqui [3]). Quibus testimoniis non opponendum est Hieronymianum illud (Prolegg. in ep. ad Gal.): „Graecum totus Oriens loquebatur.“ Recte quidem id Hieronymus; sed tenendum est, Hieronymum virum in rebus aeque ac verbis abundantem id tantum dicere voluisse, in totius Orientis maioribus oppidis linguam Graecam fuisse cognitam et vulgarem, quare Apostoli ea lingua in scribendo usi sint. Quae ruri et in agris remotioribus lingua viguit Syriaca, eam ne

1) Sub v. Elusa lib. III. p. 755.

2) Lingua Phoenicum inde a saec. VII. a. Chr. ex lingua Aramaea multa receperat, tum vocabula tum formarum et scripturae proprietates. Tyro denique ab Alexandro expugnata et Seleucidarum regno condito lingua Phoenicia partim Graecae partim Aramaeae plane cessisse videtur. Cf. Movers. Hall. Encycl. art. Phoenizier, pag. 423. sq.

3) Addidit Relandus locum ex Eusebii Onomastico ad vocem *Πέτρα*, ubi legitur: „*Πέτρα, πόλις ἐν γῇ Ἐδὼμ τῆς Ἀραβίας, ἥτις ἐπεκλήθη Ἰεχθοὴλ, ἣ καὶ Ῥεκὲμ παρὰ Ἀσσυρίοις ὀνομάζεται.*“ Pro *Ἀσσυρίοις* Hieronymus habet *Σύρους*. At vero *Ῥεκὲμ* non est vocabulum Syriacum sed Arabicum رقيم, quod urbem denotat, cuius omnes aedes ex saxo vivo sunt excisae. Vid. Abulfedae Syriam ex Koehleri ed. p. 11. Est autem in Peschito Rekem saepius positum pro Hebraico קדש Gen. XIV, 7. Num. XX, 1. et Ind. VI, 3. habetur ܒܢܝ̈ ܪܩܡܐ pro בני קדם.

ne ipse quidem Hieronymus satis calluisse videtur [1]), quippe qui in cella Bethlehemitica Rabbinorum maluerit nocturnas institutiones accipere, quam in terris desertisque Syriae vagari barbarorumque hominum sermonem cognoscere.

Cap. IV.

De linguae Aramaeae dialectis eiusque ingenio.

De linguae Aramaeae dialectis quaerentibus nobis et temporum et locorum ratio habenda est.

Antiquissimi temporis unum tantum monumentum relictum est — idque ex ore Labanis, Aramaei, qui quem tumulum Iacobus appellavit גַּלְעֵד, lingua sua dixit יְגַר שָׂהֲדוּתָא Gen. 31, 47. Quo loco in Peschito habes (Hebraicis litteris utar, quo facilius cognoscatur et consensus et varietas) יגרא דסהדותא. Eadem verba, eandem linguam habes — sed posteriori tempore aliquo modo mutatam. Etenim in versione Simplici ambo nomina, non solum rectum sed etiam regens in statu emphatico s. definito posita sunt, porro Genitivus littera Dolath formatus. Utrumque igitur non genuinum, sed postea introductum videtur idque in magnum linguae detrimentum. Nam languidi quiddam et unisoni adepta est lingua Aramaea, omnibus fere nominibus in statu emphatico positis, ita ut quod primum nonnisi statum quendam nominis formaverat, cum nominis ipsa forma fere coalesceret. Neque illud Dolath, quod coniungendis et nominibus et sententiis inservit, laudandum est; quo quantum proficit facilitas sermonis, tantum deficit gravitas illa et simplicitas Semitarum sermoni propria.

Iam vero explorato, Labanem Syriace esse locutum, quid mirum, quod illis in capitibus Geneseos, ubi Iacobi in Mesopotamia commoratio narratur, satis multa Aramaeae linguae vestigia inveniantur. Nomen רִבְקָה significat saginationem, habesque eam ipsam formam Targ. Ier. c. XLVI, pro Hebr. מרבק, locus ubi saginantur vituli; רחל apud Syros vox usitatior quam apud Hebraeos, quae saepenumero etiam apud Targumistas legitur. Non minus iis in nominibus, quae Lea filiis dedit, Syriasmus

---

1) Non prorsus ignarus fuit Hieronymus linguae Syriacae, ut infra videbimus. Cf. Hieron. Opp. ed. Mart. T. I p. 989. T. V· pag. 170.

cognoscitur. Schimeon, Sebulon formam Aramaicam produnt. לוה, unde Levi, apud Syros frequens est in notione adhaerendi [1]). Ad nomen Naphthali conferas Syriac. ܦܬܠܐ retorsio, contorsio; nam revera retorsiones inter Leam et Rachelem factae sunt studio ambitioneque sese torquentes et retorquentes, ut domum Iacobi aedificarent. Fortasse etiam ad nomen Sebulon conferendum est Chald. et Syr. זְבַל, stercoravit, fimum agris et arborum radicibus inspersit foecunditatis gratia. Cf. Luc. 13, 8. (זבל apud Syros et Arabes vulgo stercus, fimum significat.) Inde verbi זבל primaria apud Syros ea fuisse videtur notio: concumbere cum femina eamque foecundam reddere. Aliud vocabulum, quod Gen. XXX, 19. legitur זבד Syris maxime usitatum est „donavit“, imprimis de filiarum dotibus dictum (cf. glossa Bar Alii apud Gesen. in Thesauro). Quod optime hic convenit [2]). Laudat enim Lea Dominum, quod ignominiam abstulerit. Etenim natura videbatur posthabita, quum forma esset minime spectabilis, a patre vendita potius quam dotibus ornata, a viro non amata, sed a Deo ita demum donis dotibusque cumulata, ut contenta et gloriabunda sorte sua virgini se comparaverit splendidissimis dotibus insignitae. Etiam Dinae nomen Aramaeum est. דִּינָה cum נְתַן constr. significat rationem reddere alicuius rei. Targ. Ionath. Gen. III, 19. (cf. Hartmann, Suppl. ad Buxt. Lex.) Ad nomen Silpae conferas ܙܠܦܐ effusio, ܙܠܘܦܐ elegantia vestium; etiam nomina Leae (fatigatae) et Bilhae (annosae, vetustae) facillime ex lingua Aramaica explicantur. Quod habes vocabulum Genes. XXX, 38. רְהָטִים Aramaeum est (Peschito v. 37.) canales, per quos aquae currunt (רהט = ריץ); neque minus v. 37. לוז Aramaeum nomen est amygdali [3]). Ad פצל cf.

---

1) Cf. Boysen, Erläuterungen des A. T. aus der syr. Uebersetzung ad locum.

2) Aliter quidem Schultensius Origg. p. 48: „Utrem mihi meum optima agitavit Deus agitatione.“ Quam interpretationem refellendam esse haud dixerim; sed Schultensio notionem „donandi“ tanquam frigidam et incommodam plane abiicienti vix accedas, modo recte sensus enucleetur.

3) In eodem versu loco Hebr. עַרְמוֹן habes Syr. ܕܘܠܒܐ, populus, platanus. Dubitat Tuchius, platanum reperiri בחרן, quam vocem „locum sole exustum“ interpretatur. At vero Ritterum consulas de arboribus fusius disserentem in Mesopotamia vulgaribus. Sabaeorum, qui Carrhis

rabb. בצל caepa, quae quasi se ipsam exuat et decorticet. Etiam vocabula עקדים et נקדות v. 35. aliquid lucis accipiunt ex lingua Syriaca; ܥܘܩܕܐ enim de spira dicitur funium convolutorum; נקדים de punctis vocabulorum consuetum est Rabbinis [1]). קשר v. 42. connectere possis cum ܩܛܘܪܐ B. B. elegantia vestium; ligatum enim et complicatum esse in linguis Semiticis designat primum id, quod robustum, strenuum est, deinde quod elegans et bonum.

De aliis linguae Aramaeae in V. T. vestigiis, quorum largam quis segetem afferre possit (cf. Hirzel de Chaldaismi Bibl. orig.) nunc non agamus. Quae Haevernickius in oraculo Bileami investigare sibi visus est (Einleitung I, 1. p. 99.) de iis vix mihi persuasum. Rationi consentaneum est, reperiri Aramaismos maxime in Iobo, in scriptis Salomonis iisque in prophetis, qui vel patria ex regno Israelitico oriundi vel aetate exsilio propiores et posteriores erant.

Versus autem integer Aramaeus exstat apud Ier. cap. X, 11. כדנה תאמרון להום אלהיא די־שמיא וארקא [2]) לא עבדו יאבדו מארעא ומן תחות שמיא אלה: Quae verba in versione Syriaca sic leguntur: הכנא אמר להון אלהא דשמיא וארעא לא עבדו נאבדון מן ארעא ומן תחית שמיא הליך.

Quo clarius patescat et similitudo et varietas sermonis, subnectamus versum Danielis ex gr. III, 18.: (והן לא) ידיע להוא־לך מלכא די לאלהיך לא איתנא פלחין ולצלם דהבא די הקימת לא נסגד Simplex: תהוא דיך ידע מלכא דלאלהך לא פלחינן ולצלמא דדהבא דאקימת לא סגדינך. Haec exempla iterum docent, mutationes quasdam subiisse linguam Aramaeam iis temporibus, quae inter utramque

---

potissimum habitabant, sententias habes a Lorsbachio laudatas: Museum f. bibl. u. Orient. Litt. p. 1. Cf. de Sacy Abd Allatif p. 81. Platanus Persis est arbor solis — Christianis vero arbor mala, quae nullas ferat fruges. Platani comes populus. Amat autem platanus sugere aquas, quare ad platani radices canales ducere solent Orientales; neque aliter ad רהטים Iacobi platani positae erant. Utique Carrharum regio non est solis aestu exhausta, sed partim frugifera.

1) Inde orta notio apud Syros consueta: puncta removit, mundavit, purgavit. Sed nomen derivatum „guttam, impetiginem" significat. Cf. Castelli lexicon.

2) Memorabilis forma durior ארקא, cui substituitur infra eodem in versu ארעא.

scripturam intercedunt. Sunt maxime conspicuae in usu particularum, pronominum, coniunctionum, in coniugatione verbi Aphel et in participio.

Iam vero hac de re discrepantes videmus virorum doctorum sententias. Quum enim prioribus temporibus supra modum urgeretur diversitas Syriaci et Chaldaici sermonis, ita ut non dialectorum sed linguarum fere varietatem statuerent, iam altera ex parte eo nonnulli processerunt, ut omnem omnino dialectorum discrepantiam in lingua Aramaea negasse videantur. Hupfeldum dico (Stud. u. Krit. 1830. p. 391.), cuius sententiae de Wettius calculum adiecit, contradixit Haevernickius (Einleitung I, 1. pag. 105) [1]).

Id primum agnoscendum est, in omnibus Aramaearum gentium provinciis unam eandemque linguam viguisse, id quod evincitur primum ex locis supra collectis; deinde ex testimoniis veterum, imprimis Strabonis (II, 84.), qui in utraque Euphratis parte eandem linguam ore omnium proferri tradunt; postremo ex usu Simplicis Bibliorum versionis omnibus Syris ultra et cis Euphratem communi.

Porro observandum est id, Aramaeae antiquae linguae nulla fere exstare monumenta, ex quibus sermonis indoles plane perspici possit. Etenim quae posterioris temporis scripta satis multa habemus, duas in partes abierunt, Syrorum Christianorum et Iudaeorum Chaldaice loquentium. Illorum sermo multa ex Graeco hausit minimeque purus habendus est et qui antiquitatis genuinam indolem redoleat. Iudaei autem cum Hebraismo eo magis Syriasmum conformabant, quo diutius, a Christianis gentibusque seiuncti et V. T. fere solo occupati propriam quandam dialectum et litterarum vitaeque formam excolebant [2]).

At vero id si Hupfeldo dederis, meras esse nugas, quod Michaelis, Eichhornius alii Aramaeas dialectos Occidentalem et

---

1) Cf. etiam Winerus, R. W. s. v. Syrien.

2) Si punctorum vocalium non habes rationem, tam similis est lingua Syriaca Chaldaeae, ut Iudaeus quidam doctus Michaeli narraverit, esse se nactum N. T. Chaldaicum, quod erat Syriacum litteris exaratum Hebraeis. Cf. I. D. Michaelis, Abhandlung von der syrischen Sprache und ihrem Gebrauch. pag. 5.

Orientalem finxerint [1]), et esse unam tantum Aramaeam s. Syriacam linguam dicendam, tamen in eo alias in partes abeundum esse iudico, ut linguae Aramaeae variae formae et dialecti statuantur. Primum enim Danielis et Esrae capita Chaldaea vera Aramaeae linguae monumenta habeo [2]). Quae igitur inter illa et versionem Simplicem facile apparent diversitates, non Iudaeorum *πλάσματι* fucato tribuam cum Hupfeldo, neque vero illas omnes cum Haevernickio esse dialecti Babylonicae proprietates dixerim. Est enim lingua Syriaca, qua forma post Christum natum vulgaris erat, proculdubio mutata et depravata, ut ipse Hupfeldus ex. gr. statum def. plur. ـ̈ܐ contractum habet ex illa forma, quae est in Daniele conspicua ַיָּא. De qua linguae corruptione iam pauca dicenda sunt.

Lingua Aramaea inter Semiticas recte dicitur et pauperrima et depravatissima [3]), cuius rei causas in propatulo habes. Semiticarum linguarum praecipua eaque nunquam satis laudanda virtus est simplicitas illa, quae rerum omnium quasi nativum sensum et verissimam imaginem exprimat. Ex simplicitate simul orta est ubertas non minus quam gravitas sermonis, aeque ac natura ipsa maxima varietate et fertilitate gaudet, licet paucis admodum rerum iactis elementis. Linguae prima elementa sunt verba, quae radices vocantur. Etiam multas radices inter se cognatas familiam quasi sistere constat, cuius cubilia in radice bilittera quaerenda sunt, de his vero taceo. Iam vero quanta rerum notionumque ubertas ex una radice sese effundit! quanta imaginum vivarumque observationum copia apparet collatis inter se variis locis, in quibus eiusdem vocis primaria notio diversas in partes

---

1) Michaelis ipse hanc distinctionem ita definivit, ut modo latam simul sustulisse videatur. In universum non inepte Michaelis hac de re disserit in libro citato.

2) Buxtorfius: „In his enim purissimus et elegantissimus linguae nitor, ut tunc in florentissimo Babyloniae regno excolebatur, vivide perspicitur."

3) „Ex Arabum gente" — inquit Ebediesus († 1318) „quidam Syriacam linguam quasi minus copiosam, incultam et rudem imperite stulteque vituperant; hinc nata occasio est mihi, adversus illorum praeposterum factum insurgendi — — et antiquo sermoni nostro victoriam vindicandi." Hoffmann Prolegg. pag. 10. Assem. III. P. I. pag. 326.

flectatur! Abundant, delectantur et luxuriant Orientales diversarum rerum collatione et comparatione, ita ut sermonis eloquentia sententiarumque ornatus maxime inde oriatur, quod cum natura ipsa quasi iocari, diversas vocabulorum notiones miscere, mentem modo huc modo illuc flectere, denique sensus naturales et corporales ad animum contemplationemque rerum spiritualium et divinarum transferre solent. Quare primariae notiones ubique in rebus sensibilibus, in vita Nomadum, in affectu corporali, in iis, quas natura ipsa porrigit, vitae causis et necessitudinibus quaerendae sunt. Ita enim Deus rationem naturamque rerum visibilium omnem composuit et ordinavit, ut ex iis quasi expressis certissimisque figuris et imaginibus homines cognoscant et percipiant rerum divinarum et invisibilium rationes et causas. Cum enim nos Occidentales, prorsus immemores, quod natura aluit nos atque erudivit, ex animo nostro universam rerum naturam construere soleamus, omnia ad nos trahentes, in omnibus nosmet ipsos contemplantes, quasi cogitationes nostrae rerum naturam efformaverint et effinxerint: contra Orientales vitae veritati et simplicitati aures sensusque praebentes in imagine rem ipsam intuentur ut in speculo expressam et in iis, quae sub oculos sensumque cadunt, amplecti solent insitam rebus et aeternam naturam. Maxime Arabes retinuerunt et excoluerunt eas verborum notiones, quae primarias et verissimas hominis observationes sensusque vitales exprimant; porro Hebraei lingua ea, quam natura homines ipsa docuit, res divinas ac spirituales renuntiarunt simplicitate illa et veritate sermonis, cuius vix gustum nos Occidentales percipere possimus. Sed de Syris neque hoc neque illud praedicari potest.

Sublata autem sermonis hac simplicitate et veritate nativa, quae demum copia eius et ubertas scaturiret! Apud Aramaeos notio radicum primaria iam pridem interiisse videtur. Exoptavit olim vir summus Albertus Schultensius (Origg. Hebr. Lugd. Bat. ed. II. pag. 190.), ut post editam Bibliothecam illam praestantissimam Assemanus novum lexicon Syriacum scriberet, quod vetustam dialecti huius indolem et abundantiam hauriendam daret; sed vota lexici Syriaci ad nostra usque tempora a permultis frustra prolata. Neque vero recte si iudico multum emolumenti caperetur ex lexico Syriaco ad primigenias vocum Semiticarum significationes eruendas, propterea quod lingua Aramaea prorsus im-

memor facta est primae radicum significationis [1]). Relicta enim vitae simplicitate et spreta fide naturae luxuriare coeperunt Assyrii, Syri, Babylonii, mollescere et torpere. Accedit quod lingua Arámaea multarum gentium communis erat, quae oris alieni et variae originis erant. Ita demum factum est, ut lingua Aramaea magis magisque originum suarum oblita facultatem amiserit, se ipsam excolendi et servandi, atque rescissis radicibus neque exserere se potuerit novas in flexiones; ut proprietates linguarum Semiticarum absterserit, verba denique aliena fere innumera civitate donare haud dubitarit [2]). Id quod paucis exemplis demonstrabimus.

In Verbis Semiticarum linguarum elementa omniumque vocabulorum radices conspiciuntur. Ex verborum infinitivis et participiis formantur simplicissime nomina. In lingua autem Aramaea modo periit antiqua simplicitas et formandi flectendique facilitas et volubilitas. Vocalium enim sonique mutatione verbi statum sensumque flectunt ceteri Semitae; Aramaei vero ubique praeformativis utuntur ad infinitivos et passiva formanda. Ita infinitivi apud Arámaeos iam origine nomina videntur neque aliter participia abeunt in adiectiva, ita ut cum pronominibus et verbo הוה copulata novam coniugationem constituant. Nominum abstractorum magnus numerus est et finales nominum syllabae sunt graves sono, forma multifariae et extensae. Ita ubique vis vigorque linguae fractus et debilitatus videtur in interna formarum flexione. Status constructus fere iam nullus est apud Aramaeos,

---

1) En pauca exempla: רעש strepuit, convenit cum strepitu. Syr. consensit. גזל rapuit, Syr. ܐܬܓܙܠ correptus, inflammatus est ܢܩܦ (נקף abscidit circumcirca, cinxit) Syr. adiunxit se, cohaesit. Aph. incepit.

2) Cf. Gesenius de Bar Bahlulo p. 28: „Acquiescit auctor in aliorum opinionibus diligenter conquirendis, suam doctrinam adhibet suumque iudicium interponit paene nunquam, ita ut pateat, illius temporis interpretes et philologos utpote etymologiae ope destitutos et solam antiquiorum interpretum auctoritatem sectantes in multorum vocabulorum potestate definienda mirum in modum fluctuasse adeoque plane caecutiisse.“ Neque tamen inficias eo, multum valere Syriacae linguae collationem ad Lexica Hebraea exornanda et amplificanda. Operae pretium esset facturus, si quis phrases varias, locutiones et sententias ex Ephraemi aliorumque scriptis et poematis congereret ad dictiones Hebraeas illustrandas. Gaudio magno excepturi sumus editionem Lexici Bar Bahluli proxime ni fallor instantem.

genitivus formatur praefixo ד, accusativus praefixo ל et addito suffixo verbi. Quia vero neque forma neque flexione neque sono verba arctius ligantur, crescit particularum, pronominum personalium et suffixorum, porro coniunctionum et verbi substantivi abundans usus, quibus membra orationis torpida, rigida et immobilia quasi caemento quodam iungantur et coalescant. Quousque autem sui ipsius sensum amisisse iudicanda est lingua illa, quae vix discrimine habito verba aliena, Persica, Armenia, Graeca, Latina assumpserit, immo particulas Graeca ex lingua mutuata sit [1]?

Haud negaverim, hanc, quam diximus, ab incunabulis fuisse linguae Aramaeae indolem et naturam, tamen rationi consentaneum est ipsiusque linguae historia probatur, magis magisque in deteriorem statum abiisse linguam Aramaeam et motionum flexionumque facultatem simul cum verborum primigeniis significationibus et linguae Semiticae proprietatibus amisisse. Ita iam constat inter omnes, Syriacam dialectum, cuius doctores Maronitae nobis exstiterunt, minime retinuisse genuinam et antiquam verborum pronuntiationem, quod ipse Maronitarum heros Assemanus probe agnovit. Tria potissimum hic notanda sunt, 1) quod Iacobitae vocalem Zekofo sono o, Chaldaei per a efferunt; 2) quod litteras otiosas habent maxime in coniugatione verbi; 3) quod duplicatam litteram non admittunt. Syri Nestoriani minime his in rebus conveniunt cum Iacobitis. Bar-Hebraeus quidem (Assem. B. III, 1. 100) incusat Iosephum Huzzitam, Nisibenae scholae praefectum, quod lectionem Edessenam in Orientalem [2]), quam Nestoriani usurpent, immutaverit, sed Assemanus recte monuit, (II, 407; T. III. P. II, 379.) retinuisse potius Nestorianos in modo proferendi Syriacas voces genuinum vel saltem genuino propriorem veterum Chaldaeorum legendi modum. Zekofo enim a pronuntiant geminantque litteras, quibus praecedit Zekofo vel Petocho, sequenti vocali Petocho vel Revozo [3]). Ipse autem Assemanus audiatur. „Pro Orientalibus," inquit, „tota antiqui-

---

1) Cf. Hoffm. Prolegg. §. 4. Böttger Supplementa ad lex. Syr.

2) Consuetum est, Syros distribuere in Occidentales et Orientales. Syri ipsi medium faciunt Tigrim, minus tamen hac in re sibi constantes.

3) Cf. ῥαββί, γαββαθᾶ, ἀββά, ἐφφαθά, μαμμωνᾶ, Σαῤῥά et in Genesi פַּדַּן אֲרָם. Cf. Ewald, Abhandlungen z. orient. Litt. pag. 89.

tas clamat eosque priscum legendi Syriace morem retinere suadent tum voces, quae apud veteres scriptores Graece et Latine e Syriaco sermone expressae leguntur, ut Abba, Talitha, Phadana, Haceldama, tum urbium pagorumque nomina in Assyria, Mesopotamia et Phoenicia, quae Orientalium more usque in praesentem diem pronuntiantur, ut Caphar - Aura, Caphar - Hata, Resmaya et cetera huiusmodi [1]), quae a Syris Maronitis et Iacobitis secundum propriam illorum dialectum aliter proferri deberent." Accedit quod nostro quoque tempore iis in regionibus, ubi sermo Syriacus adhuc vulgaris est, apud Mosulam et in quibusdam Assyriae partibus, idem pronunciandi modus reperitur [2]). — In verbo denique olim non otiosas fuisse litteras finales apud Syros Wisemanus ex antiquissimis versionis Simplicis codicibus demonstravit, qua de re postea accuratius dicendum erit.

Quae quum ita sint, iam ad nihilum redeunt discrepantiae inter Chaldaicam et Syriacam linguam, quas recensuit Winerus (Gramm. des bibl. u. targ. Chald. pag. 9.) atque ea scribendi ratio, quae in libris Danielis et Esrae observatur, pro genuina linguae Aramaeae forma agnoscitur, id quod probatur Samaritanae quoque dialecti consonantia et affinitate. Eodem modo, quae in Daniele et Esra observantur a seriori grammatica et consuetudine varietates, eas non Hebraismos dixerim, sed antiquioris linguae formas et reliquias. Syri et Samaritani discrimen gutturalium א et ה fere tollere easque permutare et miscere solent; in Daniele autem adhuc exstat aliquoties ה antiquum, ubi postea litterae א cessit, ex. gr. in coniug. Aphel et Ithpeel, in pronomine אנה (1. pers.), אנתה (2. pers. masc.). In Daniele habes porro formam dagessatam אִנּוּן, postea אינון, relativum דִּי cui postea solum Dolath substituitur. דִּי autem ortum est ex זֶה et זו (cf. Syr. ܕܝܠܟ, pron. poss.). Etiam in Palmyrenis inscriptionibus די et דנה occurrit. Tertiae pers. plur. suffixa verbi non leguntur in Daniele et Esra, sed pronomina seorsim

---

1) Chald. שְׁלָם. Cf. in Anthologia epigrammatum lib. III, in Meleagrum:

Εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ, Σαλάμ· εἶ δ' οὖν σύγε Φοίνιξ
Ναίδιος· εἰ δ' Ἕλλην, Χαῖρε.

Alia exempla Chaldaicae pronuntiationis infra proferentur.

2) Roediger, Zeitschr. f. K. d. M. II. B. p. 84.

ponuntur ut apud Syros. Passiva verbi forma קְטִיל, quae antiquam prodit facultatem, vocalium mutatione notionem flectendi, in Daniele tantummodo et Esra conspicitur [1]). Item forma Hophal Dan. IV, 33. Esra IV, 17. Minime autem flexionem passivam vocali factam a linguae Aramaeae genio alienam primum fuisse, ex sat multis apparet reliquiis, maxime nominibus derivatis. Cf. Chald. הַנְפֵּק et מְהוּנְפָק, Syr. ܬܘܫܠܚܬܐ; תּוּשְׁלַחַת תּוּשְׁלָחוּת מוּקְדַשׁ et Syr. ܬܘܕܝܬܐ, I. Timoth. IV, 7. 8. ܬܘܩܕܢܐ inflammatio, incendium, ܬܫܥܒܘܕܐ, subactio in servitutem, et alia multa [2]). Praet. pers. 2. masc. in Daniele haud raro scribitur קְטַלְתָּה vel קְטַלְתָּא, in pers. 1. restat aliquoties י, 1. pers. plur. finitur syllaba נָא, ubi Syri posteriores ـܢ vel ـܝܢ (conferas 3. plur. fem. duplicem formam et Imp. פַּקְּדְנָא Syr. ܦܩܘܕܝܢ). Tertiae pers. fem. habes formam ־ַת Dan. VII, 8; formas segolatas quoque Dan. II. 45; V, 11. 12 [3]). Tertiae pers. plur. forma masc. et fem. non diversae sunt. Observatione digna est etiam forma Futuri verbi הוה cum praefixo ל. (Win. §. 44, 4.) Iis tantummodo formis ל praefigitur, quae י incipiunt, (3. plur.) quod deinde eliditur. Nonne analogia hic cernitur Syriasmi [4]), ubi pers. 3. loco Iud semper praefigitur Nun? Infinitivi vocali ־ָא finiuntur, at vero ante suffixa ות (raro in stat. absol. Targum. Ps. CII, 32., Num. IX, 17., Esth. I, 5.) ut apud Syros, unde Syrorum forma absoluta ـܘ manasse videtur. Notam Accusativi ית non prorsus ignotam fuisse Syris inde probabile fit, quod in versione N. T. Simplici aliquoties legitur, Ephraemo quidem notante, ex Hebraeo hanc particulam sumtam esse [5]).

At vero ne cui esse longiores videamur, ad propositum revertendum est. Aramaeae igitur linguae, ut Babylone in

---

1) Winerus §. 13. 2. Cf. ܐܬܩܝܡ erectus fuit.

2) Schultens. institt. Aram. p. 67. sq. Winer §. 28. num. 15. 17.

3) Debeo haec exempla partim viro clarissimo Bleekio, cuius scholas Chaldaeas olim frequentavi.

4) Iud praeformativum reperitur etiam in versione Hierosolymitana teste Adlero. Contra Nun praeformativum in paraphrasi Proverbiorum legitur. Cf. Dathe de ratione consens. vers. Chald. et Syr. Provv. p. 16.

5) Gen. I, 1.; Eccles. II, 3.; III, 17.; IV, 1.; Cant. III, 5.; VIII, 4.

usu fuit, habemus exempla in Daniele et Esra. Haec inter fragmenta et versionem Syrorum Simplicem medium quasi locum tenet paraphrasis Onkelosi, quae patria esse dicitur Babylonica, aetate Christo fere aequalis. Targumistae celeberrimi Chaldaismus iam propior ad Syriasmum accedit. Cf. ex g. Genes. II, 16. Onkelos: ועבד יי. ית תרין נהוריא רברביא ית נהורא רבא למשלט בימםא וית נהורא זעירא למשלט בליליא נהירא etc. Peschito: ועבד אלהא תרין נהירא רורבא נהירא רבא לשולטנא דימםא etc. Gen. XXXXIX, 6. Onkelos: ברזיהון לא־הות נפשי באתכנושיהון למהך לא־נחתית מן־יקרי ארי ברוגזהון קטלו קטול etc. Peschito: בראזהון לא עלת נפשי ובכנושיהון לא נחתת מן־איקרי מטל דברוגזהון קטלו גברא etc.

Docent haec exempla [1]) utriusque linguae consonantiam, varietatem autem in vocabulis, in flexione formarum, in pronunciandis ac scribendis vocibus, denique particularum diversitatem; ita ut Aramaeae linguae recte iam dialectus Chaldaea opponatur alteri eiusdem linguae formae, quae in versione Simplici apparet vulgoque Syriaca appellatur [2]). Iudaei Palaestinenses linguam Aramaeam Babylone didicerant, quare ad dialectum Babylonicam s. Chaldaeam referenda est lingua Aramaea Palaestinensis. A nonnullis quidem dubitatum esse monuimus, in exsilio Iudaeos linguam Aramaeam accepisse, quum diu post exsilium lingua Hebraica in usu perstiterit. Etiamsi vero lingua Hebraica ipsius Esrae tempore satis nota fuerit plurimis Iudaeis, non minus linguam Aramaeam iis vulgarem fuisse, ut alia omittam, inde patet, quod Esrae libro Aramaea capita inserta sunt. Antiquitatis pietas et religio monuit, ne eius linguae obliviscerentur, qua patres usi et libri sacri conscripti erant; nihilominus quotidianae vitae consuetudo et necessitas magis magisque Aramaeam

---

1) Maxime Proverbiorum paraphrasis Chaldaea ad Syriasmum accedit. Elias Levita in Mas. Hammas. scribit de Maronitis, quibuscum Romae convenerat, propriam eorum linguam esse Chaldaicam, quam etiam vocent Aramaeam, Babylonicam, Assyriacam, Syriacam, Targumicam.

2) Cf. Haevernickius p. 104. Ios. Scaliger Epp. l. IV. ep. 449.: „Syriasmi multae fuerunt propagines, sed illa omnium nobilissima Syriaca dialectus, qua V. et N. T. conscriptum est. Tempore Christi ea in tractibus Antiochiae, Coelesyriae et Mesopotamiae in usu erat. In Galilaea alia dialectus, et aliis in partibus aliae, quae omnes uno nomine Aram comprehenduntur.“

linguam induxit. Quum autem lingua Aramaea patrio sermoni admodum vicina esset et cognata, ipsa dicebatur πάτριος γλώσσῃ, II. Macc. XIII, 37. Ioseph. B. Iud. praef. §. 1., et Ἑβραΐς διάλεκτος, ut supra monuimus. Talmudistae autem hanc denominationem explicant עבריה לשון דעבר הנהר (Lightfoot ad. Ioa. V, 2.), qua re ipsi testantur, Babylonem esse linguae Palaestinensis patriam. Pronuntiationem si quaeris, ea prorsus convenit in iis vocabulis, quae in N. T. leguntur, cum dialecto Chaldaica, ad quam etiam Samaritani magnam partem ex regione Transeuphratensi advenae proxime accedunt. Haevernickius memorat, Palmyrena quoque monumenta cum dialecto Babylonica plerumque convenire. Cf. Haevernick. pag. 106. Hoffm. Gramm. Prolegg. §. II, 4. ann. 2.

Aliquot saeculis peractis linguam Palaestinensem multis in rebus a lingua Babylonica distinctam fuisse, ita ut propriam demum dialectum constituerit, haud mirum est. Quare Talmudistae distinguunt inter סורסי et ארמי, dialectum Palaestinensem et Babylonicam (Baba Kam. fol. 83, 1. Sota 49, 2.), quamvis in Gemara Hierosolym. aliisque glossarum locis סורסי eiusdem significationis esse dicatur cum ארמי [1]). Illud סורסי Talmudis est autem minime lingua, quam nos Syriacam dicimus, glossa ipsa ad Sotae locum citatum notante, linguam Syriam appellari eam, qua Gemara Hierosolymitana conscripta sit.

Sed hic subsistendum est, nam quae porro post diruta Hierosolyma inter Iudaeos et maxime doctores Rabbinicos variae linguarum formae excultae sunt, non tam ad Aramaeam linguam referendae, sed per se examinandae et componendae sunt [2]). Eam tamen dialectum, quae in plebe ipsa Palaestinensi etiam

---

1) Nedarim 66, 2. vir Babylonius et femina Hierosolymitana inter se colloquentes proferuntur, inter quos magna exoritur perturbatio et altercatio, quum idem vocabulum aliter vir intelligat aliter femina. Vocabulorum exempla traduntur.

2) Gl. Ridley de Syriacarum N. T. verss. indole atque usu: „Chaldaea dialectus, in qua Daniel et Esra scripserunt, paululum degenerata est in Chaldaicam, quae apud Targumistas invenitur et temporibus N. T. in Palaestina usitata erat. Chaldaica iterum novam formam et novum nomen induit Hierosolymitanae post diruta Hierosolyma (Buxt. Tiber.). Postea in Babylonia sex scholas erexerunt Iudaei; Babylonicam dialectum inde dicimus."

posteriori tempore superstes fuerit, magnopere illam depravatam, reperisse sibi videtur Adlerus in versione N. T., quam ipse Hierosolymitanam dicit et saec. IV. vel V. factam habet. — Chaldaeae igitur dialecti, ut tempore Christi vulgaris erat, duplicem tantum statuamus formam, Babylonicam et Palaestinensem.

Palaestinensis dialecti varietas ab illa, in qua Simplex scripta est, apparet maxime ex loco Actorum I, 19., ubi in Simplici legitur: ܘܗܘܝܕܥܐ ܐܬܝܕܥܬ ܡܥܡܪܬܐ ܗܝ ܒܟܠܗ ܕܐܬܪܐ ܢܡܘܣ ܕܗܢܐ ܐܬܩܪܝܬ ܒܠܫܢܗ ܡܩܪܝܬ ܚܩܠ ܕܡܐ.

Propria igitur illius regionis lingua s. dialectus ponitur, cuius verba interpretatione careant apud Syros [1]). Quamquam enim vocabulum ܢܡܘܣ haud ignotum fuit Syris, tamen minus usitatum fuisse videtur, perraro enim in Simplici legitur, in Onkelosi paraphrasi iam in Geneseos primis capitibus saepius obvium. Accedunt alia quaedam. Forma Golgotha Syris vix usitata est [2]), in Simplici legitur ܓܓܘܠܬܐ; Gabbatha est vox Chaldaica a גבב, lapidibus viam sternere, cuius loco Peschito habet ܓܦܝܦܬܐ [3]). Boanerges est Chaldaicum; nam ܪܓܫ apud Syros est sentire, cognoscere; apud Chaldaeos vero rugire, strepitum facere, tonare (teste Boderiano in peculio Syr. Chald.) Quare recte Marc. *υἱοὶ βροντῆς*, Pesch. ܒܢܝ ܪܥܡܐ. Chaldaei *ἀββᾶ* cum b duplici legunt; Syri ܐܒܘܢ, a quo suffixum vix potest disiungi. Sed Marc. V, 41. et VII, 34. verba *ταλιθᾶ κοῦμι* et *ἐφφαθά* pror-

---

1) Cf. Act. II, 8.: *Οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι, καὶ πῶς ἡμεῖς ἀκούομεν ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν . . . οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν* etc.

2) Cf. apud Gesen. in Thesauro formam Samaritanam et Arabicam.

3) Eadem proculdubio est vox Gabbatha et ܓܦܝܦܬܐ. Beth enim saepe abit apud Syros in Phe. בַּרְזֶל, ܦܪܙܠܐ — רִבְקָה, ܪܦܩܐ — בִּקְעָה, ܦܩܥܬܐ cf. גַּבִּים apud Ezechielem et גַּפִּים in Proverbiis. (c. IX, 3. גפי מרמי קרת cf. Schultensium ad l.) Matth. XXVII, 23. Peschito ܟܦܦܬܐ Cod. Guelpherb. ܟܦܦܬܐ. vid. infra.

sus conveniunt in utraque dialecto, quare neque legitur in Simplice interpretatio, quae addita est in textu Graeco [1]).

Appellant autem eam dialectum, qua Peschito scripta est, vulgo Syriacam. Concinit huius versionis dialectus cum sermone plurimorum, qui postea et in Mesopotamia et in Coelesyria Syriace scripserunt, ita ut in illo terrarum tractu Euphrates dialectos separasse non videatur [2]).

Quum antiquiora litterarum monumenta ex illis Syriae partibus non supersint, versionem autem nostram celeberrimam non multo post fundatam ecclesiam Christianam secuta sit ingens librorum multitudo, origines dialecti Syriacae hac ipsa in versione quaeri solent, quasi simili modo ac Lutheri versio novae litterarum consuetudini ac formae fundamenta iecerit. Quod tamen nimium videtur. Etenim nullo modo dubitari potest, multum et varium fuisse apud Aramaeos a priscis inde temporibus litterarum usum. Iam Reg. V, 11. litteras misisse dicitur rex Damasci ad regem Israelitarum. Daniel ספר כשדים didicisse fertur. Reges Chaldaeorum et Persarum annales historicos scribendos curarunt, quos in rebus dubiis inquiri iubent, res varias et antiquas amplexos. Cyri laudes multis in libris fuisse dictas Xenophon commemorat [3]). Illud sane semper tenendum est, non eundem fuisse apud Orientales litterarum librorumque usum atque apud Graecos, qui theatri ludos, orationes in foro et dialogos in ambulando habitas omnemque disciplinarum artem et explicationem litteris mandabant, quare Graecorum copia collata Orientalium magnam librorum inopiam diceres. Sed satis scribendo excultam et exercitam fuisse linguam Aramaeam inficias ire non possumus, quamvis litterae antiquae ad nos nullae pervenerint, quod nemo mirabitur, qui regnorum interitum rerum-

1) Alpheyus, de linguae Syriacae usu in N. T. Ienae 1704. pag. 35. sq.

2) In universum bene de dialectis linguae Aramaeae Saubertus de stud. ling. Hebr. utilitate: „Syra lingua in tres scissa dialectos, Babylonicam, quae purissima, altera Hierosolymitana Christo vernacula, tertia Antiochena κατ' ἐξοχὴν Syra dicta.“

3) Qui Graecorum aetate historias scripserunt, Babylonii, Tyrii, Cnidii, omnes hausisse se testantur rerum gestarum notitiam ex monumentis antiquis. Scripta Chaldaeorum et Babyloniorum fuisse multa testis est Eusebius quoque Chron. Arm. p. 18.

que omnium vicissitudines Orientisque fata miserrima rite perpenderit. Nonne totam librorum Syriacorum farraginem fere solis monasteriorum claustris debemus? Quare eo tempore quo Biblia vertebantur, Aramaeam linguam scribendo satis tritam fuisse non dubitamus. Graecis tamen litteris advectis et fundata ecclesia Christiana prorsus aliam et novam rerum Aramaearum condicionem exstitisse non opus est quod moneamus.

Duplex autem rerum ratio ex illo tempore distinguenda est; multis enim in regionibus Graecam linguam plane receperant Syri, in aliis vero propriam linguam retinentes, Graeca exempla imitati, in universum rem litterariam ad Graecorum instituta et consuetudinem conformare coeperunt. Inde diversa rerum condicio est in regionibus tum cis Euphratem tum trans eum sitis. In Syria Damascena et Antiochena lingua Aramaea in plebeium et ruralem usum detrusa et restricta, Edessae et in plurimis Mesopotamiae oppidis non solum ubique vigebat sed etiam in scholis et academiis ad disciplinae regulas excolebatur. Quare puriorem fuisse linguam Aramaeam in Mesopotamia verisimile est, impuriorem et rudiorem in Syria proprie dicta. Etenim quo propius cum lingua Graeca contingebat Aramaea, eo maiorem vocabulorum suppellectilem ex illa sibi assumsit, eo facilius cum rebus Graecis nomina quoque Graeca civitate donavit. Maxima autem in pronuntiatione discrepantia variis in regionibus fuisse videtur. Recte quidem lingua Aramaea in universum *πλατύστομος* dicitur[1], sed inter ipsius dialectos altera alteram ruditate et pronuntiatione lata, fusca et obtusa superavit. Maxime id in consonantium mutatione et vocalium distractione et compressione cernitur. In Galilaea aliam pronuntiationem fuisse atque in Iudaea notissimum est, quae diversitas ni fallor maxime ad vocales et litteras sibilantes pertinuit[2]. Ita Iesus dicitur *Ναζαραῖος*; ut vero magis contemptus notaque vilitatis huic nomini impressa appareat, scribitur nonnunquam ab Evangelistis *Ναζωραῖος*[3]. Vide num ve-

1) Nonnus ad Ioh. 9, 13.: *ἐνδαπίῳ δὲ — Γαβαθὰ παφλάζοντι, Σύρῳ κικλήσκετο μύθῳ.*

2) Cf. quae Grimmius de litterarum aspiratarum, mutarum et tenuium mutatione accurate et docte disseruit. Eadem fere inter Semiticas linguas dialectorum varietas cernitur, quae inter Indo-Germanicas et linguae Germanicae variorum et temporum et locorum varias formas.

3) Cf. *Γάδαρα* et *Γάδωρα*.

stigium habeamus Syriasmi posterioris. Quantopere rudiori plebeia lingua voces mutilentur et varientur, satis cognitum est; exemplum apparet ni fallor in voce Boanerges [1]). Etiam in voce Ἐλωΐ Marc. XV, 34., haec Syriasmi forma conspicua est. Maxime igitur in Galilaea et Libani regionibus eius dialecti origines quaererem, cuius pronuntiationem et grammaticam Maronitae nobis tradiderunt, et quam Syriacam vulgo dicimus.

Si vero dialectus Galilaea [2]) propius accedebat ad Maronitarum pronuntiationem, Hierosolymitana autem ad Chaldaeam, iam videntur duo potissimum distinctae fuisse linguae Aramaeae formae s. dialecti, una, quae in terra Chaldaea vigebat, cuius pronuntiationem hodieque Nestoriani sequuntur et Iudaei Chaldaice loquentes, altera cuius origines in Coelesyria quaerendae sunt. Chaldaeam dicimus puriorem et genuinam linguae Aramaeae pronuntiationem. Quod autem in Galilaea in sonos partim vel fortiores vel molliores, partim in vocales magis obscuras et obtusas abiit lingua Aramaea, factum maxime est affinitate linguae Phoeniciae. Apud Phoenices enim Kamez mutatur in Syrorum Zekofo, חִירָם — 1. Reg. V, 24. 32.; VII, 40. חירום (Εἴρωμος) הֲדַד ap. Phoenices Ἄδωδος; עֲנָק Ios. XXI, 11. ענוק, porro מגדול pro מגדל, item ap. Phoenices עילום Hebr. עוֹלָם (cf. II. Chron. XXXIII, 7. עֵילוּם [3]). Nec non terminatio

---

1) Lud. de Dieu: „Memini me ex clarissimo viro Erpenio audire, habere se ex ore doctissimi cuiusdam Maronitae, nullis praeceptis grammaticis ac vix viva voce doceri posse, quem sonum Schewa habeat apud Syros praesertim sub gutturalibus.“ Cf. Lightf. ad loc. Marc.: „Iudaei in hunc usque diem Schewa per oa enuntiant, ut Noabhim.“

2) In libro Talmudico Eruvin Galilaeus quidam reprehenditur, quod eius ex ore non distingui possint vocabula חמר (vinum) עמר (lana) אימר (agnus). Gutturales igitur non distincte pronuntiabant, id quod de Phoenicibus quoque observatum est, qui א et ע fere promiscue utuntur. Deinde duriuscula et austerior erat eorum pronuntiatio, cuius exemplum idem liber affert (Buxt. Lex. Talm. 2417.), muliere Galilaea pro תאי דאיכלך חלבא dicente שלוכתי תוכליך לבא. Cf. Buxt. p. 436. Martini, de ling. Galil. Wittenb. 1683. Ideo contemta fuit Galilaeorum lingua Iudaeis, de quibus Hieronymus Ep. ad Tit. c. 3. „Si forte erraverimus in accentu, in extensione et brevitate syllabae vel brevia producentes vel producta breviantes, solent Iudaei irridere nos, maxime in aspirationibus et in quibusdam cum rasura gulae proferendis.“ Corripere etiam solebant Galilaei syllabas quasdam et voces arctius dicendo connectere.

3) Cf. Movers, Ersch. u. Gr. Encl. art. Phoenizien p. 435.

natio feminina אָ efferebatur per o, ex. gr. *Θουρώ* — *Δωτώ* [1]), Dido, Carthago. Vocalis o autem transit apud Phoenices in u. Satis porro constat, Phoenices non solum in Galilaea, Coelesyria, in Syria Damascena et Palmyrena habuisse colonias suas, emporia, viarum forique commercium, sed etiam eorum plurimos in Mesopotamia, ad Euphratem maxime sedes habuisse. Cessit lingua Phoenicum tempore Seleucidarum et Romanorum partim Graecae partim vero Aramaeae; ut autem ipsa multa pridem ex Aramaea lingua receperat, ita Aramaea lingua illis in terris Phoeniciae similis evasit. Simul rudior facta est, ex oppidis in vicos depulsa et ore tantum agrestiorum hominum prolata [2]). Neque tamen potuit quin Graeca multa vocabula reciperet, maxime, quum qui eruditione caruisse videntur et in solitudine vel per vicos dispersi fuerant, postea in oppidis congregati, primum mores Graecorum deinde doctrinam Christianam docerentur. Ita demum Aramaeae linguae dialectus prodiit, qualis Iacobitarum erat et cuius praecepta grammatica in Occidente propagata sunt.

De magna dialectorum varietate et linguae Aramaeae corruptione queruntur ipsi postea Syri. Iacobus Edessenus quattuor affert auctores, quorum sermonem tanquam normam sequendum suadet, Ephraemum, Iacobum Sarugensem, Isaacum Syrum et Xenaiam Mabugensem, unde satis evincitur, apud ceteros multa eum reperisse, quae a recta linguae tramite aberrarent. Quia solae consonantes scriptura consignabantur, pronuntiationis varietas in libris scriptis vix observata est; sed etiam in vocabulorum usu rebusque grammaticis dialectorum magna erat discrepantia. Assemanus notat, Iacobitarum et Nestorianorum grammaticam praeter varietates supra expositas aliis quoque rebus minoris momenti diversam esse. Bar-Hebraeus sua aetate tres dialectos distinguit, quarum elegentissimam dicit Aramaeam, quae sit lingua incolarum Rohae et Harran et Syriae exterioris; ei succedere Palaestinensem, qua utantur Damasci et montis Libani et Syriae interioris incolae [3]); omnium perditissimam esse Chaldaicam Nabataeam, in montibus Assyriae et pagis Iraci usitatam. Lau-

---

1) דתא cf. Deuter. XXXIII, 1.

2) In oppidis lingua Graeca viguit cf. Ios. Antiq. XIV, 10. §. 2. 3.

3) Syriam interiorem et exteriorem Euphrates dirimit.

dabatur maxime inter Syros lingua Edessena: ܡܡܠܠܐ ܐܘܪܗܝܐ (ܐܘܪܗܝ i. e. Edessa.) [1]).

Ad dialectum Mesopotamiae et Assyriae proxime accedunt Nestoriani; Palaestinensis in monasteriis Maronitarum satis integra et repurgata ad nostra usque tempora pervenit; in Assyria et Armenia autem eo usque lingua Aramaea delapsa est, ut prorsus degenerata ac paene exhausta videatur.

---

1) Cf. Hoffmann Prolegg. pag. 14. et locum Pocockii ibi laudatum. Gl. Ridleius (de Syriacarum N. T. verss. ind. atque usu) in universum recte iudicat: „Omnis Syria in tres partes divisa est: Syriam proprie dictam, Mesopotamiam et Chaldaeam; sunt et tres dialecti, Aramaea, Nabataea et Antiochena."

Addenda. Absoluta et prelo iam commissa hac commentationis nostrae parte nactus sum Dietrichii libellum de sermonis Chaldaici proprietate. Gaudeo maxime, quod auctorem diligentissimum plerisque in rebus consentientem video. Thesin proposuit, Chaldaismo biblico Hebraismos minime esse peculiares. Diversitatem Chaldaici et Syriaci sermonis accuratissime postquam exposuit, Lexici et Grammaticae ubivis ratione habita, in ea demum sententia acquiescit, esse duas Aramaici idiomatis species statuendas, Chaldaeam et Syriacam, sonorum pronuntiatione, formarum soliditate et copia atque orationis conformatione non parum diversas (pag. 53.). Quam diversitatem et ipse partim temporis partim locorum fuisse existimat. Insuper Syriacam dialectum ex contagio linguae tum Graecae tum Phoeniciae traxisse mutationes. Quae cum ita sint, neque mirum, quod maxima librorum fluctuatio est inter utramque linguae formam. Fabulae Aramaeae nuperrime editae Syriasmo propiores sunt. — Hisce ipsis diebus legi etiam Bernsteinii studia Syriaca, Zeitschr. d. M. G. III, 4. Cf. eundem de edendo Bar Bahlulo II, 3. Utinam tandem liceret Viro linguae Syriacae peritissimo Lexicon nobis Syriacum parare, ne incassum tantum laboris, temporis, industriae consumtum videatur!

Liber secundus.

De Syrorum ecclesia et versionis Simplicis origine.

Cap. I.

Ecclesiae Christianae in Syria primordia.

Primitiae ecclesiae Syriacae habentur vulgo Magi illi ἀπὸ ἀνατολῶν advenae, qui Iesum σπαργάνοις involutum adoraverunt. Sane qui vulgo Magi dicebantur, terram Babyloniam et Persidem incolebant. Magorum sectam satis numerosam Ctesiphonte fuisse, ex loco Maris Salomonis apparet de Maris Apostoli prima Evangelii praedicatione apud Assem. B. O. III, 2, pag. 22 [1]).

Petri orationi pentecostali (Act. II.) adfuerunt proselytae ex Mesopotamia et Perside Hierosolyma advecti, qui evangelicam praedicationem patriae proculdubio attulerunt. Damasci, cuius urbis mulieres fere omnes Iudaismo addictas fuisse Iosephus commemorat, paucis post Christi mortem praeterlapsis annis multi habitabant fratres, ex persecutione Hierosolymitana fortasse fugaces, quibus vincula mortemque Saulus parabat. Sed ultro citroque iam progressi fideles venerunt usque in Phoenicen et Cyprum et Antiochiam (Act. XI, 19.); Antiochiae autem primum Graecis quoque Evangelium nuntiaverunt ibique ecclesiam condiderunt, quae prae ceteris gaudere magistris et augeri coepit. Antiochia deinde egressi sunt Paulus et Barnabas, iubente Spiritu ab ecclesia missi, ad Evangelium in Cypro insula et Asia

1) In condenda Seleucia ad Tigrim sita μάγοι a Seleuco acciti. Cf. Appian. in Syr. Cf. Hieron. in Danielem: „Magi sunt philosophi Chaldaeorum et ad artis huius scientiam reges quoque et principes eiusdem generis omnia faciunt; unde et in nativitate Domini Salvatoris ipsi primum ortum eius intellexerunt.“ Plinius: „Magi Passagardas obtinent.“

praedicandum. Itaque primis iam ecclesiae lustris ubique in Samaria, Galilaea, Phoenicia, Antiochena regione et Cypro Evangelio fides data est [1]).

Dubium est, quis Mesopotamiae et Persidis Apostolus fuerit. In N. T. nullus huius rei nuntius allatus. Paulus non in Orientem, sed in Occidentem itinera faciebat; quocunque viarum ceteri Apostoli vecti sint, non traditur in Actis; narratur tantummodo, et Iudaeis et Graecis, in Iudaea et Samaria et ad fines usque terrae Evangelium esse praedicatum; Evangelium eiectum e Synedrio et templo Hierosolymitano ad Procuratoris usque tribunalia et subsellia Caesaris esse prolatum.

Neque vero in Epistolis vestigia ulla reperiuntur Evangelii trans Euphratem propagati. Petri I, 1. nulla Mesopotamiae mentio fit. Sunt quidem, qui Petrum Babylone aliquamdiu versatum fuisse autument loco innixi I. Petri V, 13.: Erasmus, Drusius, Basnagius, inter recentiores Neander aliique. Sed Babylone illo tempore satis devastata et fere diruta alii ut Spanhemius, Pearsonius, Calovius hoc loco Babylonem Aegyptiacam s. Memphiticam intelligunt, eo simul usi argumento, quod eodem versu Marci salutatio contineatur, quem vulgo Aegypti Evangelistam habent. Accedit, quod Syrorum ipsorum traditio Petrum non numeret inter Babylonicae terrae Apostolos [2]), quos fuisse narrant Bartholomaeum, — quem eundem habent quem Nathanaelem — et Thomam, simulque ex LXX discipulis Adaeum et Marem. Tradunt enim scriptores posteriores ab Assemano (B. O. III, 2, pag. 5.) laudati, docuisse illos Geziram (Mesopotamiam) et Mosul (Assyriam) et Savadam (Chaldaeam) et Babyloniam et Adiabenem. Est tamen satis inconstans sibi et dubia haec traditio. Prae ceteris Bartholomaeus ex XII nomine insignitur Apostoli Aramaeorum, Thomas vero Indorum, cuius corpus Edessam translatum esse perhibent. Quae de Matthaei et Iudae, filii Iacobi s. Lebbaei

---

1) In Syria Evangelii vox ad omnium aures pervenit. Damasci Aretae Ethnarcha a Iudaeis excitatus Paulum capere voluit; Herodes Antipas Iacobum trucidavit; Cypri Proconsul Sergius Paulum audivit, Caesareae Paulus coram Felice, Festo et Agrippa orationem habuit.

2) Dicunt quidem nonnulli, Petrum Babylonem venisse, sed loco illo I. Petr. V. pro testimonio abusi, quem Syrorum alii ut Bar-Hebraeus aliter explicant.

adventu in Mesopotamiam narrant, etiam magis obscura et lubrica sunt. Summo tamen consensu omnes id tradunt, prima ecclesiae Christianae fundamenta iecisse Adaeum (s. Thaddaeum), unum e LXX discipulis, post ascensionem Christi ad Abgarum, Edessae regem, missum, qui Abgarum plurimosque Edessae incolas (etiam Iudaeos) ad fidem vocaverit, et ab itinere in Orientem reversus ibidem mortem obierit (secundum quosdam interfectus ab Abgari filio et successore ethnico). Cuius Adaei duos iterum discipulos celebrant Syri, Aghaeum et Marim, illum Edessae post Adaeum episcopum et martyrem, hunc primum Seleuciae Apostolum et patriarchalis sedis custodem. Ea aetate trecentas sexaginta in Oriente exstructas esse ecclesias tradunt.

At vero haec de Abgaro rege et Seleuciae sede patriarchali dicta vix satis probata, sed digna sunt, quae accuratius examinentur. Abgarus ille, niger (ܐܘܟܡܐ) appellatus (per antiphrasin putat Bar-Hebraeus, quum lepra infectus albuerit) regnasse dicitur annis 8 — 45 p. Chr. [1]). Quis vero est, qui eius ad Christum et Christi ad ipsum datas epistolas genuinas habeat! Constat, Abgari successores simulque Edessae incolas idolatriae etiam saec. II. addictos fuisse [2]). Simili modo in urbe Seleucia series episcoporum, quam a Mare Hebraeo, Adaei discipulo, auspicantur Syri, manca et mutila est. Obiisse ille dicitur anno Chr. 82; at deinceps si conferas catalogum Patriarcharum s. Catholicorum, ab Ios. Aloys. Assemano editum, primis post Christum saeculis lacunae reperiuntur nullo modo supplendae, dissentientibus etiam inter se in variis catalogis (cf. l. c. pag. 6.) annorum numeris ad Papam usque, qui tempore Concilii Nicaeni vixit, quo Simeonem et Saadostum legatos misit. Sed si dubitamus, primo iam saeculo Edessae regulos Christianae fidei addictos et patriarchalem sedem Seleuciae exstructam fuisse, nullo tamen modo dubitandum est, quin Evangelium etiam in Mesopotamia et Assyria illo tempore praedicatum et ecclesiae Christianorum satis multae conditae fuerint. Ut vero ad statum eccle-

---

1) Bayer, hist. Osrhoena pag. 95—125. Sed computationem illam vix rectam esse postea videbimus.

2) Etiam Ephraemi tempore Edessenorum plerique erant ethnici. Cf. Ephr. vitam ap. Assem. B. O. I.

slarum saec. II. et III. describendum progrediamur, opus erit, publicarum rerum brevem mentionem praemittere.

Cap. II.

Quae rerum Christianarum in Syria et Mesopotamia conditio fuerit saecc. secundo et tertio.

Syria occidentalis a Romano praesule regebatur, cuius sedes Antiochia erat, urbs in Oriente facile prima, opulenta, luxuriosa [1]). Provincia satis ampla erat et extensa, minime tamen ita Romanorum imperium hac in regione fundatum et stabilitum erat, ut non urbes regionesque multae proprio iure fruerentur. Seleucidis pars quaedam Commagenes concessa erat; Palaestina suos reges habuit, reguli item dominabantur in Arabia et Libani montibus; vix id effecerunt Romani, ut vias a latronibus tuerentur. In universum tamen per longum tempus pace gaudebat Syria; Antiochia, Laodicea, Apamea, Epiphania aliaeque urbes opibus divitiisque auctae sunt. Vectigalibus tamen fere supprimebantur incolae a Romanis et a singulis regulis, ita ut paucorum divitiae et luxuries ad paupertatem et inopiam plurimos adegerit. Deinde tota fere Syria perturbata est Iudaeorum seditionibus [2]), Graecorum adversus Iudaeos odio et saevitia [3]), bello denique Iudaico et Iudaeorum captivitate et exsilio. Paupertate, captivitate et Graecorum Romanorumque tyrannide premebantur etiam Christiani, quorum pars maxima Iudaei vel proselytae erant; multi fuga sibi consulentes, in deserto, in Peraea, in Libani regionibus novas sedes quaesiverunt. Quare si primum maxime in oppidis ecclesiae fundatae erant, iam in agros, vicos, solitudinem regionesque montanas Christiani dispersi sunt. Sed qui status fuerit ecclesiarum in Syria quaerimus, quae forma et interna ratio.

---

1) Romam si excipis, Antiochia et Seleucia maximae erant urbes totius orbis Romani. Cf. Mannert, VI. Th. I p. 467.

2) Quot Graecorum milia in sola insula Cypro Hadriani tempore a Iudaeis interfecta sint, ex Dione constat.

3) Etiam Babylone et Seleuciae adversus Iudaeos coniuratum et saevitum est Claudio Caesare.

Silent Apostolorum scripta ante expugnata Hierosolyma [1]. Quae Christus ipse omnesque eius Apostoli vaticinati sunt, ad finem et consummationem omnia pervenere. Hierosolymis exiit in totum orbem Evangelium Christi, sed cum Apostolis exierunt in omnem terram etiam simulatores, imprimis Iudaei, qui veram et salvificam doctrinam contaminarunt atque perverterunt. Antiochiae eo profecerunt, ut ipse Petrus et Barnabas pro tempore ad simulandum seducerentur. Saeculo secundo in ecclesiis recepta videmus Apostolorum Evangelia et Epistolas, sed vitam, mores, doctrinam omnesque institutiones ecclesiasticas simul corruptas et infectas pravo illo Iudaismo, cuius antagonistae per totam vitam Apostoli fuerant. Saeculo secundo Hierosolymis Symeon, Antiochiae Ignatius propter fidem Christianam martyrium subiisse dicuntur. Quid de Ignatii [2] epistolis et Graecis et Syriacis iudicandum, non huius loci est examinare; constat tamen, illo tempore hierarchicum systema ex Syriae ut videtur regionibus in Orientem et Occidentem exiisse. Saeculo secundo et tertio in Syria multarum rerum primordia ac principia progerminant. Unanimi consensu haereseon origines in Samaritanorum et Syrorum terras Patres deferunt. Ex Syria litterae pseudepigraphae, fabulae multae, evangelia supposititia, alia eius generis scripta provenerunt [3]. Syria patria est et Marcionis et Iustini; hic et Gnostici et Origenes semina doctrinae sparserunt. In Syria primum commentarii in Biblia scripti a Theophilo Antiocheno (Neander K. G. I. Thl. 3 p. 1136.), Serapione aliis, qui allegoriarum ista methodo delectabantur, quam postea Origenes divulgavit. Antiochiae Paulus Samosatenus primus Papam et dominum gerebat et dissidia ecclesiae iam in bella civilia degenerare videbantur. Caesareae bibliotheca prima collecta; Antiochiae schola exstructa et exegeseos artisque criticae iacta fundamenta. Monachatus et coelibatus, proprii Syriae foetus, — inter Iudaeos

1) Evangelium Ioannis et eiusdem Apocalypsin ante annum Christi 70 scripta esse, certis argumentis probari puto, quae proferre et examinare non est huius loci.

2) ܢܘܪܢܐ a Syris dictus.

3) Hegesippus, fabulator magnus, e Syriacis multa depromsit, teste Eusebio. Ex Evang. sec. Hebraeos nugas sententiasque aniles profert Hieronymus. Cf. quae infra hanc ad rem dicentur.

antea apud Essaeos et Eremitas satis vulgares, — in ecclesia potissimum Syriaca laudatores fautoresque nacti sunt, et quantus ibi martyrii furor fuerit, ex Eusebii libro (de martyribus Palaestinae) abunde cognoscitur.

Ex Syria occidentali haec omnia in orientalem transmigraverunt. Nam episcopo Antiochensi totus Oriens subiectus erat. Praemittamus autem iterum brevem civilium rerum in Mesopotamia conspectum, pleniorem tractatum historicum huic libro annexuri (vid. Excursum). Ex Vespasiani temporibus Edessa et Mesopotamiae pars maior Romanis a regibus Armeniae concessa, Abgaris tanquam Romanorum satrapis parebat et vectigalia Orientis Caesari congessit. Sed miserrima inde sors Mesopotamiae fuit, quippe quae Romanorum Parthorumque quasi arena et praeda videretur. Anno 115 (Pagi Criticam sequor) Traianus Edessam venit, ab Abgaro, qui Antiochiam iam munera miserat Caesari, laute exceptus; Traiano ipsam Parthorum regiam petente Abgarum, qui paulo post ad Parthos defecerat, Lucius dux Traiani Edessa expugnata coercuit et in ditionem redegit [1]). Mesopotamia, Armenia et Assyria provinciae imperii Romani factae, mox tamen ab Hadriano abiectae et repulsae. Palaestina eo tempore et Syria, adeo totus fere Oriens bello Bar Cochebae, acerrimo illo et furioso turbatae; Iudaei Hierosolymis cedere iussi, plurimi in captivitatem abducti. Edessae civiles tumultus inter Abgarum orti et Valem Sahari filium; ope Romanorum Abgarus restitutus. Cuius Abgari filius, qui ab anno 152 ad annum 187 regnavit, primus in nummis Crucis signum accepit [2]), ab Epiphanio (haer. LVI) vir sanctissimus appellatus, cui Bardesanes familiaris erat.

Parthis illo tempore imperavit Vologeses, acerrimus Ro-

---

1) Dio C. „Lucius recuperavit Nisibin; Edessam expugnavit direptamque incendit."

2) Cf. Bayer, hist. Edess. l. III p. 173., Assem. I p. 423. Anno 282, quum magna Edessae inundatio esset, aquarum impellente procella, templum quoque ecclesiae Christianorum (ܗܝܟܠܐ ܕܥܕܬܐ ܕܟܪܣܛܝܢܐ) concidisse, Notarii urbis litteris mandarunt. Notarii illi non fuisse videntur Christiani, fuisse autem regem Abgarum illo tempore Edessae imperantem, ex Africano Eusebius tradit in Chronico.

manorum hostis. Eum Lucius Verus a. 165 in officium redegerat, quum duces eius Prisc. Avid. Cassius et Martius Verus Babylonem, Armeniam et Mediam vindicarent. Romanam ditionem ingressum iterum Vologesem (a. 194.) Severus coercuit, captis multis urbibus inter quas Nisibis. Deinde ab Artaxerxe Persicum imperium restauratum est, quod Sassanidarum vocant [1]. Artaxerxis successor Sapores, infausti Romanis nominis, Nisibin, Carrhas ipsamque Antiochiam cepit diruitque et biennio post Caesarem ipsum Valerianum captivum abduxit. Urbe Roma bello civili tum lacerata, Odenatus Palmyrenorum rex Saporem in Persidem redire coegit. Sed nova bella parantes Persas et iterum iterumque irrumpentes debellarunt postea, quum Narses illis imperaret, Carus et Numerianus (a. 282.), capta Seleucia et Ctesiphonte atque Mesopotamia tota exturbata; iidem in Christianos, Decii iam temporibus etiam illis in regionibus vexatos, acrem persecutionem converterunt. Post Cari obitum Persae quum Mesopotamiam recuperassent, a Diocletiano (284) et Galerio (297) devicti sunt et Mesopotamia per quadraginta annos Romanis permansit ad annum usque Christi 337, quo Persae fracto foedere Mesopotamiam denuo ingressi Nisibin obsidione cinxerunt.

In tanta rerum civilium vicissitudine et perturbatione neque ecclesiae status pacatus fuit. Romano Martyrologio (ad d. Ian. XXIX et XXX) si fidem habemus, Traiani tempore Barsimaeus ecclesiam Edessenam gubernavit, qui postquam gentiles plurimos ad fidem convertit, ipse demum martyrio eam obsignavit. Paulo post Abgarus Maani filius religionem Christianam confessus esse videtur. Ei familiaris fuit Bardesanes, de quo haec habet Moses Chor. (l. II c. 63.): „Bardesanes Edessenus, historiarum scriptor, Valentinianae sectae primo discipulus, quam postea reiecit ac refellit, neque tamen ad veritatem se adiunxit, sed ab ea secta decedens aliam ipse haeresin instituit. Vir erat litterarum gnarus, qui etiam ad Antonium epistolam scribere ausus est multosque sermones contra Marcionitas atque simulacrorum cultum composuit.“ Ergo post fidem mox Gnosticorum haereses invectae sunt etiam in Mesopotamiam. Sed alia eaque gravior

---

1) Ex calculo Syrorum aera Persarum cadit in a. 227.

siarum saec. II. et III. describendum progrediamur, opus erit, publicarum rerum brevem mentionem praemittere.

Cap. II.

Quae rerum Christianarum in Syria et Mesopotamia conditio fuerit saecc. secundo et tertio.

Syria occidentalis a Romano praesule regebatur, cuius sedes Antiochia erat, urbs in Oriente facile prima, opulenta, luxuriosa [1]). Provincia satis ampla erat et extensa, minime tamen ita Romanorum imperium hac in regione fundatum et stabilitum erat, ut non urbes regionesque multae proprio iure fruerentur. Seleucidis pars quaedam Commagenes concessa erat; Palaestina suos reges habuit, reguli item dominabantur in Arabia et Libani montibus; vix id effecerunt Romani, ut vias a latronibus tuerentur. In universum tamen per longum tempus pace gaudebat Syria; Antiochia, Laodicea, Apamea, Epiphania aliaeque urbes opibus divitiisque auctae sunt. Vectigalibus tamen fere supprimebantur incolae a Romanis et a singulis regulis, ita ut paucorum divitiae et luxuries ad paupertatem et inopiam plurimos adegerit. Deinde tota fere Syria perturbata est Iudaeorum seditionibus [2]), Graecorum adversus Iudaeos odio et saevitia [3]), bello denique Iudaico et Iudaeorum captivitate et exsilio. Paupertate, captivitate et Graecorum Romanorumque tyrannide premebantur etiam Christiani, quorum pars maxima Iudaei vel proselytae erant; multi fuga sibi consulentes, in deserto, in Peraea, in Libani regionibus novas sedes quaesiverunt. Quare si primum maxime in oppidis ecclesiae fundatae erant, iam in agros, vicos, solitudinem regionesque montanas Christiani dispersi sunt. Sed qui status fuerit ecclesiarum in Syria quaerimus, quae forma et interna ratio.

---

1) Romam si excipis, Antiochia et Seleucia maximae erant urbes totius orbis Romani. Cf. Mannert, VI. Th. I p. 467.

2) Quot Graecorum milia in sola insula Cypro Hadriani tempore a Iudaeis interfecta sint, ex Dione constat.

3) Etiam Babylone et Seleuciae adversus Iudaeos coniuratum et saevitum est Claudio Caesare.

Silent Apostolorum scripta ante expugnata Hierosolyma [1]). Quae Christus ipse omnesque eius Apostoli vaticinati sunt, ad finem et consummationem omnia pervenere. Hierosolymis exiit in totum orbem Evangelium Christi, sed cum Apostolis exierunt in omnem terram etiam simulatores, imprimis Iudaei, qui veram et salvificam doctrinam contaminarunt atque perverterunt. Antiochiae eo profecerunt, ut ipse Petrus et Barnabas pro tempore ad simulandum seducerentur. Saeculo secundo in ecclesiis recepta videmus Apostolorum Evangelia et Epistolas, sed vitam, mores, doctrinam omnesque institutiones ecclesiasticas simul corruptas et infectas pravo illo Iudaismo, cuius antagonistae per totam vitam Apostoli fuerant. Saeculo secundo Hierosolymis Symeon, Antiochiae Ignatius propter fidem Christianam martyrium subiisse dicuntur. Quid de Ignatii [2]) epistolis et Graecis et Syriacis iudicandum, non huius loci est examinare; constat tamen, illo tempore hierarchicum systema ex Syriae ut videtur regionibus in Orientem et Occidentem exiisse. Saeculo secundo et tertio in Syria multarum rerum primordia ac principia progerminant. Unanimi consensu haereseon origines in Samaritanorum et Syrorum terras Patres deferunt. Ex Syria litterae pseudepigraphae, fabulae multae, evangelia suppositia, alia eius generis scripta provenerunt [3]). Syria patria est et Marcionis et Iustini; hic et Gnostici et Origenes semina doctrinae sparserunt. In Syria primum commentarii in Biblia scripti a Theophilo Antiocheno (Neander K. G. I. Thl. 3 p. 1136.), Serapione aliis, qui allegoriarum ista methodo delectabantur, quam postea Origenes divulgavit. Antiochiae Paulus Samosatenus primus Papam et dominum gerebat et dissidia ecclesiae iam in bella civilia degenerare videbantur. Caesareae bibliotheca prima collecta; Antiochiae schola exstructa et exegeseos artisque criticae iacta fundamenta. Monachatus et coelibatus, proprii Syriae foetus, — inter Iudaeos

---

1) Evangelium Ioannis et eiusdem Apocalypsin ante annum Christi 70 scripta esse, certis argumentis probari puto, quae proferre et examinare non est huius loci.

2) ܢܘܪܢܐ a Syris dictus.

3) Hegesippus, fabulator magnus, e Syriacis multa depromsit, teste Eusebio. Ex Evang. sec. Hebraeos nugas sententiasque aniles profert Hieronymus. Cf. quae infra hanc ad rem dicentur.

antea apud Essaeos et Eremitas satis vulgares, — in ecclesia potissimum Syriaca laudatores fautoresque nacti sunt, et quantus ibi martyrii furor fuerit, ex Eusebii libro (de martyribus Palaestinae) abunde cognoscitur.

Ex Syria occidentali haec omnia in orientalem transmigraverunt. Nam episcopo Antiochensi totus Oriens subiectus erat. Praemittamus autem iterum brevem civilium rerum in Mesopotamia conspectum, pleniorem tractatum historicum huic libro annexuri (vid. Excursum). Ex Vespasiani temporibus Edessa et Mesopotamiae pars maior Romanis a regibus Armeniae concessa, Abgaris tanquam Romanorum satrapis parebat et vectigalia Orientis Caesari congessit. Sed miserrima inde sors Mesopotamiae fuit, quippe quae Romanorum Parthorumque quasi arena et praeda videretur. Anno 115 (Pagi Criticam sequor) Traianus Edessam venit, ab Abgaro, qui Antiochiam iam munera miserat Caesari, laute exceptus; Traiano ipsam Parthorum regiam petente Abgarum, qui paulo post ad Parthos defecerat, Lucius dux Traiani Edessa expugnata coercuit et in ditionem redegit [1]). Mesopotamia, Armenia et Assyria provinciae imperii Romani factae, mox tamen ab Hadriano abiectae et repulsae. Palaestina eo tempore et Syria, adeo totus fere Oriens bello Bar Cochebae, acerrimo illo et furioso turbatae; Iudaei Hierosolymis cedere iussi, plurimi in captivitatem abducti. Edessae civiles tumultus inter Abgarum orti et Valem Sahari filium; ope Romanorum Abgarus restitutus. Cuius Abgari filius, qui ab anno 152 ad annum 187 regnavit, primus in nummis Crucis signum accepit [2]), ab Epiphanio (haer. LVI) vir sanctissimus appellatus, cui Bardesanes familiaris erat.

Parthis illo tempore imperavit Vologeses, acerrimus Ro-

1) Dio C. „Lucius recuperavit Nisibin; Edessam expugnavit direptamque incendit.“

2) Cf. Bayer, hist. Edess. l. III p. 173., Assem. I p. 423. Anno 282, quum magna Edessae inundatio esset, aquarum impellente procella, templum quoque ecclesiae Christianorum (ܗܝܟܠܐ ܕܥܕܬܐ ܕܟܪ̈ܣܛܝܢܐ) concidisse, Notarii urbis litteris mandarunt. Notarii illi non fuisse videntur Christiani, fuisse autem regem Abgarum illo tempore Edessae imperantem, ex Africano Eusebius tradit in Chronico.

manorum hostis. Eum Lucius Verus a. 165 in officium redegerat, quum duces eius Prisc. Avid. Cassius et Martius Verus Babylonem, Armeniam et Mediam vindicarent. Romanam ditionem ingressum iterum Vologesem (a. 194.) Severus coercuit, captis multis urbibus inter quas Nisibis. Deinde ab Artaxerxe Persicum imperium restauratum est, quod Sassanidarum vocant [1]. Artaxerxis successor Sapores, infausti Romanis nominis, Nisibin, Carrhas ipsamque Antiochiam cepit diruitque et biennio post Caesarem ipsum Valerianum captivum abduxit. Urbe Roma bello civili tum lacerata, Odenatus Palmyrenorum rex Saporem in Persidem redire coegit. Sed nova bella parantes Persas et iterum iterumque irrumpentes debellarunt postea, quum Narses illis imperaret, Carus et Numerianus (a. 282.), capta Seleucia et Ctesiphonte atque Mesopotamia tota exturbata; iidem in Christianos, Decii iam temporibus etiam illis in regionibus vexatos, acrem persecutionem converterunt. Post Cari obitum Persae quum Mesopotamiam recuperassent, a Diocletiano (284) et Galerio (297) devicti sunt et Mesopotamia per quadraginta annos Romanis permansit ad annum usque Christi 337, quo Persae fracto foedere Mesopotamiam denuo ingressi Nisibin obsidione cinxerunt.

In tanta rerum civilium vicissitudine et perturbatione neque ecclesiae status pacatus fuit. Romano Martyrologio (ad d. Ian. XXIX et XXX) si fidem habemus, Traiani tempore Barsimaeus ecclesiam Edessenam gubernavit, qui postquam gentiles plurimos ad fidem convertit, ipse demum martyrio eam obsignavit. Paulo post Abgarus Maani filius religionem Christianam confessus esse videtur. Ei familiaris fuit Bardesanes, de quo haec habet Moses Chor. (l. II c. 63.): „Bardesanes Edessenus, historiarum scriptor, Valentinianae sectae primo discipulus, quam postea reiecit ac refellit, neque tamen ad veritatem se adiunxit, sed ab ea secta decedens aliam ipse haeresin instituit. Vir erat litterarum gnarus, qui etiam ad Antonium epistolam scribere ausus est multosque sermones contra Marcionitas atque simulacrorum cultum composuit.“ Ergo post fidem mox Gnosticorum haereses invectae sunt etiam in Mesopotamiam. Sed alia eaque gravior

1) Ex calculo Syrorum aera Persarum cadit in a. 227.

haeresis saeculo tertio in Perside exorta est Manetis [1]), qui in Mesopotamia cum Archelao, episcopo Cascarensi, celebrem disputationem habuit (anno circiter 262). Idem Archelaus septem milia septingentos Christianos a Romanis militibus captos redemisse dicitur, unde magnus Christianorum tum temporis numerus evincitur; neque ipse Manes suam in Perside haeresin excogitasset, nisi fides Christiana altas ibidem radices egisset. In tota autem Mesopotamia et Perside primas partes tenuerunt episcopi Seleuciani, patriarchis Antiochenis subiecti. Abraham Cascarensis (98 — 120) Antiochiae esse ordinatus dicitur et pacasse persecutionem a Persis (i. e. Parthis) incensam; Achadabues vero non Antiochiae, sed Hierosolymis ordinatus, (139) quum apud Antiochiae praesidem tanquam Persarum explorator delatus poenam capitis subiisset, nisi fuga sibi consuluisset (B. O. T. II. p. 397.). Sciachlupha (162) initiatus est Seleuciae ab Orientalibus episcopis, bello Persarum cum Romanis intercedente. Haec tamen omnia non sunt satis probata; de episcopis Seleucianis vix certus nuntius allatus est ante Papam, qui exeunte saec. tertio et ineunte quarto sedem episcopalem haud multa cum laude tenuit, et causam schismatis praebuit, quum uni ecclesiae binos episcopos praeficere consuevisset (Assem. III, 2. p. 612.). Persecutiones contra Christianos commotae dicuntur prima a Traiano Edessae, altera Decii temporibus Edessae et Nisibi, tertia a Diocletiano in pluribus Mesopotamiae oppidis; atque in martyrologiis satis multi nominantur ob fidem Christianam illa in regione morte multati. Monachatus in Aegypto ab Antonio, in Syria ab Hilarione institutus vix ullibi terrarum tantopere floruit, quantopere in Mesopotamia. Aegyptus, Syria, Babylonia, quarum gentes olim Israelitarum populum seduxerant, nunc regularum et liturgiarum semina pestifera in orbem Christianum disperserunt. Apud Edessam, Nisibin, Carrhas, in tota demum Mesopotamia et Perside monasteria plurima exstructa sunt. In exercitationibus illis, quae ut naturam humanam nihili faciunt, proterve leges ipsas divinas spernunt, in zelotypia illa et exitiali rerum stupen-

---

1) Manes nonnunquam Cubricus appellatur, quod ita explicant: ܡܐܢܐ vas, quod sit ܡܐܢܐ ܪܩܢܐ vas vacuum. — De Archelao Cascarensi vide Assemanum Tom. I. p. 555.

darum studio, in mystica contemplationum arte, fervida demum et exuberante imaginum et phantasiarum foecunditate, his inquam laudibus Mesopotamiae et Syriae monachi ceteros omnes facile superarunt. Primum quod sciam monasterium in Izlensi monte apud Nisibin exstructum est, ex quo prodiit Iacobus Nisibenus, episcopus inclytus, cuius discipulus Ephraem Syrus Edessenus, vitae monasticae laudator. Inter Eremitas Iulianus Saba notissimus, qui ex solitudine Antiochiam vocatus est ad Arianos confutandos, quo tempore Meletius a Valente sede remotus erat. Monachi autem primum plerique rudes et agrestes, ferarum socii, mox studiis operam dederunt, ita ut omnium Syrorum postea magistri fierent et episcopi quoque ex monasteriis acciri solerent. Maximam autem Edessa laudem nacta est scholae et doctrinae. Scripturam ibi iam saec. tertio interpretatus esse dicitur Macarius [1]; saec. quarto Ephraemus innotuit, inter Syros celeberrimus librorum sacrorum interpres, Syrorum propheta dictus.

Eum autem ad finem haec omnia exposuimus, ut Syrorum ecclesiam primis iam temporibus maxime fuisse divulgatam et excultam certo cognoscatur. Neque enim hoc negligendum est; nam apparet, in Syria quaerendas esse multarum rerum origines et incrementa, quae saeculo tertio et quarto in ecclesias Occidentales propagatae ecclesiae Romano-catholicae fundamenta iecerunt. Graeciae et Italiae incolis nimis alienae et incognitae erant res Christianae; quare si animo non toto doctrinam Apostolorum sinceram et unice veram amplexi erant, facile Iudaeorum fermentis inficiebantur; atque ita factum est, ut quae in Palaestina et Syria, ubi Iudaei suae disciplinae, suis ritibus moribusque plurimos diu subiecerant, ecclesiae forma post Apostolos mortuos apparuit, totum deinde terrarum orbem obduxerit. Deest accuratior illis ex temporibus ecclesiarum historia; sed quae in Syria occidentali viguerunt, eorum aemulationes et exempla primis iam saeculis in Syria orientali grassata esse cognoscimus. Plurimarum rerum, quae sedis Romanae postea decretis sancitae sunt, origines in Oriente non frustra requires [2].

---

1) Ita legitur in vita Luciani presbyteri et martyris, qui anno 312 passus est et ipse Macarium audivisse dicitur.

2) Episcopatus, liturgiae, aedium structura (cf. Hirtii Orient. Bibl. Th. 10 p. 60.), martyrologia, libri apocryphi, porro lectionum recitationum cantus-

Saeculo quarto Mesopotamiae episcopos Synodis interesse videmus, quae Nicaeae, Antiochiae et Constantinopoli habebantur. Concilio et Nicaeno et Antiocheno adfuit Iacobus Nisibenus, vir famae magnae fideique orthodoxae propugnator acerrimus, qui Nisibin postea a Sapore obsessam precibus liberasse dicitur (cf. Theodoretum et Philostorgium). Idem laudatur inter eos, qui Constantino et Constantio invitantibus Hierosolyma (a. 337) et Antiochiam (a. 341) ad inauguranda templa se contulerint. Eius et Alexandri Constantinopolitani coniunctis precibus Arii diram mortem a Deo impetratam scribunt. Synodo autem Constantinopolitanae (381) subscripsere episcopi Edessae, Batnarum, Carrharum, Amidae, aliarum Mesopotamiae urbium. Ecclesia igitur Orientalis illa aetate cum Graecorum ecclesia arctissime coniuncta erat.

Cap. III.

De origine versionis Syriacae traditio Syrorum eiusque testes antiquissimi.

Ecclesiae conditae sunt praedicatione verbi divini. Ubique in ecclesiis legebantur Moses et Prophetae, quibus deinde addita sunt Evangelia et Apostolorum Epistolae [1]. Canon librorum V. T. ab Apostolis proculdubio is ipse traditus est, qui Iudaeorum Palaestinensium erat; quum vero versio Graeca LXX interpp. in plurimorum usu esset, libri apocryphi simul recepti sunt. Primo iam saeculo Evangelia et Epistolas unum in corpus collecta fuisse non est quod dubitemus; Antiochiae potissimum Apostolorum libros multum lectitatos et transscriptos esse, quis est qui neget. Inde in Syriam orientalem libri sacri una cum fidei professione allati sunt. At vero, quae saepissime esse solet originum obscuritas, eadem est Syriacae versionis. Versio illa celeberrima, quam Syri „Simplicem“ vocant, qua hodieque Maro-

---

que ecclesiastici rationes in Syria primum inventae. Assemanus eo nomine Papae Syriacarum litterarum studia commendavit, quod Romanae ecclesiae Romanarumque institutionum antiquitas Syrorum traditione probetur.

1) Ephraemi Opp. Gr. T. III p. 106.: „Ecce enim per universos fines orbis terrarum divina Scriptura in ecclesiis legitur, Lex, Prophetae, Apostoli ipseque universorum Dominus.“

nitae utuntur, Libani accolae una cum Christianis S. Thomae in India extrema, quae per tot saecula in plurimis Asiae partibus viguit, ecclesiis maximis usitata et pluries descripta magisque lectitata in regiis et in claustris, in urbe aeque ac deserto, quam vix altera unquam versio Bibliorum, quae tot nacta est commentatores, cuius quaevis fere linea litterarumque apices criticam curam sollicitarunt, haec igitur versio a Syris „beata" dicta, prorsus incertae est originis, magni fluvii instar, cuius fontes inaccessis montium et solitudinis latebris tenentur. Ut vero sententiam feramus de huius versionis origine, quo tempore, qua ratione, ubi locorum, quibus a viris scripta sit, via satis munita et complanata progrediendum nobis est. Examinemus igitur primum, quid ipsi Syri hac de re vulgo traditum habeant; prolatis deinde antiquissimis versionis testibus ipsius indolem et rationem inspiciamus, denique consulamus, quid rerum ipsarum conditio de origine et tempore translationis Syriacae auspicari suadeat.

I. Syrorum traditionem de tempore translationis Bibliorum Syriacae affert Bar-Hebraeus [1]) in prooemio libri sui ܐܘܨܪ ܐܪ̈ܙܐ (thesaurus arcanorum), qui commentarium exhibet in totam Scripturam, haec scribens de versione Simplice: „Quoniam versio ista Simplex in manibus Syrorum ubique gentium versetur, ipsam quamvis quassatum fundamentum supposui [2]). . . . De origine tres erant sententiae, prima quod tempore Salomonis et Hirami Regum conversa fuerit, secunda quod Asa sacerdos, quum ex Assyria missus fuit in Samariam, eam transtulerit; tertia tandem, quod aetate Adaei Apostoli et Abgari regis Osrhoeni versa fuerit, quo tempore etiam Novum Testamentum eadem simplici forma traductum est." Ergo de V. T. translatione dubitarunt Syri, quo tempore facta sit; de N. T. versione tanquam communem omnium opinionem tradit Bar-Hebraeus, scriptam eam esse, quo tempore primum praedicatio Evangelica Edessam pervenerit. Sed etiam quae de V. T. fabulantur, translatum esse illud tempore Hirami sive exsilii Babylonici, se-

---

1) Cf. Wiseman, horae Syriacae pag. 94. Antea locum iam publici iuris fecerant Brunsius, Repertor. F. O. u. M. L. VIII. pag. 89. Assem. B. O. II p. 24. 279.

2) Bar Hebraeus quum magis faveat versioni hexaplari, iniquus est vers. Simpl. index, cf. quae infra de eo dicentur.

riorum Syrorum esse commentum videtur [1]); idem enim Bar-Hebraeus ad Psalm. X. hoc affert dictum Iacobi Edesseni [2]), scriptoris Syrorum celeberrimi saec. VIII: „Iacobus Edessenus dicit, interpretes illos, qui missi sint ab Adaeo Apostolo et Abgaro rege Edessenorum in Palaestinam quique verterint libros sacros . . . . .“ Quem Adaeum dicit Iacobus, dicunt et Thaddaeum. Narrant igitur Syri de Abgaro simile quoddam atque Iudaei de Ptolemaeo Philadelpho: misisse eum Hierosolyma qui sacros libros in linguam Syriacam verterent. Iacobus hoc loco de V. T. libris agit; quid de versione N. T. senserit, incertum. Evangeliorum libro Edesseno, quod exstabat in ecclesia Aedium Romaeorum in urbe Bagdado, subnexa legebatur haec epigraphe: „Absolutus est sanctus iste liber anno Graecorum 389, (Chr. 78.) propria manu Achaei Apostoli, socii Mar Maris, discipuli Mar Adaei Apostoli [3]).“ Plurimorum inter Syros haec fuisse opinio videtur, Evangelia translata esse in linguam Syriacam ab ipso illo Achaeo supra laudato, discipulo Thaddaei, Edessae primo episcopo et martyre. Atque si historiae fides praestari posset, Thaddaeum, unum ex LXX discipulis, Evangelium praedicasse Edessae, eiusque discipulos fuisse Aghaeum Edessae et Marim Seleuciae episcopum [4]) — equidem veri haud absimile iudicaverim, Aghaeum illum, gente Syrum,

1) Gabriel Sionita, praef. in Psalt. Syr.: „Versionis Syriacae ea est antiquitas, ut secundum receptissimam Chaldaeorum et Syrorum traditionem coaeva sit Salomoni. Sic enim legimus in libro antiquissimo Soadedi, Episcopi Hadethensis: Sacrorum voluminum translatio hunc ordinem est adepta: Pentateuchus, Iosua, Iudices, Ruth, Samuel, Davides . . . . . translati fuerunt tempore Salomonis, orante exoranteque Hiramo, rege Tyri, eius amico. Reliqui vero libri V. pariter ac N. T. tempore Abgari, regis Syriae, cura ac sollicitudine Thaddaei aliorumque Apostolorum translati sunt. Quamquam non ignoro quorundam Syrorum sententiam, integram V. et N. T. versionem Syriacam factam esse tempore Thaddaei et regis Abgari.“ Cf. Abrah. Echellens. not. ad Catal. p. 78. Hotting. Thes. p. 226.

2) Wisem. l. c. pag. 103. Walton. appar. crit. pag. 91.

3) Assem. B. O. T. II in ind. Cod. M. S. pag. 486. Marcum nonnullos Syrorum versionis Syriacae auctorem habere, ait Boderianus in praef. ad N. T. S., sed sola Postelli auctoritate nixus.

4) Duos Thaddaeos celebrant Syri, alterum ex XII, alterum ex LXX discipulis, quem vulgo Adaeum vocant. Adaeum a Thoma Apostolo ad Abgarum missum esse tradunt. Eius discipulus Achaeus sive Aghaeus scribitur (ܐܓܝ).

ante conversionem sericarum vestium textorem, Evangelia sociorum ope illo tempore in Syriacum sermonem transtulisse. Etenim ante Hierosolyma diruta quattuor Evangelia scripta fuisse, constat mihi, (quam sententiam probare non est huius loci); Antiochiae autem tempore illo quattuor Evangelia iam cognita fuisse, dubitari potest, negari nequit. Aghaei mortem d. 30. Iul. assignant Syri, annum nesciunt; scribit Bar-Hebr. sub Abgari filio passum esse Aghaeum tres annos post Thaddaeum, qui duodecimo praedicationis anno, i. e. duodecimo post ascensionem (45) obierit — at vero omnia haec ab aliis aliter tradita et prorsus incerta sunt. Haec vero de Aghaeo, Evangeliorum interprete sententia, si non omnium Syrorum est, constanti tamen traditione a viris quibusdam Apostolicis versionem illam procuratam et supparem habent Apostolorum aevo, quam quidem sententiam receperunt plurimi N. T. Syriaci editores, quorum passim iudicia Gutbirius praefationi N. T. adnexuit [1]). Cuius rei argumentum inde quoque prompsit Waltonus, quod in hac versione desint Apocalypsis Ioannis, ep. Petri II et Iudae epistola, quippe quae nondum editae aut nondum ecclesiarum consensu receptae fuerint, quo tempore versio Simplex prodierit. Etenim Syros non reprobasse epistolas illas, quamvis in vulgata versione non legebantur, notissimum est. Summam igitur rei hanc teneamus, ex Syrorum traditione versionem Simplicem simul cum praedicatione Evangelii factam esse temporibus Abgari regis.

II. Id vero minime placuit Romano-Catholicis, tantam Syriacae versioni antiquitatem tribui, quae Vulgatae ipsius natales superaret. Quare dubia movit iam Bellarminus [2]) (tom I. controv. de V. D. l. 2. c. 4.), quoniam huius versionis nullam fecerint mentionem Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Athanasius, Theophylactus, Epiphanius, Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Damascenus. At vero si propter silentium Patrum dubitari posset, versionem Simplicem in ipsis Antiochiae et Aegy-

1) Waltonus, Pocockius, Editores Operum Ephraemi (cf. Praef. Tom. III Syriacorum) Carpzovius, Assemanus (B. O. Tom. II p. 24.) I. D. Michaelis primo vel secundo saeculo versionem Simplicem assignant.

2) Inter recentiores idem demonstrare enixus est Ioa. Baptista Branca de sacr. libr. latinae Vulg. editionis auctoritate Mediol. 1781, contra quem disputavit Wisemanus Anglus.

pti ecclesiis publice receptam fuisse (quod confidentius quidam scripserunt), minime tamen consequeretur, versionem Simplicem posteriorem esse Ioanne Damasceno. Sed Patrum scripta neque tantopere volvit neque memoriae ita impressa habuit vir doctissimus, ut non errare potuerit. Chrysostomus tom. I. in Ioannem diserte monet, Syros, Aegyptios [1]), Indos, Persas, Aethiopas dogmata divina in suam linguam transtulisse. Theodoretus in c. 3. Ionae scribit: „*Ταύτας (τρεῖς ἡμέρας) δὲ καὶ ὁ Ἀκύλας καὶ ὁ Σύμμαχος καὶ ὁ Θεοδοτίων τεσσαράκοντα ἔφασαν, συμφωνοῦσι δὲ τούτοις ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος.*“ Basilius M. Hom. 2. in Hexaëm. ex Syro vim vocis מרחפת exponit. Ad eandem vocem Ambrosius l. I. c. 8: „Denique Syrus, qui Hebraeo vicinus est et in sermone consonat et in plerisque congruit, sic habet: et spiritus Dei fovebat aquas.“ Genesin in idioma Syriacum translatam fuisse, Augustini quoque aures attigit (de civ. D. 15, 13.). Chrysostomum et Theodoretum versionis Syriacae notitiam habuisse, omnino non mirum est; Basilio autem cum Ephraemo commercium fuit, Ambrosius ex urbe Antiochia institutiones cultus sacri plurimas mutuatus est. Maxime in Origenis Hexaplis a Montefalconio lectiones collectae sunt complures *τοῦ Σύρου*, quarum Eusebius Caesar., Diodorus Tarsensis frequentius, Eusebius Emesenus, Hieronymus mentionem faciunt [2]). Auctoritas igitur quaedam Syro tributa erat, cuius cum Hebraeo convenientiam Ambrosius laudibus effert (vid. supra). Ricard. Simonius, Montefalconius, I. G. Carpzovius alii [3]) Syrum hunc versionem Simplicem esse coniecerunt [4]), i. e. non ipsam Syriacam, sed ex ea factam versio-

---

1) Copticae versionis antiquitas probabilem facit antiquitatem nostrae. Scripta est illa ante annum 271, quo Antonius (secundum Palladium c. 21 de Eulogio, Hieronymum in vita Hilarionis et Athanasium) linguae Graecae ignarus lectione Evangelii ad vitam monasticam compulsus est. Tempore Hieracae Leontini etiam V. T. Copticum reperiebatur sub finem saec. III. Cf. Hug, Einl. §. 90 sq.

2) Montefalcon. in Hexapl. Orig. diss. praelim. c. I §. 8. Citationes Syri leguntur in Genesi, Exodo, in Psalmis, Ieremia, Threnis, apud Ezechielem, Danielem et Osee.

3) Cf. Hottinger, annal. p. 106. Carpz. Crit. S. p. II. c. 5.

4) Idem perperam de Syro coniecit Pocockius in appendice ad librum Iobi in vers. LXXvirali citato. Doederleinius et Eichhornius *τὸν Σύρον* a Patribus laudatum esse existimarunt Hieronymi versionem a Sophronio Graece factam in Syria multum adhibitam, quod minime est probabile.

sionem Graecam [1]). Alii quidem aliud statuerunt, exempla autem ipsa examinata hortantur meo quidem iudicio, ut Simplicem nostram nomine Syri significatam putemus. (Cf. locos Psalmorum, in Psalterio Syriaco Erpeniano a Dathio rursum edito, praef. pag. XV. sq.) Graeci, V. T. textus originalis scientia destituti, colligendo versiones quam plurimas doctrinae copiam simulare maluerunt, quam Hebraicae linguae accuratam sibi cognitionem acquirere. Ipsius Hieronymi versionem Latinam in Graecum translatam fuisse constat. Sed mireris Hieronymum de versione Syriaca tacere, Hieronymum inquam, qui undique omnia collegit, quae ad interpretationem librorum sacrorum pertinerent, qui Rabbinorum scholas nocturnas suum in usum vertit, qui Matthaei exemplar Hebraicum apud Nazarenos repcrisse gloriatur. Sed Hieronymus non prorsus de Syriaca versione silet [2]). Etenim in Epitaphio Paulae ad Eustochium ep. 27. scribit: „Hebraico, Graeco, Latino S y r o q u e sermone Psalmi in ordine personabant [3]).“ Ceterum tenendum est, Hieronymum monachum fuisse et eremitam, qui Bethlehemiticam cavernam vix reliquerit neque multum cum Syriae incolis versatus sit. Quod enim in prooemio ad Obadiam monet: „Quando ego et Heliodorus carissimus pariter habitare solitudinem Syriae Chalcidis n i t e b a m u r,“ inde non consequitur, multum eum temporis illa in regione consumsisse. Videtur tamen versio Syriaca Simplex in Palaestina Hieronymi temporibus vix multorum in usu fuisse. Bar-Hebraeus

---

1) Non ipse Origenes has notas adiecit, sed postea additae videntur, non quidem ex Graeca versione Simplicis, sed contulit vir quidam Hebraice et Syriace doctus utramque Scripturam et Graece diversitates notavit. Inde in variorum virorum commentarios eiusmodi notae pervenerunt.

2) Cf. Andr. Müller, symb. Syriac. Berol. 1673. Hieronymum linguae Syriacae ignarum fuisse Gennadius inde evincere voluit, quod in libro de viris illustr. Iacobi Nisibeni nullam mentionem fecerit neque eorum Ephraemi librorum, qui Syriaca tantum lingua circumferebantur. Sed Iacobum Nisibenum Gennadius ipse cum Sarugensi confudit, neque credibile est, linguam Syriacam latuisse Hieronymum, in Iobo multa ex Syriasmo explicantem. Cf. eundem ep. 137. ad Marc.: „Maranatha magis Syrum est quam Hebraicum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid Hebr. sonat, et interpretatur: Dominus noster venit.“ Alia infra dicentur.

3) Paulam et Eustochium Hebraicam linguam didicisse, magnopere gloriatur Hieronymus, vir ob operam et indefessum laborem, quem in Biblia navavit, nunquam satis laudandus, ingenio moribusque non ita.

quidem loco supra laudato (Wisem. pag. 94.) versionem Simplicem eam fuisse perhibet, quam Origenes Eusebio teste apud mulierem quandam viduam invenerit. Septimam Origenis, Hierichunte detectam, innuisse Bar-Hebraeum Wisemanus putat, sed errasse eum quum de Syriaca versione nihil habeat Eusebius [1]. Quid vero, quod Melito iam Sardensis τοῦ Σύρου mentionem fecit? Habet enim ad Genes. XXII, 13: „*Κατεχόμενος τῶν κεράτων· ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος κρεμάμενός φησιν, ὡς σαφέστερον τυποῦν τὸν σταῦρον.*“ Neque Hebraeus neque Syrus habent *κρεμάμενος*, sed נאחז et ܐܚܝܕ; videtur autem Melito hanc interpretationem accepisse ab alio quodam, qui vocem illam ita interpretatus est; delectabantur enim Iudaei eiusmodi allegoriis, prout in Barnabae epistola videre licet [2]; Melito autem ipse in Epistola ad Onesimum (Eus. hist. eccl. IV, 20.) se venisse dicit *εἰς τὴν ἀνατολὴν καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενον ἔνθα ἐκηρύχθη καὶ ἐπράχθη, καὶ ἀκριβῶς μαθόντα τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία* — quare, si illo tempore versio Bibliorum Syriaca iam exstitit, notitiam eius facile consecutus est.

Ut consummemus quae supra diximus, iam haec rerum conditio fuisse videtur. In Palaestina Graeca lingua tam erat consueta et vulgaris, ut de Syriaca versione nemo cogitaret; Iudaei, Ebionitae, Christiani Graece V. T. legerunt. Origenes,

---

1) Quintam Hierichunte repertam esse ait Epiphanius, sed in numero variant scriptores. Quintae et sextae editionis Iudaicos translatores Hieronymus memorat. Idem comment. in Tit. III: „Nonnulli vero libri et maxime hi, qui apud Hebraeos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent, quam quintam et sextam et septimam vocant, auctoritatem sine nominibus interpp. consecutas.“ Epiphanius ita scribit: „Septimo anno Antonini Caracallae inventi sunt libri quintae editionis in doliis Hierichunte absconditis cum aliis libris Hebraicis et Graecis.“ Cf. Drusius vett. interpp. Gr. fragmenta.

2) Fortasse vocabulum בַּסְּבַךְ ita explicarunt. Scribit enim ad h. l. Eusebius Emesenus apud Hieronymum: „Sabech dicitur hircus, qui rectis cornibus et ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur.“ Syrus ܒܣܘܟܐ (in ramis), quod si legis ܒܣܘܟܐ iam prodit interpretatio: in palo suspensus. Montef. Hexapl.: *ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος· κριὸς κεκραμένος.* Ephraemus Opp. Syr. I. p. 77 scribit: ܕܡܐ ܒܡܨܠܒܐ; interpretatur, praefigurari Christum in palo suspensum. — Legitur Melitonis fragmentum in scholiis editioni Romanae *τῶν* LXX annexis, quare nescio, quae ei fides habenda sit.

litteras Hebraeas non magni habens neque textui Hebraeo veritatem asserere ausus, cum versione LXXvirali contulit aliorum versiones Graecas in opere illo celebratissimo, quod iam Alexandriae incepisse videtur. Origenis editio hexaplaris, a Pamphilo et Eusebio procurata, in Palaestina ubique locum habuit, neque Hieronymus alias versiones quaesivit, postquam ad ipsos fontes aditum sibi aperuit. Memorat autem Hieronymus ab Antiochia ad Constantinopolin valere Luciani martyris editionem. Is Hebraicae scripturae peritissimus fuisse traditur, eumque supra auditorem Macarii Edesseni fuisse cognovimus. Eundem Tetraplis Origenis in editione sua usum esse, suspicati sunt quidam; quid, si ille ex Syriaca versione quaedam annotaverit nomine *τοῦ Σύρου* [1])? Ita Chrysostomus [2]), Theodoretus, alii lectiones Syri Graece factas conferre potuerunt. Maxime apud Antiochenae scholae discipulos leguntur excerpta ex textu Syriaco. Antiochenae scholae conditores habentur Lucianus et Dorotheus. Eusebius Emesenus, primum Edessae litteris institutus, postea Patrophili et Eusebii auditor factus, proculdubio textum Syriacum cognitum habuit [3]). Diodorus quoque Tarsensis frequentius Syrum et Hebraeum laudat. Utriusque commentarii multum quum legerentur, notae ex Syro et Hebraeo factae inter Graecos divulgatae sunt. Unde Hieronymus quoque nonnulla sumsit ex Syro allata. Etenim Syriacae versionis fama tanta iam erat, ut in Italia Ambrosius eam laudaret; eiusque cum Hebraeo convenientia omnibus notissima fuit, quare in citationibus *Ἑβραῖος καὶ Σύρος* vulgo copulantur. Psalterium Syriacum etiam in Palae-

---

1) Euthymius praef. in Psalmos: „Septima prodiit a Luciano magno eremita et martyre, qui omnibus his editionibus visis et cum Hebraica veritate diligentissime et magno cum labore collatis propriam editionem nihil habentem mancum et nihil superfluum Christianis tradidit, quae apud Nicomediam manu eius conscripta reperta est in turre quadam apud Iudaeos calce illita.“

2) Chrysostom. Ps. XLVIII, 6. lectionem Syri affert quae sit *ῥᾶ*. Haec lectio nihil aliud est nisi verbum Hebraicum Graecis litteris scriptum, quod confudisse videtur cum Syriaca lectione Eusebius. Inde vero suspicari licet, ipsa verba Hebraea nonnunquam in notis descripta fuisse, unde confusio quaedam notarum promanaverit.

3) Cf. Augusti Eusebii Emeseni fragm. p. 66. 186.: „*Τὰ ἱερὰ ἑρμηνευθῆ βιβλία ὑπὸ Πατροφίλου καὶ Εὐσεβίου*“ (Socr. h. e.). Patrophilus teste Sozomeno Scythopolitanae ecclesiae praepositus erat.

stina cognitum erat, nam a Paula et Eustochio canebatur. Testis autem antiquissimus versionis Syriacae est Melito, cuius de testimonio ni dubitas, saeculo secundo iam satis celebrata erat versio Syriaca. Vix opus est hic memorare, quod de solo V. T. nunc agimus; in N. T. nulla necessitas erat Patribus versionis consulendae; V. T. autem versionem non multum antecessisse N. T. postea videbimus.

III. Patres Graeci et Latini altum si silentium tenuissent de versione Syriaca, antiquitas eius certe suspecta fuisset; quid vero, quod Fabricius (Bibl. Gr. l. V. c. 2. p. 321.) olim scripsit, Ephraemum Edessenum, Syrorum magistrum, non esse usum versione Simplici? Ubi demum terrarum Simplex latuerit, nisi Edessae publico in usu fuerit? Sed Syrorum ipsorum testes primum produxit I. S. Assemanus (B. O. t. III. p. 61.), Bar-Salibaeum et Bar-Hebraeum, iuxta Simplicem verba Evangeliorum produxisse Ephraemum; paulo post Ridleio interroganti St. Ev. Assemanus rescripsit, „primam N. T. versionem Simplicem esse dictam, in qua Evangeliorum traductionem credant Syri factam fuisse vel ab ipsis Apostolis vel saltem a S. Adaeo Apostolo; Actus et Epistolas ab Apostolicis fieri; ea versione usos esse Ephraemum aliosque Patres qui tertio vel quarto saec. floruerint." Cf. etiam Ephraemi opp. Vol. III. praef. altera. Sed hic distinguendi sunt libri V. et N. T. In universum V. T. commentarios scripsit Ephraemus, prout omnino Syri V. T. semper plurimi aestimarunt multamque in eius libros operam impenderunt. Quos in N. T. commentarios edidit Ephraemus, in Evangeliis Ammonii harmoniam [1]) secutus, eorum iacturam querimur. Sunt tamen tractatibus et commentariis inserti N. T. loci multi, ex quorum collatione Ridleius probavit, sequi Ephraemum versionem Simplicem, sed more suo non ubique ad verbum sed libere multaque ex memoria recitantem [2]). Usus est idem iis epistolis, quae in Simplice non leguntur et Apocalypsi Ioannis. De textu, quem

---

1) Tatiani Diatessaron Ephraemum habuisse alii dixerunt. Cf. Credner, Beiträge I. pag. 437. sq.

2) v. Lengerke de Ephraemo pag. 29. de V. T.: „Innata enim bonitas illius codicis, quo utebatur Ephraemus, quamvis sit certissima maximeque indubitata, vix tamen cogitari potest, quam libere, ne dixerim dissolute eum tractaverit."

in V. T. sequatur Ephraemus, plurimum inter homines doctos disputatum est, certissime tamen evictum, Simplicem ipsi suppositam fuisse. Est autem primum arbitraria ratio, qua textum exscribat, in Ephraemo notanda. Quum multis locis versionis Simplicis verba et ordinem fide reddiderit, alias textum contrahit, versusque multos paucissimis verbis succincte admodum et ieiune exprimit, aliis iterum locis interpretamenta addit, verba synonyma permutat, ambigua reddit frequentioribus vocabulis vitaeque vulgari propriis, quibus maxime abundat, omnino compilatorem, interpretem et paraphrastem agit. Ita vero plerumque fit, ut versus cuiusdam, quem miro modo mutilatum et variatum protulit, alio loco maxime in scholiis lectio integra servetur. Maxime autem observandum est, quo modo et quo nomine ipse Ephraemus versionem Simplicem alleget. Locos collegit Wisemanus p. 115. sq. Cf. Lengerke p. 24. Versionis Syriacae verba citat Ephraemus his formulis: „Ut dicit“ (λέγει) vel „dicit Scriptura“ — alio autem loco scribit: „Vox Hebraica, quam mare reddit interpres, etiam occasum significat,“ et iterum: „Ut nostra versio (ܡܦܩܢܘܬܢ) dicit.“ Versionis autem plures auctores accepisse Ephraemum, inde apparet, quod Ios. XV, 29. diserte scribit: „Pro voce ista „pagi“, quum nescirent, qui in Syriacum transtulerunt, quid sibi vellet vox Hebraica, posuerunt ܒܪܬܟܘܬܗ [1].“ Facile quis suspicetur Ephraemum eandem sententiam secutum esse, quam ex Iacobo Edesseno supra protulimus, misisse Abgarum viros in Palaestinam, qui Biblia in Syriacam linguam transverterint.

Ex temporibus, quae Ephraemo antecedunt, nulla nobis relicta vel edita sunt Syrorum scripta, quae de textu biblico consuleremus. Tradit quidem Al Tacriti (ap. Pocockium in Ioelem pag. 4. 29.), ante Ephraemum libros V. T. Hebraice lectos

---

1) Haec eius loci ratio mihi esse videtur. In nostra Simplice legitur ܒܪܬ ܟܘܬܢܐ quod quum antecedat ܒܪܬ ܦܣܐ ortum est proculdubio ex vera lectione ܒܪܬܟܘܬܐ. Ephraemi margini adscripta erat lectio LXXviralis „urbes et vici eius,“ quam illi vel ex v. 45 desumpserant vel pro בזיותיה legerant בנותיה. Hanc lectionem habuit Ephraemus genuinam explicationem Hebraeae vocis et interpretes erroris taxavit, quem ipse concepit.

fuisse Edessae, Pocockius tamen versionem Simplicem primo aerae Christianae saeculo scriptam habet. Ipsius Ephraemi fama et commentariis nec non opera multorum discipulorum, quos ille instituerat [1]), factum est postea ut versio Syriaca multum auctoritatis assequeretur latiusque divulgaretur, veruntamen Ephraemus „nostram versionem" non dixisset illam, nisi auctoritate et usu iam celebris et communis fuisset. Accedit quod ante Ephraemum iam collatio facta erat vers. Syr. cum textu Hebraico et versione Graeca Alexandrina; etenim Graecum et Hebraeum haud raro in commentariis collaudat [2]). Non est huius loci, varias et contortas multorum sententias recensere, quomodo et unde Ephraemus collationis textus Hebraei et versionis Alexandrinae particeps factus sit [3]). Acquiescamus in ea opinione, quam Crednerus et Laengerkius variis argumentis et solida rerum perscrutatione firmarunt, notas marginales Syriaco sermone codici versionis Simplicis adscriptas fuisse, ex quibus Ephraemus versionum discrepantiam cognoverit [4]). Etenim Ephraemo, qui patrii sermonis copia et splendore facile omnes superavit, vix Hebraicae et Graecae linguae peritiam tribuere licet, ipsaque ratio, qua versionum varietates profert [5]), plane respondet methodo illis temporibus omnibus fere commentariorum scriptoribus communi, qui codice utebantur marginalibus notis plus minusve instructo [6]). Notas has marginales Crednerus ex opere Origeniano desumptas suspicatus, quia Symmachi versio in quibusdam latere videatur, Laengerkium repugnantem habet, qui nulla Origeniani

1) Consulas Assem. T. III. 2. pag. 60.

2) Cf. Assem. B. O. T. I. pag. 71.

3) Cf. G. L. Spohn, de ratione text. bibl. in Ephraemi Syri commentariis obvii. Lips. 1786. Eiusdem collatio versionis Syriacae quam Peschito vocant cum fragmentis in commentariis Ephraemi Syri obviis. Lips. 1785.

4) Laengerke l. c. pag. 21. sq. Credner de Prophetarum minorum vers. Syr. indole. Goettingae 1827. pag. 37. 51.

5) Quum Ephraemus ad monachos Aegyptios proficisceretur, ut in vita eius traditur, adscitus est in sociorum numerum unus ex discipulis, qui Graecae linguae gnarus erat, atque ut cum Basilio colloqueretur, miraculo Ephraemus linguae Graecae facultatem impetrasse dicitur. Hebraicae linguae non prorsus ignarus fuisse videtur Assemano, vix tamen exemplis peritia probatur.

6) In M. S. Orphanotrophei Halensis eadem Scholiorum ratio observari potest.

operis vestigia se reperisse contendit. Qua in disputatione id quidem non absonum mihi videtur, ad normam Origeniani operis vel potius editionis ex illo a Pamphilo et Eusebio adornatae apud Syros quoque tales codices compositos fuisse, quibus versionum varietates additae erant. Quodsi Lucianus Antiochiae edidit Biblia collatione Hebraei et Syri adornata, Edessae facile exstiterunt, qui vel illud opus suum in usum verterent, vel simili modo Hebraeum et Graecum cum ipsorum Syriaca versione conferrent. Utinam Bardesanis libros inspicere nobis liceret! Neque enim dubitamus, quin saeculo iam secundo versio Bibliorum Syriaca Mesopotamenis probata fuerit. Sed ultra Ephraemum nullus nobis adest testis; ipsius autem temporibus versio Simplex gaudebat auctoritate, quae antiquitate non minus quam simplicitate commendata erat. Quod autem de V. T. dictum est, idem de N. T. ut accipiamus causae gravissimae facile cuique persuadebunt.

Cap. IV.

Graecae et Syriacae linguae in utraque Syria consuetudo.

Renuntiatis suffragiis Patrum antiquissimorum, qui versionis Syriacae testes exstitere, ipsa iam rerum ratio et consuetudo, quid nobis divinare suadeat de versionis Syriacae origine, occasione, patria, tempore, accuratius indaganda est. Ἑρμηνείας et necessitas et disciplina quanta fuerit illis temporibus in Syriae finibus notissimum est. Ecclesiae Christianae ad normam synagogarum instructae sunt. In synagogis autem proprium fuit interpretis (תורגמן) munus, de quo Maimonides „a diebus Esrae moris fuit, ut adesset interpres, qui populo exponeret quod lector ex lege praelegebat, ut sententiam verborum perciperent.“ De ratione interpretationis disputaverunt quidem viri docti; Talmudistas enim sequitur Buxtorfius, ex utroque Talmude (Tiberias l. I. c. 8.) ad Neh. VIII, 16. observans, Levitis impositum fuisse, ut textum Hebraeum in Chaldaeum converterent, et accentus, tum qui ad moderandam lectionem tum qui ad distinguendas sententias faciunt, apponerent. Altingius vero (de versione Scripturae c. I.) eumque secutus Vitringa (de synag. v. l. 3. pag.

1. ed. alt. pag. 690.) interpretes fuisse potius commentatores et paraphrastes putant posteriori tempore invectos, quia Hebraicae linguae peritia temporibus Antiochi demum Epiphanis flaccuerit; tamen et illi concedunt, tempore N. T. fuisse in synagoga interpretes ad textum biblicum in linguam Chaldaicam vertendum, quo munere functi ita plerumque videantur, ut sententias Scripturae simul explicarent et commentarentur. Exstructae autem erant tempore N. T. ubique Iudaeorum synagogae et Moses habuit *κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγιγνωσκόμενος* (Act. XI, 21.). Aderant in qualibet synagoga doctores, aderant etiam *ἑρμηνευταί* interpretes, qui Legis pericopas Hebraice praelectas in sermonem vel Chaldaeum vel Graecum transferrent; etenim in paucis tantummodo Hellenistarum synagogis Graece Legem lectam esse putamus [1]). Idem interpretum munus in ecclesiis i. e. Christianorum synagogis receptum fuisse inde vel certissime patet, quod in ipsa Corinthiorum ecclesia *διερμηνευτοῦ* meminit Paulus (I. Cor. XV), qui vel aliena consuetam in linguam transferre vel obscure dicta explicare potuerit. Exstat quoque testimonium Patrum (id quod negavit olim Vitringa), hoc munus in ecclesias transiisse; narrat enim Eusebius in libro de martyribus Pal., Procopium quendam in ecclesia urbis Basan tribus muneribus esse functum: nam primum eum lectorem fuisse Sacrorum librorum, deinde ex Graeca lingua in Aramaeam interpretem, tertio denique daemones eiecisse [2]). Ecclesiis Syriae et Palaestinae sat multis hoc interpretis munus commune fuisse putamus. In plerisque quidem ecclesiis necesse non erat, ut Apostolorum scripta Aramaice transferrentur, quia lingua Graeca satis omnibus cognita erat; locus tamen Eusebii modo allatus testimonio est, fuisse ecclesias etiam cis Euphratem sitas, in quarum conventu quae Graece scripta erant ab interprete in linguam Aramaeam plebi auscultanti transferenda erant. Hanc autem consuetudinem officiumque interpretis maxime in V. T. primis ecclesiarum temporibus diu obtinuisse putamus inter illos potissimum, qui ex Iudaeis crediderant. Erat autem iam ante Christum natum religio Iudaica mirum in modum per totum

---

1) Exstant multi codices, in quibus ad quemlibet versum textui Hebraico subnexa est Aramaea paraphrasis.

2) Cf. Ruinart, acta martyrum pag. 373.

Orientem, maxime in Arabia, Mesopotamia et Adiabene propagata [1]. Erant ubique locorum synagogae exstructae, in quibus Moses et Prophetae legebantur. Iudaeos vero genere fuisse doctores omnes et interpretes etiam illis in synagogis certissimum est, quibus plurimi proselytae accesserant. Quare existimandum est, etiam in Syria Orientali synagogarum interpretandi rationem vulgarem fuisse atque in ecclesiis quoque Christianorum, quae ex synagogis prodierant vel certe ad synagogarum ritus instituebantur, a viro linguae Hebraeae perito Legem et Prophetas Hebraice recitatos fuisse, in dialectum autem vulgarem expositos. Quare neque a veritate plane absonum mihi videtur, quod Edessae, ubi Iudaeorum plurimi degebant, ante Ephraemum Biblia Hebraice esse lecta, Tacriti refert [2]. Iam vero, sicuti constat in Babylonia ex hac interpretationis consuetudine in Iudaeorum synagogis rata et vulgata ortas esse Chaldaicas paraphrases, ita suspicari quis potuerit, in alia Syriae regione ab ipsis Iudaeis iam ante tempora invectae fidei Christianae procuratam esse Syriacam Veteris Testamenti versionem, quam Peschito vocant i. e. secundum terminum Iudaeis notissimum interpretationem simplicem et litteralem [3]. Inter alios Ric. Simonius versionem V. T. Syriacam Iudaei hominis opus habuit, a qua opinione neque Wisemanus plane abhorret. Ut vero hoc loco taceam, interna versionis indole vix prodi originem Iudaeam, in Talmude proculdubio huius versionis mentio exstaret, si hominis Iudaei esset opus. Neque ea simplicitate gaudebant Iudaei, qua versio Syrorum nitet et emicat. Quare vix credimus, a Iudaeis hanc versionem scriptam esse. Sed etiam quomodo factum sit, ut ne-

---

1) Cf. I. G. Heyne, de Ethnarcha Aretae Paulo insidiante. Michaelis, Introd. in N. T. vol. I. ed. 3. p. 56, ubi locus Abulfedae ad hanc rem pertinens profertur. L. Bodenheimer: die ehemalige Herrschaft der Israeliten in Arabien. Litteraturbl. des Orients 1842. pag. 785.

2) Vide supra pag. 69. De Ephraemo ipso Laengerkius narrat pag. 4.: „Iudaeorum Chaldaeorumque longe pervagatos acriterque agitatos errores maxumopere impugnavit.“

2) הַפְּשַׁט et פְּשִׁיטָא apud Rabbinos est simplex et litteralis sensus; explicatio simplex, plana et clara. Interpres et commentator dicebatur מְפָרֵשׁ. Interpretabantur autem Iudaei Legem quattuor modis: 1) על דרך הפשט, 2) על דרך המדרש, 3) על דרך השכל, 4) על דרך הקבלה. Aquilae editionem secundam Iudaei κατ' ἀκρίβειαν vocabant.

que Christiani primum in Palaestina et Coelesyria versione V. T. opus haberent, satis demonstrasse nobis videmur. Tamen ut primum innotuit versio Syriaca, quae veritate ac simplicitate maxime commendabatur, ecclesiae Christianae, quo magis gentilium numerus augebatur, Iudaei autem se ipsos separabant et excludebant, eo facilius adducebantur, ut versionem illam reciperent. Sane si verum esset, quod Eusebius tradit [1]), Apostolos ubique ecclesiis versionem Graecam LXXviralem tanquam authenticam Scripturam tradidisse, mireris, quod ecclesia Syriaca V. T. versionem probaverit, quae vix magnam [2]) cum Graeca affinitatem habet, sed Hebraeum textum accurate exprimit. Sed certissimum est, etiamsi Apostoli ea animi libertate fuerint, ut facile versionis Graecae receptae usum condonarint ecclesiis et ipsi eius testimoniis doctrinam suam firmaverint, exortam tamen esse in primo Christianorum coetu desiderium multorum flagrantissimum, ut Mosis et Prophetarum libros non tam ex Alexandrinorum manca peritia et Targumistarum haud raro putrida et insulsa expositione, sed ipsa textus originalis veritate perciperent. Si inter Iudaeos et Ebionitas exstiterunt recentes Bibliorum interpretes, ecquid opinaris inter Christianos siluisse studia Hebraea [3])? Aemulato-

1) Eusebii Chronicon Armen. p. 149.: „Constat itaque omni ex parte interpretationem LXX viralem ex antiquis et incorruptis Hebraeorum exemplaribus desumtam fuisse; ideoque ut par erat, nos quoque eadem utemur in praesenti Chronographia, quum praesertim et ipsa Christi ecclesia per universum terrarum orbem diffusa illam solummodo teneat et Salvatoris nostri Apostoli ac discipuli ab initio utendam tradiderunt." Simili modo ante eum Origenes lib. in Cant. I, 41. „Nos — inquit — LXX interpp. scripta per omnia custodimus." Cf. librum meum de Ierem. vers. Alex. pag. 4. sqq.

2) Non omnis omnino Syri cum Graeco convenientia neganda est. Cf. Gen. I, 27., V, 24., VI, 3., XLIX, 10. 11.; Num. XXI, 5.; Ps. XL, 8., LXVII, 1.; Prov. VIII, 23. (LXX ἔκτισε. Syr. et Ar. creavit me). Ies. VIII, 20. אשׁר אין לו שׁחר. LXX δῶρα δοῦναι. Item Pesch. ܫܘܚܕܐ (ד commutatum cum ר). — Ezech. XXXIV, 16. ubi LXX pro שׁמד legerunt שׁמר, quod sequitur Pesch. — Dan. IV, 24. — Zach. VI, 12. צֶמַח LXX ἀνατολή Syr. ܕܢܚܐ. — Zach. IX, 9. צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא LXX σώζων. P. ܦܪܘܩܐ. Vide etiam Gesenium, Commentar. z. Iesaias Einl. §. 12.

3) Aquila Christianus primum fuisse dicitur; Symmachus et Theodotion Ebionitae erant; versionis sextae auctor, si genere fuerit Iudaeus,

res istos habeo studii atque zeli in primaeva ecclesia apud non paucos viros excitati, qui in textum Hebraeum operam omnem navaverint. Sed ut propius ad rem nostram accedamus, num sit verisimile quaerimus, Novi Testamenti versionem Syriacam factam esse in Palaestina aut Syria Antiochena? De Vetere Testamento iam exploratum nobis est, vix ac ne vix quidem id translatum esse ab Iudaeis; sed suspicari quis possit, inter Christianos in Syria Occidentali degentes factam esse vel utriusque vel certe Novi Testamenti versionem Syram. Ut primum de Palaestina agamus, cuique notissimum est, quam tristis fuerit ecclesiarum status saec. II. et III. Ubinam erant μύριοι illi, qui ex Iudaeis fidem Christi acceperant quidem, sed ζηλωτὰς τοῦ νόμου tantopere egerunt, ut Paulo letali odio succenserent, quo nemo unquam exstitit populi sui amantior. Ex Palaestina et Hierosolymis eiecti erant Iudaei et Iudaeo-Christiani, quorum reliquias inter Nazaraeos et Ebionitas dispersas reperimus, qui in Peraea et Coelesyria sedes quaesiverant. Quae deinde Hierosolymis congregata est ecclesia Christianorum, mixta erat ex alienigenis [1]); episcopus Caesareae principatum Palaestinae tenuit; Graeca lingua fere sola universa in Palaestina tunc temporis in usu fuisse videtur. Sed ultra quoque in Arabia, Syria Damascena et Antiochena lingua Aramaea magis magisque cessit linguae Graecae. Quod probatur etiam ex eo, quod Aquila, Symmachus et Theodotion Biblia Graece verterunt et ipsius Hieronymi postea versio Graece translata plurimis in Syria grata et accepta fuit. In Synodo, quae Bostrae habebatur saec. III. vix videtur lingua locum habuisse praeter Graecam [2]). Soli Nazaraei et Ebionitae scripta legebant, quae partim Hebraica partim Syriaca fuisse dicuntur. Hegesippum tradit Eusebius ex Evangelio secundum Hebraeos et ex Syriacis multa sumsisse. Evangelium autem illud secundum Hebraeos, quo Ebionitae utebantur et Nazaraei, apud Hieronymum „Hebraicis litteris verbisque" apud Origenem „Iudaico

---

confessione tamen erat Christianus. Cf. Redepenning, Origenes Thl. II. p. 165. Drusius, veterum interpp. fragm. in praef.

1) Cf. Redepenning, Origenes II p. 1. sqq.

2) In Synodis postea Constantinopoli, Ephesi etc. habitis sunt pauci admodum Syri, qui Graece nomina subscribere non potuerint, ex c. Barsumas Archimandrita.

sermone" scriptum dicitur. Contra Pelagianos accuratius Hieronymus explicat, scriptum illud fuisse Chaldaico et Syro sermone, sed litteris [1]) Hebraicis. Dicebatur vulgo Evangelium Hebraeum sive secundum Hebraeos; tum omnibus Apostolis, tum maxime Matthaeo tribuebatur; Nazaraei illud pro authentico Matthaei Evangelio venditabant. Inde rumor ad omnes fere pervenit, Matthaeum Hebraice scripsisse, quae constans Syrorum traditio est [2]). Hieronymus quoque primum aures praebuit huic famae, sed facile fraudem perspexit, ubi librum ipsum invenit [3]). Vix monendum est, nil commune habere Matthaei Evangelium, ut in Simplici habetur, cum foetido hoc Nazaraeorum libro. Quaerent apud illos Evangeliorum primordia, qui ab Essaeis doctrinam Christianam repetunt et Hegesippi fabulis homiliisque Clementis delectantur. Dialectus autem, qua Evangelium illud scriptum erat, non purus Syriasmus fuisse videtur, sed declinasse ad Chaldaicam Iudaeorum dialectum hebraizantem, quemadmodum Hebraicis quoque litteris exaratum erat non Syris. Quare relictis Palaestinensibus et Ebionitis, qui Graece plerumque loquebantur,

1) In Caesareensi bibliotheca exemplar eius asservabatur; idem a Pantaeno Alexandriam ex Iudaea allatum erat; eius describendi facultatem nactus est Hieronymus a Nazaraeis in Beroea civitate Syriae degentibus (Mannert VI H. I p. 514.). Graece translatum erat ante Hieronymum, qui idem latinitate donavit. Secundum hoc Evangelium Bartholomaeus inter Indos praedicasse dicitur.

2) De antiquo Matthaei exemplari Graeco in insula Cypro Zenonis tempore, reperto quod magnifice descriptum erat et in regia aede summa veneratione servabatur, vid. Assem. II, 82.

3) Refert Hieronymus ex hoc Evangelio narrationes aliquot aniles et putidas, neque enim erat versio Matthaei, cui nihil demtum nihil additum fuisset, sed figmentum vario modo conflatum, Ebionitarum fermento foedaque doctrina non inquinatum solum sed infectum. Cf. de Wette, Einl. in's N. T. p. 71. Sunt vero inter Ebionitas et Nazaraeos multarum rerum pravissimarum traditionumque falsarum origines quaerendae; quae non solum ad Syros, sed ad Graecos quoque et Latinos se propagarunt. Libri apocryphi ex hoc angulo prodierunt; ab istis fictae fabulae de Simone Mago, Apostolorum periodi et alia. Inde ad Syros Orientales invecta multa. Cf. Eusebii Emeseni orationes in historias quasdam apocryphas, illi cum Evangelio Nicodemi communes. In Cod. V. apud Assem. B. O. Tom. I. continetur narratio de urbe Antiochia, quomodo conversa sit per praedicationem Simonis Petri, Ioannis et Pauli et carmen dodecasyllabum ex apocryphis Apostolorum periodis desumtum et Iacobo tributum.

simulque Nazaraeis, qui Chaldaicam quidem dialectum servabant eam autem diversam a Syriasmo versionis Simplicis, iam in superiorem Syriam oculos transferamus, num in Antiochena regione vestigia et natalitia versionis nostrae detegere possimus. Id sane erant, qui proponerent.

„Pastores quosdam credimus", inquit Ridleius, aestimator harum rerum cautus admodum et gnarus, „in rudiorum gratiam in pagis degentium, quibus Graeca lingua minus erat nota, textum sacrum Latine Romae, Antiochiae Syriace reddidisse." Idem alio loco: „Antiochiae nascente ecclesia Iudaei in Graecos et Hebraeos distincti erant; erant multi, qui nullam nisi Syram callebant dialectum. Antiquior et praestantior est Simplex omnibus antiquis Latinis versionibus." Id sane dandum est viro praestantissimo, in Syria Occidentali minime omnium fuisse Graecam linguam satis vulgarem. Aliquot exempla posteriorum temporum hic colligere lubet, unde Syriacae linguae consuetudo in regionibus cis Euphratem sitis cognoscatur, quibuscum conferantur quae supra attulimus pag. 32. In vita Hilarionis Hieronymus narrat Palaestinenses Syriace loqui, quod de illis praecipue accipiendum est, qui trans Iordanem in desertis minusque cultis regionibus degebant. Syriace scripsit monasterii cuiusdam in Palaestina abbas Gregorius, Hieronymo aequalis, qui postea in Cyprum se contulit, ibi quoque ut videtur monasterii abbas factus [1]) (Assem. I. pag. 170.). Ut ad Coelesyriam transeamus, in coenobio S. Maronis (Theodor. hist. relig. c. 16.), quod Apameam inter et Emesam ad Orontem situm erat, lingua Syriaca viguit. Ioannes Maro patriarcha Antiochenus circa annum Chr. DCC, prope Antiochiam nobilibus parentibus oriundus Antiochiae quidem scholas frequentavit, sed Graecam linguam postea demum Constantinopoli didicit (Assem. I. pag. 498.). Presbyter quoque Antiochenus, Isaacus, qui Zenobium praeceptorem habuit, Ephraemi discipulum, abbas postea electus, qui carmine Antiochiae ruinam planxit (459) ob sermonem Syrum nitidissimum ab Iacobo Edesseno inter optimos scriptores collocatur (Ibid. pag. 210.). Item Cosmas in Coelesyria presbyter scripsit Syriace acta Simeonis Stylitae. In ipsa insula Cypro Syriaca lingua mul-

---

1) Nuperrime in magno Palaestinae antro, quod non multum a Bethlehem distat, inscriptiones monachorum repertae sunt Syriacae.

torum in usu erat. Calluit Syriace etiam Epiphanius, quem Hieronymus in apol. adv. Ruf. πεντάγλωττον vocat, linguarum peritum Hebraicae, Syriacae, Aegyptiacae, Graecae et Latinae. Omnino permulti degebant in Cypro Syri, quibus etiam episcopi ex Syria non raro praefuerunt, ut ipse Epiphanius et Spiridion. Item laudat Iacobus Edessenus orationem Syriacam a Proclo, urbis cuiusdam Cypri episcopo (a. 486), compositam. Quumque Oriens postea in factiones divisus esset, tres Cypri partes Syriacum ritum amplexae sunt, nimirum Maronitae, Iacobitae et Nestoriani, qui suos ibidem episcopos habebant [1]). Quo propius autem accedis ad Euphratem, eo frequentior apparet Syriacae linguae usus, non solum Palmyrae et in solitudine, quae Damascum inter et Babylonem late patet, sed etiam in Commagena, cuius partes ad Euphratem sitae illis temporibus satis populosae erant et oppidis refertae, hodie solis aestu et aquarum inopia, quum nulla adsit hominum cura, solitudini aequatae [2]). Ex quibus omnibus satis evictum est, non ita ubique in Syriae partibus Graecam linguam fuisse omnibus cognitam, quin interpretatione Bibliorum Graece scriptorum opus fuerit. Nihilo secius vix nobis persuadere possumus, ut Ridleii sententiae calculum adiiciamus, Antiochiae versionem Simplicem scriptam esse [3]), his potissimum ducti argumentis. I) In oppidis maioribus Graeca lingua obtinuit suntque maxime regio Libani montosa et desertum Syriae, cuius incolae Syriace loquebantur iique potissimum rudiores et agrestes. Constat autem prioribus temporibus in oppidis fere solis ecclesias exstructas fuisse, in quibus auscultandi facultas pagorum simul incolis parata erat in urbes passim confluentibus. Porro

---

1) Cf. in actis concilii Florentini epp. Eugenii* IV ad duos Cypri archiepiscopos. Decimo adhuc saeculo in Cypro insula Syra lingua scribebatur, sed quae iam a puritate sua deflexerat, ut exempli causa femininum genus pro masculino diceretur. Assem. I. p. 307. de cod. Syr. VII.

2) Cf. Mannert Thl. VI. H. 1. pag. 521. Chalybonitis. „Wo jetzt ewiger Sand die dürre Gegend deckt, lohnte im Persischen Zeitalter reicher Ueberfluss den Fleiss des Bewohners; lachende, mit Bäumen besetzte Fluren bildeten herrliche Landgüter und Gärten." Burckhardtus (über die Beduinen u. Wah. pag. 81.) narrat, in deserto Syriae plurimas esse vicorum reliquias, in quibus Arabes mortuos sepelire soleant.

3) De Antiocheno interprete cf. etiam Corn. a Lapide praef. in Pentat. Thes. Ambros. introd. pag. 95.

si in loquendo viguit lingua Graeca, etiam magis et sola fere erat scribentium, ita ut rarissime videantur ex Syria citeriori libri prodiisse Syriace conscripti. II) Deinde pro certo habendum est, in quolibet vico tum complures fuisse, qui interpretis vices suscipere potuerint, cuius omnino munus in Oriente semper frequentissimum erat, tum maxime in ecclesiis certo cuidam viro proprium officium delatum fuisse Graece scripta in vulgarem Syriacam dialectum vertendi, ut supra exemplo Basanis [1]) probavimus. Num opus fuisset tali interprete, si Bibliorum versio Syriaca ibi in usu fuerit? III) Antiochia si patria esset versionis Simplicis, mentionem eius saepius magisque accuratam a Patribus factam desideraremus et famam huius originis aliquo modo superstitem. Contra vero qui ultra Euphratem degebant Syri, uno ore omnes in Edessae usum versionem Simplicem scriptam esse tradiderunt, cui rei Syrorum occidentalium nemo quod sciam refragatus est. IV) In Actis Apostolorum loco στρατιωτῶν Peschito habet „Romanos“, unde ni fallor colligi potest, esse scriptam versionem in regione extra fines imperii Romani posita. *Μεσοποταμία* Act. II. redditur ܒܝܬ ܢܗܪܝܢ. V) Exempla supra collata si accuratius investigamus, maxime monachi sunt qui Syriace et locuti sunt et scripserunt, eorumque haud pauci ex Mesopotamia advenae, ut Isaacus presbyter Antiochenus aliique. Quod ut clarius patescat, ex Theodoreti historia religiosa exempla haud pauca nobis praesto sunt. Inter eos, qui primi in Mesopotamiam vitam monasticam invexerunt, Iulianus Saba a Syris celebratur, ad quem plurimi statim discipuli se contulerunt, inter quos fuisse refertur Asterius, qui deinde circa Gendarum, qui vicus maximus est sub Antiochia, palaestram fixit monasticam multosque secum congregavit. Unde exiit Acacius, Berrhoeae episcopus, quem in persecutione Valentis, Meletio ex Antiochia urbe eiecto, mittunt Flavianus, Diodorus et Aphraates ad Sabam supra laudatum, ut Arianam flammam exstingueret. Ad quem nuntium, quasi ipse miraculum esset, deserto relicto, postquam quadraginta annos hominum domicilia vitavit, Sabas Antiochiam iter fecit et cum haereticis conflixit. Monachus alter Marcianus erat, oriundus ex Cyro, quod oppidum duorum dierum iter

1) Scythopolis a Tzetze et Cedreno dicitur Basan, nomine ex Bethsan corrupto, ut in Mischna ביסן occurit. Cf. Relandum s. v. Scythopolis.

distat ab Antiochia, qui tanta auctoritate pollnit, ut accesserint ad eum nonnunquam Flavianus, Antiochiae episcopus, Acacius, Eusebius Chalcidensis, Isidorus Cyri et Theodotus Hierapolitanorum episcopus; eius iterum discipulus fuit Basilius, qui apud Seleucobelum, Syriae urbem, monasticum habitaculum exstruxit. Maxime ex iis apparet Graecae et Syriacae linguae in Syria affinitas, quae de Publio Theoretus tradit. Ille quidem in urbe Zeugma habitavit, quo quidem loco transgredi solebant Euphratem qui in Orientem veherentur. Frequentissima erat haec via, quum alter vix esset expeditus Mesopotamiae et Babyloniae aditus, quare plurimos Graecos hic consedisse verisimile est [1]). Hac igitur in urbe postquam Publius fratrum communis vitae rationem et disciplinam instituit, qui Graeca voce Deum Psalmis laudabant, huius vitae amore eos quoque captos esse Theodoretus narrat, qui lingua illius regionis uterentur. Ideo concurrisse multos et supplicasse, ut et ipsi in illorum gregem admissi eiusdem doctrinae participes essent; quorum votis conniventem Publium, in templo ibi constructo iussisse et hos et illos convenire, ut vespertinos matutinosque hymnos Deo una offerrent, in duas quidem partes divisi et singuli sua voce utentes, ex successione autem canticum emittentes. Permansisse etiam eius instituti formam ad Theodoreti usque tempora; post Publii mortem Theotecnum Graecae linguae, Aptonium Syriacae praefecturam accepisse. Ipse Macedonius ille, cui Theodoreti mater accessit filii partum exorans, Syra voce utebatur; dicebatur etiam a nonnullis Syriace Gubta (quod λάκκον interpretatur Theodoretus), quia in fossa profunda vixit. Aliquando quum civitas quaedam Imperatoris statuas contumelia affectas perdidisset legatique mitterentur qui eius rei vindictam peterent, Macedonius Syriaco sermone usus rogavit, ut Imperatorem esse ipsum hominem monerent, ne pro suis imaginibus imagines Dei occideret. Aliorum monachorum historiam Theodoretus tradidit, qui et gente et lingua Syri fuisse videntur, Marsymae, Maronis et Abraamis, qui in regione Cyri degebant, Salamani [2]), qui ortus erat ex Capersana ad occidentem Euphratis, et aliorum. Constat omnino, conversos

---

1) Cf. Ritter de urbe Zeugma, Erdk. Thl. X.

2) Salamanus cf. nomen שַׁלְמַן ab Hosea pro Salmanassare ut videtur positum.

sos esse in Syria pagorum, montium desertarumque regionum incolas ad fidem ecclesiastiacam maxime monachorum studiis et praedicatione, qui proh dolor! portentis magis et stupenda vitae suae forma, porro fervore illo et zelo, qualis inter continuas solitudinis exercitationes, ieiunia et phantasmata ardescere solet, quam verbi divini integra expositione animos hominum percellere solebant. Inter Bibliorum libros maxime vacabant illi Psalmis recitandis legendisque Evangeliis, unde factum videtur, ut solum Psalterium Syriacum in Hieronymi manus venerit, a Paula et Eustochio decantatum. Evangeliarium secum gestasse traditur ex. gr. Millesius, qui ex Aegypto in Mesopotamiam reversus, quum Iacobum Nisibenum construenda ecclesia occupatum invenisset, deinde ex Adiabene ܠܒܝܬ ܐܪܡܝܐ Seleuciam et Ctesiphontem se contulisset, ibidem in ecclesia cum episcopo rixatus ex pera codicem Evangeliorum protulit (Assem. B. O. I. pag. 186. not.). Etiam posterioribus temporibus maxime Psalmos et Evangelia inter Syros lectitata fuisse constat.

Quae quum ita sint, nihil impedit, quominus trans Euphratem versionis Simplicis patriam quaeramus. Haud quidem diffiteor, suspectam mihi aliquamdiu fuisse hanc sententiam ea de causa, quod tam multa vocabula Graeca in versione Simplici occurrunt, quae vix aliquo loco recipi potuerint, nisi ubi Graecae linguae usus creberrimus fuerit. Neque tamen tale Syriacae et Graecae linguae commercium defuit Edessae inque aliis Syriae orientalis oppidis. Ab Alexandri inde temporibus Graeca lingua in has quoque terras illata est. Deinde sub Seleucidarum imperio, ut de aliis taceam [1]), Seleucia ad Tigrim condita mox ita aucta est, ut totius Orientis urbs maxima et opulentissima haberetur, affinitate eius, ut ait Plinius, exhausta antiqua Babylone. Parthis Persisque Mesopotamia potitis Syri interpretes fuerunt in negotiis, quae illis intercedebant cum Graecis et Romanis. E conspectu Seleuciae in ulteriore Tigridis ripa Ctesiphonte condita, hic iam convenere tres Orientis gentes: Graeci, Persae, et qui inter utrosque medii erant, Syri. Valarsaces ab Arsace Armeniae rex constitutus, secundum Mosen Chorenensem, Syrum quendam Maribam Catinensem, virum et Chaldaicarum et Graecarum litterarum bene

1) Cf. de Mesopotamiae statu ex tempore Seleucidarum Ritter vol. IX, pag. 1132 sq.

peritum ad Arsacem misit, qui Armeniae historiam antiquam ex bibliotheca regia scrutaretur et describeret ipsi afferendam [1]). Edessae potissimum Graecorum studia, artes et lingua exculta sunt. Fuit quidem Edessa a principio colonia Graeca [2]), et ipsa nomine Antiochiae insignita, videtur tamen postea a Syris fere solis occupata [3]). Sub Abgaris regibus magis innotescere coepit, Carrhis ante illius regionis partes primas obtinentibus. Moses Chorenensis testis est, Eruandi tempore Armeniis Mesopotamiae regno adempto, quum graviora etiam ex Armenia tributa Romanis penderentur, procuratores Romanos urbem Edessam magnifice exstruxisse atque vectigalium aeraria ibi statuisse simulque collectis undique tabulariis scholas duas instituisse, quarum altera Syrorum altera Graecorum usui esset [4]). Est quidem satis dubia fides Mosis Armenii, qua de re fusius infra dicendum erit, illustratur tamen ex his omnibus Mesopotamiae status, qui illo tempore fuerit. Hic enim Orientis et Occidentis regiones contingebant, hic Roma Orientis vectigalia, divitias, opes exigebat, hic Syri et Persae Graecorum Romanorumque mores et studia discebant. Per Mesopotamiam via magna et frequentissima duxit, quae Antiochia Seleuciam pergebat. Edessae reguli modo Romanis modo Parthis morem gerentes amborum gratiam studiose quaesiverunt, timuerunt iram et vindictam. Mesopotamia comites et interpretes praebuit iis, qui vel ex Oriente in Occidentem, vel ex Occidente in Orientem viam fecerunt. Caesares omnes et Imperatores, qui Parthis bellum intulerunt, hospites fuerunt urbis Edessae, solo Iuliano, quod sciam, excepto, qui Edessae utpote urbi ob fidem Christianam celeberrimae graviter succensuit [5]).

1) Ex Maribae (Mar Ibas) tabulis multa prompsit Moses Chorenensis. Reperisse illum dicit (l. I. c. 8.) volumen iussu Alexandri ex Chaldaico sermone in Graecum conversum, quod historiam antiquam vel potius dynastiarum ordines continuerit. Inde depromptam historiam Armeniam detulisse Maribam Nisibin ad Valarsacem, Graeca et Syriaca lingua scriptam.

2) Bar-Hebraei Chronicon pag. 38.: „Seleucus Nicator condidit Antiochiam, Seleuciam, Apameam, Edessam, Beroeam, Phellum et Germaniciam, quae eadem est quae Marasch.“

3) Dicitur a Chrysostomo μιξοβάρβαρος, πόλις ἀγροικοτέρα. Orat. LXV. 478. Plura infra hac de urbe dicentur.

4) Cf. Buttmann, Mythologus I. p. 235.

5) Iovianus templum Edessae eadem petiit nocte, qua Iulianus Carrhorum fanum adiit.

Quare licet erroris arguendi sint Eichhornius aliique, qui Graecae linguae tam crebrum et vulgarem usum Edessae tribuerunt, ut Graece libri sacri populo recitari potuerint, negari tamen non potest, multam Graecae linguae illa in urbe consuetudinem fuisse. Syriaca quidem lingua apud homines vulgares sola adhibebatur, in quorum usum Ephraemus carmina Syriaca scripsit. Ephraemus ipse Graecae linguae ignarus fuit; sed eius aequalis Eusebius Emesenus nobili loco Edessae natus atque in scholis elementis primum sacrarum litterarum imbutus, deinde *τὰ Ἑλλήνων* didicit *παρὰ τῷ τηνίκαυτα ἐν τῇ Ἐδέσῃ ἐπιδημήσαντι παιδεύτῃ* (Socrates hist. eccl. l. II. c. 9.), cui simile quid Iosephus Iudaeus narrat de se ipso. Erant igitur Graecarum litterarum magistri Edessae; in nummis et inscriptionibus ea lingua utebantur. Quae Syriace scribebantur, mox vertebantur in sermonem Graecum, ut de Bardesanis libris refert Moses Choren., neque minus Graecorum libri hac potissimum in urbe facti sunt Syris communes et proprii. Sed et ipsa Syriaca lingua, quae in universum litteris minus excolebatur et magna dialectorum varietate et corruptione laborabat, Edessae ad normam grammaticae restringebatur et in scholis exercebatur. Hanc in urbem delegarunt patres ex locis vicinis filios, ut regulas linguae discerent [1]); ibi Persis quoque schola erat [2]), in qua Syrorum litteris imbuebantur, quum magni facerent Persae Syrorum linguam profundissimam (Epiphanius haer. 66.). Itaque scholis et magistris omnino abundasse videtur Edessa, prae ceteris sedes litterarum habita, quamvis eius incolae ab Antiochenis pro semibarbaris habiti sint, ut Graeci omnino sibi solis verum litterarum gustum urbanitatemque vindicare solebant. Edessae litterarum peritiam plurimis propriam fuisse, apparet etiam ex historia Protogenis, presbyteri Edesseni, qui a Valente in urbem Antinoum relegatus confestim ibi *διδασκαλεῖον καὶ*

1) Act. Boll. XV. Ian. in vita Alexandri Acoemetae: „Erectae sunt in ea urbe iam olim divino nutu linguae Syriacae scholae in vicinarum civitatum commodum. Nam viri principes atque alii locupletes liberos suos eo institutionis gratia ablegant.“ Quare non est Ben-Attibus audiendus in eo quod Ephraemum huius scholae fundatorem facit, etenim Ephraemi tempore (cf. eius vitam Assem. I. pag. 35.) iam frequentata erat.

2) Cf. Assemani I. p. 204. p. 351. epistola Symeonis episc. Beth-Arsamenis. Wiseman. l. c. pag. 119 not. 4. Assem. III, 2. pag. 924. sq.

παιδευτήριον instituit puerorumque magister factus est (Theodor. h. eccl. IV. c. 18.). Quare iure nostro statuere nobis videmur, hac in urbe facillime repertos esse, qui Bibliorum in Syriacum sermonem interpretes exstiterint utriusque linguae Graecae et Syriacae probe gnari. Haec tamen non eum ad finem congessimus, ut his ducti argumentis Edessae iam vindicaremus originem versionis Syriacae. Sane, haec de Edessa urbe tradita si quis perpenderit, facile traditioni Syrorum accedat, Edessae scriptam esse versionem Simplicem [1]). At vero haec ipsa traditio de Abgaro rege et urbe Edessa ad fidem Christianam aevo Apostolico conversa accuratius examinanda est. Id evicisse exemplo Edessae sufficit nobis, quod inter Syros non solum Graeca lingua satis trita et plurimum exercita fuit, unde facile vocabula Graeca in Syriacam recepta sunt, sed etiam quod iam soliti erant illo tempore Syri, in Graecam linguam transferre Syriaca et magis etiam quae Graece scripta erant, suorum in usum et sermonem vertere. Id tamen observandum, has Syriacarum linguarum primitias provenisse ex coetu Christianorum, quare de prima evangelii praedicatione maxime opus est ut certiores fiamus. Quam ad rem felicius expediendam in excursu huic libro annexo de Mesopotamiae historia primis p. Chr. saeculis seorsim agamus.

Cap. V.

Quid ex versionis ipsius indole de eius origine coniici possit.

Versio Syriaca Simplex non omnes N. T. libros exhibet; desiderantur enim epistola Petri II., Ioannis II. et III., epistola Iudae et Apocalypsis Ioannis. Ordo autem librorum hic est: I) Quattuor Evangelia, II) Acta Apostolorum, et epistolae tres catholicae, Iacobi, Petri et Ioannis [2]), III) Pauli epistolae quattuordecim. Quem ordinem servant codices antiqui manuscripti et commentatores omnes excepto Iacobo Edesseno, Evangelia po-

---

1) Huic opinioni favet Ewaldus, initio saec. II. factam esse versionem simplicem Edessae. Comment. z. Apocal. p. 60. Adde I. D. Michaelem.

2) Ebediesus Sobensis in catalogo: „Epp. consignatae ab Apostolis omni charactere et lingua-ideoque catholicae nuncupatae.“

stremo loco ponente. Supra monuimus, Waltonum alios inde quod Apocalypsis et epistolae Ioannis II. et III., Petri II. et Iudae non legantur in versione Simplici, argumentum antiquitatis promsisse; scilicet scriptam esse versionem, antequam epistolae illae et Apocalypsis editae fuerint, scilicet ii N. T. libri, qui omnium consensu Apostolorum vitae extremae consignari debeant. Alii vero has Simplicis lacunas vix sine ira et studio foveas idoneas habent, in quibus librorum authentiam veritatemque submergant. Ephraemum constat Apocalypsi usum esse [1]), neque omnino inter Syros veteres librorum illorum auctoritatem in dubium esse vocatum, quin pro genuinis Apostolorum scriptis habiti fuerint. Quare iure nostro antiquitatem versionis inde firmari putamus, quod libros nonnullos non repraesentat, qui saec. II. et III. in canone ecclesiarum quam apud Syros non maiorem experti sunt repulsam quam Antiochiae, Alexandriae et in toto Oriente. Erant sane scripta illa ἀντιλεγόμενα, non omnium ecclesiarum applausu et fide accepta, neque sane mireris, contradixisse plurimos Apostolorum verbis postremis, quum tanto ardore et studio in ecclesias earumque praesides invehantur, quod Christum praetegentes minime factis veraque fide profiterentur eum, qui a peccato et servitute nos redemit. Laodicena synodus saec. IV. Apocalypsin reprobavit neque a vero aberrare nobis videmur statuentes, maxime Antiochiae et in Orientis haud paucis ecclesiis idem Apostolorum epistolis postremis evenisse, quod queritur et Ioannes in fine vitae: „Non excipit nos, qui primus esse vult ecclesiae illius“, et Paulus: „Omnes in Asia me deseruerunt [2]).“

Quattuor autem Evangelia, Acta Apostolorum, tres catholicas epistolas et Pauli quattuordecim saec. II. in ecclesiis ubique canonis iure et auctoritate collectas et receptas fuisse tota historia clamat, suam ipsorum duntaxat in ignominiam renitentibus quibusdam, qui historici appellari velint.

Utrum vero ab eodem an a pluribus translati sint libri N.

---

1) Cf. carmen eius in Psalmum: Pone Domine custodiam ori meo. Assem. I. p. 141.

2) Beati Lutheri scripta ultima, ex. gr. „Wider das Papstthum zu Rom vom Teufel gestift“ repudiata sunt ab eorum quam plurimis, qui stare se a partibus Lutheri dicebant.

T. Syriaci, difficile est dignoscere. Stephanus Evod. Assemanus Evangelia Syriace versa dicit ab Apostolo quodam; sed id sola ex coniectura dixit Maronita, ut quam maximam posset dignitatem Evangeliorum libro Syriaco vindicaret, tamen metuens ne nugarum argueretur, si cum quibusdam Syris ab Apostoli nomine universum Testamentum repeteret. In Evangeliis quidem tanta est interpretationis constantia et aequalitas, idem ubique tenor eademque ratio, verborum formarumque tanta similitudo, ut vix dubitari possit, ad eundem auctorem illa esse referenda. Iam vero in Actibus aliqua emergit differentia alio loco accuratius investiganda, quae tamen inde originem facile duxerit, quod interpres hoc in libro indulserit sibi quodammodo neque ea diligentia, qua in Evangeliis usus est, etiam hunc librum vertendum esse duxerit [1]. Epistolam ad Hebraeos proprium interpretem nactam esse, I. D. Michaelis patrem secutus inde coniicit, quod ἱερεὺς in ea reddatur per ܟܘܡܪܐ, quod vocabulum neque in N. T. alioquin bono sensu legitur, neque in V. T. nisi Ies. LXI, 6. et Ps. CX, 4 [2]. Singularis quoque huius epistolae ratio est locos V. T. citandi, maximeque interpres Psalmos in ipsa versione Syriaca legisse ac saepe sequi videtur. Quare quum epistolae ad Hebraeos Paulum esse auctorem sine ulla dubitatione affirmet Syrorum traditio, coniici potest — id quod aliis quoque de causis verisimile est — collectis primum tredecim Pauli epistolis posteriori tempore adiunctam esse unicam eam, quam ad Hebraeos

---

1) Idem sese ultro obtulit mihi versionem Simplicem iterum iterumque volventi, quod his verbis exprimit Hugius (Einleit. I. §. 67. pag. 363. 3. Aufl.): „Indessen kam es mir wohl auch so vor, als wäre die Peschito des neuen Bundes nicht ganz von einer Hand. Das Benehmen des Uebersetzers schien mir freier in der Apostelgeschichte und in den Briefen als in den Evangelien zu sein, und auch in der Diction glaubte ich einige Verschiedenheit zu bemerken.“ Ex. c. στρατιῶται in Evangeliis hoc ipso Graeco verbo redduntur, in Actis Romani.

2) Hugius quidem hoc argumentum ex voce ܟܘܡܪܐ sumtum infirmare et diluere studet; interpretem enim hanc vocem ex Psalmo CX, 4. recepisse. Vix tamen hac in re assentiri licet viro doctissimo; idem enim vocabulum iam cap. II. occurrit, ubi nulla Psalmi CX. ratio habita. Arabs, qui Syrum sequitur, ܟܘܡܪܐ verbo rarissimo كمر reddidit. In vita Ephraemi ܟܘܡܪܐ appellatur pater Ephraemi, idolorum sacrificulus.

non tam Apostoli nomine (Apostolus enim erat gentium) quam fratris et admonitoris direxit. Etenim epistolae ad Hebraeos apographa nactae sunt ecclesiae ex Palaestina; cetera N. T. scripta in Graecorum ecclesiis quam ocissime collecta sunt et Apostolorum iam aetate omnem in orbem invecta.

Videtur igitur N. T. in linguam Syriacam translatum, quo tempore Canon librorum nondum ubique finitus et probatus erat, atque quia ex Palaestina vel potius Antiochia vicina libri sacri in Mesopotamiam allati videntur, suspicari licet, maxime Antiochiae et in Syria universa fuisse illos, qui nonnullis Apostolorum libris contradicerent [1]. Ignatio et qui similes ei in ecclesiis exstiterunt episcopi et rectores, iis non ita multum placuisse existimaverim Petri epistolam secundam et Ioannis Apocalypsin, ut eandem iis cum ceteris Scripturis auctoritatem concesserint. Videtur porro in tam vetustum tempus referenda versio Syriaca, quo epistola ad Hebraeos nondum ceteris Paulinis adiuncta erat; si quidem ab alio interprete Syriace reddita postmodum annexa est, agmen ducens totius N. T.

Ceterum talem se praestitit interpres Syrus, qui linguae Graecae bene peritus fuerit, ut infra videbimus. Non ita linguae Latinae; nam Act. XXVIII, 15. Ἀππίου φόρου Nominativum scribit Appius forus; erravit fortasse quod vocabulum φόρου non ad Latinum forum, sed ad Graecum φόρος retulit; in universum autem non exstant similes errores, quin immo in verbis rebusque minus cuique notis et vulgaribus satis bonam et multimodam eruditionem probat. Neque minus in Palaestinensibus rebus omnino promtus est et expeditus in transferendo; nomina urbium et pagorum fere omnia recte notavit. Iudaeum tamen gente vix eum habueris; Ioan. IV. ἐπὶ προβατικῇ negligitur ab interprete inscio, ut videtur, quid hoc sibi vellet; item Luc. VI, 6. δευτεροπρώτου est omissum; Act. IV, 1. στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ mu-

---

1) Inter Occidentales nulla exoritur iisdem de libris dubitatio, qui inter Orientales ἀντιλεγόμενοι dicuntur. In Syria Iudaei et haeretici primum despexerunt Apostolorum aliquot scripta; neque tamen inter ceteros Christianos deerant, qui non offenderentur epistolis nonnullis; paucis igitur praefracte authentiam negantibus, plures haesitare coeperunt; ita ut de quarum auctoritate nihil curaverit Clemens Alexandrinus, de iisdem dubia variasque sententias memoret Origenes, Eusebius easdem inter ἀντιλεγόμενα collocet.

tatur in ἄρχοντας; Act. XVII, 19 interpretamentum additur: dies ieiunii Iudaeorum; Marc. VII, 3. illud πυγμῇ, quod Iudaicum ritum exprimere videtur, vertit Syrus: diligenter [1]). Neque Iudaeos lectores respexit, pro sabbati via scribens stadia septem (Act. I, 12.). — Lingua autem Syriaca, qua utitur interpres, prorsus convenit cum idiomate Mesopotamiae, vocabulis Graecis sat multis et sine ulla fere haesitatione receptis, maxime iis quae vel vitae forensi communia sint, ut τιμή, vel una cum Christiana ipsa praedicatione invecta, ut εὐχαριστία — vel rariora et difficilius Syriacam in linguam transvertenda, ut εὐρυκλύδων et alia [2]). Multum non refert, quod Bar Hebraeus omnino non benevolus vel addictus Simplici, reprehendit nonnumquam formas minus grammaticae regulis probatas; etenim in universum prorsus accedit versio ad illam linguae speciem, quam postea etiam magis per viros litteratos excultam Edessenam sive Mesopotamenam vocare licet. Haec omnia igitur optime quadrant in virum interpretem, natione Syrum, qui Graecis litteris bene et accurate institutus et omni modo illorum temporum eruditione satis politus [3]), in usum popularium Canonem librorum ex Antiochena ecclesia in Syriam Orientalem advectum cura magna et laetissimo partim successu patrium in sermonem transtulerit. Sane castitas illa et integritas, qua Evangelia et Apostolorum Acta scripta sunt, qua nihil unquam sanctius prodiit et admirabilius, minime ubique servatur in versione; iam Christianum quoddam loquelae et formularum genus et perversam doctrinam hic illic dignoscere licet. Luca in Actis incipiente: . . . „ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν“ — Syrus ore pleniore habet: „Dominus noster Iesus Christus“ ut saepius. Nomini Symeonis plerumque additus „Petrus“. Act. II, 4., ubi in Graeco habes: „Ἦσαν δὲ προςκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προςευχαῖς,“ vertit Sy-

1) In vers. Philoxeniana in margine legitur ad h. l. ܕܡܦܪܟܝܢ ܒܡܝ̈ܐ ܒܨܒܥܬܗܘܢ, quia digitis suis in aqua ludunt (?).

2) Ex solo Matthaei cap. XXVII. verba Graeca colligit Hugius non minus undecim, ἡγεμὼν, τιμὴ, ἀγρὸς, ξένος, βῆμα, στρατιῶται, σπεῖρα, χλαμὺς, πρόςωπον, λησταὶ, σπόγγος. Cf. Hoffmann, Grammat. Syr. in Prolegg.

3) Errores graviores non multos commisit, ut infra videbimus.

rus: „Et constantes erant in doctrina Apostolorum et associabant se in precatione et fractione eucharistiae"; versu autem 46. ἄρτον per ܦܪܣܬܐ reddit, ubi appositum est κατ' οἴκους; quasi distinxerit inter publicam eucharistiam et panis fractionem domi factam. Neque omnino ab errore et ieiunis quibusdam explicationibus liber est interpres noster, quare Apostolicum virum nequaquam dixerim illum. De lectione recepta I. Cor. V, 8. ܒܚܡܝܪܐ in fermento, ubi alii tamen legunt ܒܦܛܝܪܐ in azymo, infra videndum erit. Sed et illud observatu dignum, quod vox episcopi nullo loco legitur nisi Actorum XX, 28.; ubique enim scriptum est ܩܫܝܫܐ πρεσβύτερος; sic etiam I. Timoth. III, 1. ἐπισκοπή — ܩܫܝܫܘܬܐ (cf. Phil. I, 1.). Diaconi ܡܫܡܫܢܐ vertuntur, quod ipsum nomen in usu ecclesiae perseveravit, etiamsi hypodiaconi et archidiaconi nomina Graeca postea recepta sunt. Inde sequitur, scriptam esse versionem, quo tempore systema hierarchicum et episcopale nondum invectum erat, sed duo tantummodo munera sive officia seniorum et ministrantium usu vigebant [1]). Est quoque consideranda ratio, quomodo V. T. loci in Evangeliis et Apostolorum epistolis citantur. Etenim epistolam ad Hebraeos si excipias plerumque sequitur Syrus κατὰ πόδα textum Graecum, neque illud ubique studium cognoscas seriori aetati proprium, ut verba citata conformentur cum iis, quae in Syriaco V. T. leguntur, id quod vix fieri ita potuisset, si V. T. Syriacum in ore et consuetudine omnium iamiam divulgatum fuisset [2]). Altera vero ex parte neque in V. T. apparet interpretis studium textum ita reddendi, ut ad locos in N. T. citatos sive sensu sive verbis propius accedat. Unum quidem locum Psalmi LXVIII. — celeberrimum illum, de cuius citatione in ep. ad Ephesios gravissime reprehenditur divus Paulus ab interpretibus [3]) —

1) Tempore Ephraemi nomen „episcopi" usu vulgari receptum erat apud Syros.

2) Cf. Act. II, 25., Marc. I, 1. etc. etc. Sed vulgo, non dixi semper Syrum sequi textum Graecum, nulla ratione habita eiusdem loci, ut in Syriaca V. T. versione legitur. Nonnumquam sane facta est collatio Matth. XIX, 4. 5.; XXI, 5.; XII, 18.; XIII, 14. sq. Pressius sequitur verba V. T. Act. IV, 25. 29. et Act. VIII, 31. 33. Cf. etiam Rom. IX, 29.; XI, 9. 10.

3) Apud homines sane „λαμβάνειν" et „διδόναι" ita sibi repugnant, ut conciliare nequeam. Sed aliter apud Deum. Act. II, 33. legitur

primus Gabriel Sionita, Psalterii editor, argumento esse voluit, versionem V. T. Syriacam factam esse ante tempora Christi, quia Paulus locum illum attulerit eum in modum, ut sola in Syriaca versione legatur. At vero alii id ipsum indicium esse voluerunt [1]), versionem factam esse a viro Christiano, qui in Psalmo illo non tam Psalmi quam Pauli verba reddiderit. Ex Psalmorum inscriptionibus origo Christiana probari nequit; postea enim facile addebantur. Maxime vero versus tertius Psalmi CX., perquam ille quidem obscurus et vario modo expositus — de Iesu dictus videri possit, Dei filio aeterno, ex utero virginis nato. Haesito tamen in huius loci interpretatione, nescius, quid sibi voluerit Syrus. Neque ex Michae cap. V. vel Ies. VII, 14. Christianae originis argumenta solida promi possunt; tum etiam Targumistas fuisse Christianos probaverim. Eam autem utriusque Testamenti Syriaci rationem dixerim, ut eodem fere tempore, saeculo nascentis Christianorum ecclesiae, et V. T. ex Hebraeo et N. T. ex Graeco sermone translata sint Syriace ab interpretibus sobriis et bene peritis [2]).

Iam vero de patria versionis Syr. V. T. dubia nobis moventur a viro in litteris Syriacis exercitatissimo et eximio. Wisemanus (l. c. pag. 129. sq.) scribit: „Reperiuntur in versione Syriaca verba quam plurima, quae Edessenis, ad quos Ephraemus suos libros dabat, iam ignota erant vel peregrinitatem olebant.“ Cui rei innixus quaerit vir doctissimus, „nonne dicendum

---

de Christo „ad dextram Dei exaltatus *τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐξέχεε τοῦτο . . .*“ Nonne id ipsum, quod accepit filius hominis a Patre, eum tantummodo ad finem impetravit, ut distribueret hominibus? Nonne Paulus id unice agit in epistola ad Ephesios, ut ecclesia omnia quae sunt Christi, sibi esse concessa et suum in usum comparata intelligat?

1) Cf. Cellarius, Excerpta V. T. Syriaci in praef. et Carpzovius, Critica Sacra.

2) In V. T. observanda est ea, quae inter Syrum intercedit ratio partim cum Hebraeorum traditione exegetica partim cum versione LXXvirali. Porro multa etiam in V. T. ex Hellenistarum lingua recepta sunt; ex. gr. lex redditur ܢܡܘܣܐ. Contra in N. T. Syriaco quaedam ad Iudaeorum usum loquendi referenda sunt, ut illud ܐܪ̈ܡܝܐ, ubi in Graeco *ἔθνη* s. *Ἕλληνες*. Merito etiam laudatur N. T. interpres, quod multis in locutionibus, quas Hebraismos appellant, ad V. T. formulas et idioma proxime accedat.

sit, versionem istam fuisse conscriptam vel e o t e m p o r e, quo maiorem cum Hebraica cognationem Aramaea lingua iactabat verbis tamen Graecis immixta magis, vel e o l o c i, ubi lingua hisce iisdem notis signabatur, i. e. vel in Occidentali Syria vel si in Orientali longe ante quartum saeculum.“ Verum si verba illa ab Ephraemo interpretatione illustrata, quae maxima diligentia collegisse se testatur Wisemanus, examini subiiciamus, facile apparet, difficultatem non tantum in verbis quam ipsis in rebus positam esse. Quot tandem leguntur in V. T. vocabula, de quorum genuina significatione hodieque ambigitur! Nonne in ipsius Lutheri Bibliis plurima leguntur, quae interpretamento indigeant hominibus vulgaribus? Neque facili negotio funguntur Bibliorum interpretes, quare omnino laudandus est maxumopere Syrus, quod promte et bene tot tantisque difficultatibus se expediverit. Vix tamen potuit interpres, quin nonnumquam vocabulum ex Chaldaismo vel Graeca vel Latina demum lingua mutuaretur, nisi aliis in locis ipsa Hebraea servare maluerit; erant etiam res aliquot fere ignotae, remotissimae et ab usu temporis alienae verbis rarioribus vixque auditis reddendae. Cuius generis sunt ex. gr. nomina vestimenti alicuius vel suppellectilis vel mensurae: Exod. XXXVII, 16.: קְעָרֹתָיו, Syr. ܡܢܩܝܣܬܐ, vocabulum Ephraemo interpretatione egere visum; Exod. XXVIII, 4. חֹשֶׁן — ܦܪܝܙܘܡܐ (περίζωμα); מִצְנֶפֶת Syr. ܡܨܢܦܬܐ; Exod. XXXVIII, 4., מִכְבָּר Syr. ܩܪܩܠ, circulus (nempe foculi ignem continens); II. Sam. VIII, 7. שִׁלְטֵי הַזָּהָב Syr. ܦܠܛܐ; Zach. V, 7. pro אֵיפָה Syr. ponit ܟܠܠܬܐ, rariori hac voce speciem quandam indicans ܟܝܠܐ. Iam his in exemplis confugere videmus Syrum ad vocabula extera, Graeca et Latina, vel ipsum Hebraicum retinere, si vox rarior ipsi occurat vix Syriaco sermone apte reddenda. Hebraeas voces servat etiam has: Iob. XLI, 13. תְּלַהֵט Syr. ܬܠܗܛ; Ies. X, 26. שׁוֹט Syr. ܫܘܛܐ; I. Sam. XIV, 4. בּוֹצֵץ Syr. ܒܘܨܨ; paucas reddit eodem vocabulo quo Targumista: הַדּוּדָאִים Gen. XXX, 14., ܝܒܪܘ̈ܚܐ; Num. XI, 7. Manna כִּזְרַע־גַּד Syr. ܩܘܣܒܪܬܐ [1]); Latino vocabulo redditur II. Sam. XV, 1. רָצִים,

---

1) Ephraemus quoque nonnumquam cum Targumista concinit — sed

nempe ܐܒܠܛܪܝܢ (tabularii), Persico גִּבּוֹר־צַיִד Gen. X, 9. ܢܚܫܝܪܟܢܐ. Restant pauca verba rariora, quibus interpretationem addit Ephraemus: ܦܪܟܐ Ez. XX, 29. pro Hebr. במה; Ies. III, 4. ܣܘܒܢܐ (?) Hebr. קָרְחָה; I. Reg. XII, 11. ܡܢܓܠܐ Hebr. עַקְרַבִּים (sec. Ephraemum species quaedam verberum, quibus aculei infixi essent); I. Sam. XXIII, 28. ܡܠܟܘܙ Hebr. סֶלַע Ephr. ܟܐܦܐ et alia [1]). Satis cuique ex his exemplis collustratis appariturum esse arbitramur, ex rarioribus hisce vocabulis vix ac ne vix quidem certi quid coniici posse de patria vel aetate Syriacae V. T. versionis; neque dubiis a viro alioquin doctissimo promotis collapsam esse arbitramur eam sententiam, ut in Syria Orientali scriptam illam esse statuamus.

Excursus.

De Mesopotamiae statu primis p. Chr. saeculis deque Abgaro rege.

Neque iniucundum lectoribus neque a quaestione nostra alienum fore speramus, quod Mesopotamiae historiam Arsacidarum temporibus caligine tanta nebulisque oppressam, ut vix posse illustrari videatur, paucis hoc loco, ut par est viribus nostris,

---

exempla sunt neque multa neque eius generis, ut Ephraemo usum quendam Targumistae certo vindicare possis. Cf. Lengerke de Ephraemo. In Proverbiis maxime et Ezechiele Peschito cum Targumista facit aut viceversa.

1) Ier. LI, 41. שֵׁשַׁךְ Syr. ܐܪܫܟܬܐ. Coniicit Wisemanus satis ingeniose (pag. 273.) esse hoc vocabulum ܐܪܫܟܐ Arsacida legendum. Seleucia cessit in locum Babylonis: Seleuciam autem nonnumquam dictam esse urbem Arsacidam Wisemanus exemplis demonstrat. Adde, quod in codice Amidensi primo, qui festorum dominicarumque distributionem continet, Mosula nominatur urbs Arsacidarum, ܐܪܫܟܬܐ quare ne lectionem quidem mutare necesse est. Assem. III, 2. pag. 386. Substituebant nonnumquam interpretes urbem, cui ipsi minabantur, antiquae sedi, adversus quam sermonem direxerat propheta. Apud Amosum חמת רבה a Iudaeis dicebatur Antiochia, Hieronymo teste. Etenim utraque urbs eiusdem regionis caput erat. Cf. Haevernick, suppl. ad Lex. Syr. Regiom. 1843 pag. 6.

componere conamur. Nam quod supra diximus, probabile esse, in Syria orientali scriptam esse versionem Simplicem, in eo maxime nos adiuvit vetus Syrorum traditio, quae Edessae eam temporibus Abgari regis scriptam esse commemorat. Quid nobis vero, quaeris, cum fabuloso illo Abgaro? Iam videamus, num certiora quaedam magisque probabilia de hoc Osrhoenorum rege statuere possimus.

Ab aera Graecorum i. e. Seleucidarum Syri vulgo computant annos; inde nobis quoque incipiendum est. Seleucum plurimas urbes condidisse Graecorum colonias [1]), supra monitum est, inter quas Appianus etiam Edessam recenset, Antiochiam primum dictam, atque ultra Mesopotamiam in Parthorum finibus Soteram, Calliopen, Charin, Hecatompolin, Achaiam. Maxime amplificata est viribusque crevit Seleucia ad Tigrim, in Babylonis locum succedens; at vero a Seleucidis mox Antiochiae sede regia fixa bellisque multis exortis cum Ptolemaeis et in ipsa familia regia gliscentibus discordiis factum est, ut Syriae orientalis imperio amisso Parthi ibi regnare coeperint [2]). Minime vero ea Parthorum vis ac potentia fuit, quanta vulgo creditur, neque Syris et Romanis terrori erant, nisi Syrorum et Romanorum fractae vires fuissent. Maxima autem Parthis causa fuit infirmitatis, quod regni successio lege nulla satis certa et munita fuit atque reges modo creati fratres simul vel filios vicinis regnis et provinciis reges constituere conabantur. Quare nulla unquam ei imperio concordia, inter ipsos Parthos pace semper turbata. Erant quidem in verbis abundantes et gloriosi Arsacidae [3]),

---

1) Cf. Ammiani et Plinii locos supra laudatos pag. 24. 31.

2) Parthi Seleucidis mox terribiles facti. „Antiochus Magnus caesus est in Elamitarum proelio. Postea Seleucus (ille cui successit frater Antiochus Sidetes) anno regni secundo copiis collectis adversus Arsacem profectus est Babylonem et in superiores regiones. Et anno altero, qui erat Olymp. CLX annus tertius ab Arsace in captivitatem redactus est, qui ipsum in Parthiam servandum misit. Sidetis anno quarto supervenit Arsaces (Phraates) cum duodecim myriadibus. Sidetes in proelio adversus Arsacem sauciatus moritur.“ Eusebius in Chronico Arm. Cf. Vaillant imperium Seleucidarum de Arsace Phraate pag. 167.

3) Ammianus Marcell. XXIII, 6. haec de Persis tradit: „Abundantes sunt inanibus verbis insanumque loquentes et ferum; magnidici et graves ac tetri, minaces iuxta in adversis rebus et prosperis, callidi, superbi.“

deos se appellantes Seleucidarum more et reges regum ut Persae olim; sed ad bella invasionesque semper fere promti et faciles, quum equitatu maxime valerent et sagittariis, nihil tamen effecerunt, ubi acie concurrendum erat, neque ad expugnandas urbes satis instructi erant et validi, quare ubi resistebatur, pacem requirere solebant, turpia et gravia sibi imponi haud raro passi. Parthis illusit Pompeius; Caesares et Imperatores Romani semper eos fugarunt; urbs una Seleucia aspernabatur Parthorum dominationem; clades Crassi, Antigoni labores et aerumnae non tam Parthorum fortitudine, quam terrarum iniuria illatae.

Quum Romani imperii Euphrates finis esset, ultra Tigrim autem dominarentur Parthi, miserrima erat sors earum regionum, quae inter ambos sitae erant. Causa belli Romanis, si minus Imperatorum ambitio, semper fere Armenia fuit. Post Parthos Armenii quoque a Seleucidis desciverant tempore Antiochi Magni, Artaxia et Zadriade auctoribus; Artaxias maioris Armeniae, Zadriades minoris sibi quisque regna constituerunt [1]). Artaxiam, ab Antiocho Epiphane bello superatum et captivum abductum secutus est Artavasdes, cuius filius Tigranes I. a Parthis bello lacessitus, Tigranem filium obsidem tradere cogitur. Idem postea a Mithridate Parthorum rege in regnum restitutus, concessit quidem Parthis Armeniae aliquam partem, sed Armenia minore subiecta rex regum appellatur. Erat omnino validissimus; Medos Atropatenos et Gordyaeos ipsamque Mesopotamiam in potestatem redegit (Strabo l. XI. Plut. in Lucullo). Mesopotamiam ille Graecis incolis frequentavit ex Cilicia et Cappadocia accitis. Movit quoque ex loco vivendi consueto Arabes Scenitas eosque traduxit et in Mesopotamia ad Euphratem e regione Commagenes locavit, quorum opera in commerciis uteretur [2]). Huic Ti-

---

1) Armeniam maiorem et minorem Euphrates disiungebat. Cf. Cellarius Orb. ant. l. III. c. XI. Plinius: „Oppida celebrantur in minore: Caesarea, Aza, Nicopolis.“ De Artaxia cf. Vaillant imp. Seleuc. pag. 84. 227.

2) Plinius VI, 32: „Arabia gentium nulli postferenda, amplitudine longissima, a monte Amano descendit, multis gentibus eorum deductis illo a Tigrane Magno.“ Tigranes Ciliciam occupaverat et duas in Syriam et Palaestinam fecerat incursiones. Illinc Graecos, hinc Arabes in Mesopotamiam deportavit. Erant fortasse Idumaei s. Nabataei, qui et commercio et equitatu pollebant. Linguam Syriacam ab Idumaeis acceptam fuisse, supra monitum.

grani serviebant reges Mediae, Gordyaenae et Adiabenae. Idem quas res gesserit cum Iudaeis Iosephus narrat Ant. XIII, c. 24.; Iudaeos captivos ex Samaria in Semiramidis urbem traduxit. At vero prospero rerum successu elatus et potentissimus factus, cum Mithridate adversus Romanos foedere inito [1]), Luculli demum et Pompeii gloriam multiplicavit. Etenim Mithridatem, qui in Iberiam cesserat, persecutus Lucullus Armeniam vastavit et cepit; Mesopotamiam deinde ingressus Nisibin obsedit, quam Parthis ademerat Tigranes (Dio. I. 35, 7. Plut. in Lucullo.) [2]). Lucullo mox suffectus Pompeius rem omnem in Armenia confecit, Mithridatem vicit, Tigranem patrem, contra quem filii Tigranes et Sariaster coniuraverant, in Armeniae regno confirmavit, denique Phraatem fugavit in Arbilitim usque insectatus. Elymaeorum et Medorum reges eo tempore libertatem adhuc tuebantur, quorum legati benigne a Pompeio excepti sunt. Afranius, Pompeii legatus, Arabes (i. e. Syros) regionem circa Amanum montem prope Euphratem incolentes subiecit.

Status eius terrae, quam Euphrates et Tigris continent, ex dictis cognoscitur. Adiacebant Romani, Syria in provinciam redacta, Armenii et Parthi. Quorum finibus qui interiecti erant, nec prorsus liberi erant nec subiecti; a barbarie Parthorum alieni, nec tamen Graecorum subtilitatem sapientes. Euphrati proximi habitabant Arabes, a Tigrane adducti [3]); urbes inter Euphratem et Chaboram, Carrhae antiquitate nobiles, Edessa et Resaina [4]); de Nisibi, quam Graeci Antiochiam Mygdoniam appellabant, inter Armenios et Parthos diu dimicatum est; Adiabene, Gordyaene et Media Atropatia, ab Atropato Darii satrapa dicta, suis parebant legibus [5]), quarum tamen reges Armenio-

---

1) Cf. Mithridatis ep. ad Arsacem (Phraatem, regem Parthorum) in Sallustii fragmentis.

2) Lucullus expugnavit Nisibin sex menses obsessam, tunc Tigranis arcem munitissimam et aerarium.

3) Syria provincia Romana extendebatur ad Euphratem et usque ad Oruros (i. e. Edessenos). Plin. VI, 30.

4) In Mesopotamia superiore coloniae Graecae numerum Syrorum aequiparasse videntur (Strabo XVI, 747.); Mygdoniam eam provinciam appellarunt a similitudine, quae a Nicephorio ad Nisibin usque spectabat.

5) Atropatus ab Alexandri ducibus non erat superatus; mansit regio haec suis sub regibus ad Vardanem usque, a quo subiecta est eique Ar-

rum sive Parthorum socios si minus satrapas dixeris rectius; Elymaei quoque libertatem tuebantur. Euphratis inferioris accolae erant Iudaei a Nebucadnezare in exilium abducti medios inter Arabes sive Syros incolentes, quae regio a latronibus haud raro turbabatur. Babylon Parthorum satrapam habuit. Seleucia ad Tigrim „civitas potens, — ut Taciti verbis utar — septa muris neque in barbariem corrupta, sed conditoris Seleuci retinens; trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus. Sua populo vis, et quoties concordes agunt, spernitur Parthus.“ Sub Vardane a Parthis expugnata est, quum sex annos restitisset. Ab eodem Vardane (42 p. Chr.) conditam esse dicit Ammianus Marcellinus Ctesiphontem, pagum tribus milibus a Seleucia distantem, sed antiquior a plerisque recte habetur. Pagus hic maximus Parthorum urbis potentia et magnitudine fuit (Strabone teste), quum Parthorum multitudinem et apparatum omnem reciperet ac venalia et necessaria artificia suppeditaret [1]).

Quae litterarum conditio fuerit illo tempore apud Parthos, Armenios et Mesopotamiae incolas, patet ex iis, quae Appianus de Orode Parthorum rege et Artabaze Armenio tradit. Etenim quum caput Crassi esset Ctesiphontem ad foras aulae allatum, Iason tragoedus cecinit ex Euripidis Bacchis carmen de Agave. Omnino in Parthiam invecta erant acroamata Graeca, Orodes Graecarum litterarum minime rudis erat, et Artabazes, rex Armeniae, tragoedias ipse scripserat, orationes et historias, quarum nonnullae Appiani tempore servabantur. Erat hic Artabazes filius Tigranis supra laudati (Artavasdes II.), qui ab Antonio captus postea in triumpho ad Cleopatram ductus est. Arsacidas omnes in nummis se φιλέλληνας nuncupasse, satis notum; erat omnino frequens apud ipsos Graecae linguae usus, frequentior idem in plurimis Mesopotamiae oppidis, quae Graecorum coloniae erant [2]). Crassacida

---

sacida praepositus. Cf. Foy Vaillant, imper. Arsac. sub Vardane. Gordyaenem ab Armeniis Parthi ceperunt sub Phraate.

1) „Ctesiphonte Parthorum reges hiemabant propter aëris temperiem, Seleuciae parcentes, ne Scythicae et militaris nationis hospitio assiduo opprimeretur. Aestatem in Hyrcania et Ecbatanis agunt propter antiquam loci et adhuc durantem famam.“ Strabo. Moses Choren. Parthorum reges Balhae degere ait, alii aliter. De Ctesiphontis vetustate cf. Ios. Ant. XVIII, 3.

2) Tacit. annal. l. VI. c. 41. „Nicephorium et Anthemusias ceteraeque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant.“

Crassum scriptores antiqui diserte memorant facile occupasse in Mesopotamia Graecas potissimum urbes, cuius incolae vim Parthorum graviter ferentes ad Romanos haud gravatim defecerint [1]. Qui vero inter Parthos Graece non callebant, ii Syriaca potissimum lingua utebantur, si quid cum Romanis ipsis agendum erat. Exemplo est Moneses quidam nobilis Parthus, qui ob discordias in familia regia exortas ad Antonium confuga tres Syriae urbes, inter quas Hierapolis, ab eodem dono acceperat. Cuius patruelis Mithridates, qui Antonium in bello Parthico comitabatur, in rerum magno discrimine consilium daturus petiit, ut sibi daretur quispiam, quocum posset colloqui aut Parthica aut Syriaca lingua, quod interpretis munus Alexandro Antiocheno commissum est, qui Antonio erat familiaris [2]. Antonius vitavit Mesopotamiae campos Crasso letales; Crasso autem maxime causa mali exstiterat A b g a r u s A r a b s, praefectus alae, qui Romanis ante foedere coniunctus sub Pompeio, Parthorum partes tunc potiores habuit missusque erat, ut Crassum in campum vastum duceret, ubi cingi posset equitatu. Haec prima Abgari cuiusdam mentio in historia Romanorum. In Appiano scribitur Ἄκβαρος, Arabum phylarcha — apud Dionem Αὔγαρος, a Plutarcho Ἀριάμνης diciturque ὁ βάρβαρος [3]. Supra monuimus, Tigranem Armeniae regem Arabes Scenitas in Mesopotamiae eam partem, quae ad Euphratem Commagenae ex adverso sita est, traduxisse; Arabes autem a Graecis et Romanis dicuntur [4], quicunque Arabum more in vastis longeque patentibus Syriae et Mesopotamiae campis vitam Nomadum degebant [5]. Qui ab Appiano φυλάρχης di-

---

1) Excubiae Carrharum Latinum quoque fugitivi Romani sermonem excipiebant.

2) Nomina urbium Tigranocerta, Vologesocerta etc. nescio an Syriaci quid sonent.

3) Florus l. 11. Mezeram eundem nominat, Syrum fugitivum. Apud Sext. Rufum variant lectiones.

4) Mesopotamenos Plinius ubique Arabes dicit. Tigrim ait disterminare Arabes Oreos et Adiabenos. Cf. Plin. VI, 21.: „Arabia supra dicta scilicet Mesopotamiae pars, habet oppida: Edessam etc.“ Cf. Cellarius Orb. ant. l. III. c. XV. ed. 3. pag. 605.

5) Mithridatem Arsacidam regnum recuperasse dicit Appianus in Syriacis Arabum ope, qui Mesopotamiam incolebant vicini Seleuciensium et Babyloniorum.

citur, eius loco postea Arabum rex in scenam profertur; Abgarus autem titulus est omnibus deinceps huius regionis principibus communis [1]).

Haec praemittenda nobis visa sunt, ut rerum status in Oriente planius cognoscatur. Iam propius ad rem nostram accedamus. Augusti, Tiberii, Caii et Claudii temporibus Armenia, quam iuris Romani fecerant Lucullus et Pompeius ita ut absque populi Romani consensu iam a nemine deinceps possideretur, bellis cum Parthis assiduis ansam dedit. Alii reges a Romanis, alii ab Armeniis vel Parthis constituebantur, inter quos semper de imperio dimicatum est. Post multas rerum vicissitudines Tiridates, frater Vologesis Parthorum regis, Armeniam occupat, qui ipse postea Romam profectus a Nerone coronam accepit [2]). Illis autem temporibus floruit rex Adiabenorum Izates, de quo nunc nobis agendum est; etenim ut sententiam meam aperiam, eum ipsum esse puto Abgarum fabulae Christianae.

Primum videamus, quid Romanorum scriptores de Izate tradant. Artabanum regem Parthorum (15—43) secutus est Gotarzes (43—50). Is ob invidiam Parthis invisus; missi igitur Romam legati, qui Meherdatem Romanis olim obsidem datum regem poscerent; C. Cassius, Syriae praesul, a Claudio iubetur, ut Meherdatem ad Euphratem deducat. Castris positis ad urbem Zeugma, proceres Parthorum rexque Arabum Abgarus Meherdatem excipiunt. Sed Abgarus iuvenem ignarum et summam fortunam in luxurie ratum multos dies attinuit apud urbem Edessam, deinde tempore importuno in Armeniam comitatur. Transmisso Tigri permeant Adiabenos, quorum rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzem per occulta et magis fida inclinabat. Sed capta in transitu urbs Ninus vetustissima sedes Assyriae, et Arbela castellum insigne fama, quod postremo inter Darium et Alexandrum proelio Persarum illic opes conciderant. Gotarze vero moras nectente primus Izates, deinde Abgarus cum exercitu abscedunt, levitate gentili, ut Tacitus ait, et quia experimentis cognitum est, barbaros malle Roma petere reges quam habere.

---

1) Abgarus i. q. magnus, potens. Dio. C. 68, 17.

2) Armenii cum Parthis haud raro confunduntur apud veteres. Bar-Hebraeus Parthos aliquo loco scribit — sive Armenios.

Plura de eodem Izate tradit nobis **Iosephus** Antiqq. l. XX. Patre Monobazo [1]), matre Helena natus, educatus est Izates apud Abennerigum, τόν Σπασίνου χάρακος βασιλέα [2]), qui filiam ei collocavit cui nomen erat Σάμαχος [3]). Ibi Izates ab Anania Iudaeo mercatore religionem Iudaicam didicit, quam et mater Helena eodem tempore amplexa est. A patre paulo post accersitus, terram Καιρῶν dictam, quae amomi est feracissima et ubi arcae Noachicae reliquiae asservantur [4]), sibi traditam accipit. Post mortem patris, fratre seniore Monobazo ultro cedente Izates diademate et sampsera patris ornatur; fratres et filios, partem ad Claudium Caesarem partem ad Artabanum Parthum mittit, utrobique obsides futuros. Helena eo tempore Hierosolyma se contulit et famem Iudaeorum sublevavit, frumenti magna copia ex Aegypto advecta (a. 45.). Auctore Eleazare Iudaeo qui e Galilaea advenerat, Izates circumciditur. Ad eundem aliquando Artabanus confugerat, structis sibi insidiis a satrapis eoque interveniente in imperium restitutus est. Quare maximis postea honoribus ab Artabano affectus est, et regio magna atque bona, cui nomen Nisibis, in qua Macedones olim urbem Antio-

---

1) *Μονοβάζος ᾧ Βαζέως ἐπίκλησις.* Var. lect. *Βαζαῖος.* Nomen esse Persicum s. Parthicum videtur. Occurrit apud Ctesiam nomen Megabazi cuiusdam, quem Artaxerxes relegavit. Cf. Ctesiae fragmenta ed. Lion pag. 90. Seleucus Nicator uxorem duxerat Apamen, filiam Artabazi qui erat e Darii ducibus. Artabarzani regi Mediae Atropatiae ab Antiocho Magno bellum illatum est. Vaillant imp. Seleucid. pag. 44. — Adiabenorum reges cum Arsacidis cognationis vinculo coniuncti erant.

2) *Χάραξ Σπασίνου.* Isidorus Characensis mansiones Parthicas notavit ab urbe Apamia (ad Euphratem) ad Nicephorium usque. Duxit via per locum, vallum Spasini (*χάραξ Σπασίνου*) dictum et Anthemusiam. Ritter Erdk. IX. pag. 1118. Alterum Spasini vallum, cui antea nomen Alexandriae ab Alexandro conditae, situm est inter Seleuciam et Tigridis ostium. Ritter IX, pag. 55. De hoc agitur; cf. Plin. VI, 31.

3) Var. lect. *Συμαχώ* (cf. infra Abgarus Sumacha).

4) *Καιρῶν.* Haverkampius legit *Καῤῥῶν* cum cod. Vossii et Epiphanio. Vix tamen ex *Καῤῥῶν* corruptum esset *Καιρῶν.* Atque si ex Strabone (l. XVI. p. 747.) comprobare possis, amomum in regione Euphratis prope Zeugma reperiri, aliam tamen in regionem ablegant nos Noachicae arcae reliquiae. Quare Bochartus ex *Κάρδων* corruptum habet, ut montes *Κορδυαῖοι* intelligantur. Alii denique *καιρῶν* versionem habent vocis זמנים, quod nomen est vici, in quem Noachus ex arca descendisse fertur. Cf. Cellarius lib. II. pag. 444. vide infra.

chiam Mygdoniam condiderant, adempta a Parthis Armeniae regibus (vide supra) Izati praemio data. Vardani, Gotarzis successori, dissuasit Izates bellum cum Romanis. Caesum ab ipsis Parthis Vardanem secutus est paulo post Vologeses (53—90.). Magnates autem Adiabeni, in regem eiusque familiam ob acceptos Iudaicos ritus ira et indignatione perciti, ad Ἀβίαν Arabum regem scribunt, multa pollicentes, ut bellum Izati inferat. Sed fugavit Abiam Izates compulitque, usque ad Arsamum castrum persecutus. Tum Vologesem ipsum ad bellum incitant proceres, cuius viribus, imminente iam proelio ad fluvium, qui Adiabenem a Media dirimit, succubuisset Izates, nisi Vologeses, Daharum et Sacarum facta in Parthiam invasione, cito a suis esset revocatus. Haud multo post, anno regni vicesimo quarto exacto, moritur Izates, quattuor relictis filiis, regno tamen in fratrem Monobazum ob fidem olim servatam delato. Monobazus ossa Helenae et Izatis Hierosolymis in monumento illo sepelienda curavit, quod Helena ante portas exstruxerat [1]). Quae deinde Monobazus imperii sui tempore gesserit, Iosephus postea se narraturum promittit; sed frustra mentionem eius amplius quaesiveris.

Haec igitur de Izate Iosephus. Eundem esse illum quem Abgarum Christianum, clarissime patet ex Mose Chorenensi. Sat sane vacillat Chorenensis auctoritas, qui nulla κρίσεως acie praeditus bonaque fide in qualiacunque abreptus rerum, quas varios apud auctores legit, seriem rationemque turbatam potius reliquit quam rite compositam, quare perquam caute eius historia adhibenda est. Nihilo secius multa se probant a Mose narrata estque in eo laudandus, quod plerumque fontes unde hauserit indicat. Sequitur in universum in illorum temporum historia Iulium Africanum; laudat Iosephum quoque; habuit etiam Bardesanis scripta, ex quibus Armeniae regum historiam ab Artavasde (ni fallor illo quem Antonius captivum duxit) ad Cosroem usque (tempore Severi regnantem) se contexuisse dicit. Africanum autem, quaecunque de Armeniae regibus narret, ea deprompsisse monet ex tabulario Edessae, in quam urbem libri vetusti de fanorum historiis e Nisibi et Sinope Pontica advecti sint (Mos. Chor. p. 101.). Huius tabularii meminit etiam Eusebius, ipse

1) Cf. Krafft, Topogr. von Ierus. pag. 212. sq.

Moses vidisse illud gloriatur monetque Lerubnam, Apsadari scribae filium res gestas Abgari et Sanatrucis conscripsisse atque in tabulario Edesseno posuisse. Utrum epistolae Abgari ab eodem Lerubna traditae sint an seorsim in tabulario positae, non legitur apud Mosem, vix tamen videtur Christianus ille fuisse, quum Sanatrucis simul historiam memoriae mandaverit. Videtur autem varia confundendo Moses sua sponte in Abgarum contulisse multa, quae ad diversos potius Abgaros distribuenda sunt [1]; esse autem revera Mosis Abgarum Iosephi Izatem, cuique facile patebit observata rerum mira consonantia [2]. Abgari pater a Mose dicitur Ardsamus s. Arsamus [3], quem Syrorum nonnulli Monobazum nuncupaverint; uxorem (?) Abgari eam ipsam Helenam vocat, cuius sepulcrum Hierosolymis exstet. Viguit iam in Arsami aula religio Iudaeorum; Enanus enim, eques regis, penes quem ius gentilitium erat, regi coronam imponendi [4], Iudaeus fuisse dicitur. Erat ille ex Bagratidarum gente, de qua satis multa nobis tradit Chorenensis [5]. Enanus postquam Hyrcanum

---

1) Moses narrat tempore Herodis Magni Abgarum suscepisse regnum; Herodis iussu eum ad Antiochiae plateas lapidibus sternendas hominum multa milia misisse; cum Herode Magno et postea Herode Galilaeae Tetrarcha eundem bella gessisse; hallucinatur igitur, si eundem duodeviginti annos regnasse sed ad Claudii usque tempora vitam produxisse tradit.

2) Iam Whistonii fratres, Mosis editores, Abgarum esse Izatem Iosephi suspicati sunt.

3) Arsamum a militibus regem creatum esse, dicit Moses. Conf. nomen urbis Arsamosata s. castrum Arsami.

4) Eadem dignitas est, quae apud Persas Surenae erat i. e. eius, qui secundus erat a principe et cui ius gentilitium demandatum, ut novo regi diadema primus imponeret. Appian. in Parth. p. 140.; Ammian. Marc. l. 30. De Sanatruce legitur apud Mosen (l. II. 34.) Bagratidarum neminem ei coronam imposuisse.

5) Nescio quid de eo iudicandum sit, quod Moses Armeniae regum dynastiam deducit a Valarsace, quem Arsaces frater, rex Parthorum, Babylone obsessa, Mesopotamia capta et devicto Antiocho Sidete regem Armeniae fecerit. Armeniam hanc esse complexam ait Armeniam propriam, Mesopotamiam, Pontum partemque Assyriae (l. II. c. 8. §. 24.); regem Nisibi habitasse (§. 29.); ceteris provinciis praefecisse satrapas. Valarsaci autem in occupando regno rebusque publicis instituendis multum praestitisse Sambaeum Bagaratum Iudaeum, cui munus hereditarium commiserit coronam Arsacidis imponendi. Ab eo gentem Bagratidarum dictam.

captivum, Iudaeorum pontificem maximum, liberum dimisit [1]), apud regem accusatur, quod terram Herodi tradere voluerit. Memoratu digna sunt verba delatoris. „Quid — inquit — est, quod vetustis rumoribus atque anilibus fabulis deludimur, Palaestinos nos esse arbitrantes" (Mos. pag. 123.). Contendunt igitur Iudaei, esse Adiabenos Israelitarum exsulum posteros, quos deceat ad Iudaeorum cultum Hierosolymitanum accedere. Iubetur ab Arsamo Enanus, leges Iudaicas deserere et solem regisque simulacra colere, quod ubi renuit in Armeniam superiorem in exilium delegatur [2]). Erat autem eodem Mose teste consuetudo regibus, ut filios in superiorem Armeniam educandos mitterent, quare videas, faciatne in eo Moses cum Iosepho, qui a Monobazo Izati regionem *Καιρῶν* commissam esse tradit. Quem Abgarum vocat Moses, eius nomen proprium tacet; Abgarum enim ipse dicit esse cognomen, vocabulum Armeniacum, virum primarium significans, proprie Avagaïr pronuntiandum, quod Syri et Graeci in Abgarum mutaverint. Propter insignem mansuetudinem et sapientiam hoc nomen illum tulisse. Porro Abgarum scribit Moses

---

Postulasse quidem Valarsacem a Sambaeo, ut ab Iudaicis legibus desciseeret, quod tamen quum recusaverit, concessisse ei hac in re libertatem (l. II. c. 8. §. 24.). Etiam Valarsacis filium Artasen religionis causa vexasse Bagarati filios eosque id quidem obsecutos esse, ut sabbatis iter facerent neque liberos circumciderent. Novam iniuriam autem intulisse Bagratidis Tigranem Pompeii aequalem (Ios. XIII, 16. de bello Iud. I, 5.), qui quum ritus Graecorum induxerit, coegerit illos regiis sacrificiis et suilla vesci tantumque permiserit, ut ab immolando et venerando abstinerent. Posteriori tempore Bagratidas patrias leges penitus abrogasse, Moses l. III. c. 60. narrat simulque suspicionem movet, ex illo tempore nomina mutata esse ex Semba in Sembatum, ex Bagadia in Bagaratum, ex Azaria Vazariam etc. Ex eadem gente reges Georgiae originem duxisse dicuntur. Scripsit Moses historiam suam in gratiam Isaaci principis, qui ex hac gente oriundus erat.

1) Hyrcanum a Parthis captivum esse abductum Iosephus narrat l. XIV. c. 25. Invaserant in Iudaeam Pacorus et Barzapharnes satrapa. Pacorus (praeter regem enim Pacorum alter memoratur Pacorus dux equitum) princeps Osrhoenorum fuit, ut infra videbimus. Num Barzapharnes pater Izatis haberi possit? Videtur porro Izates sive Monobazus aliquo modo connectendus cum Ariobarzane, cuius mentionem faciunt scriptores Latini. De Pacoro cf. Cicero l. XV epp. ad famil. 1. 2. 4.

2) Ex eiusdem gente fuisse traditur Tobias ille vir Iudaeorum primarius, apud quem Thaddaeus diverterit. pag. 136.

regiam detulisse Nisibi Edessam — ergo Nisibi dominabatur; rex Armeniorum in epistolis dicitur [1]). Idem lites in aula Artasis (Artabani) Parthorum regis exortas interventione sua compescuit, ut apud Iosephum Izates. Patet, tantam esse rerum similitudinem, ut vix dubitari possit, quin Mosis Abgarus sit Izates Iosephi. Videntur tamen variae personae in Abgaro Mosis coaluisse; atque ut recte dicitur, ex confusione veritatem difficilius emergere quam ex errore, neque nobis id sumimus, ut enodare prorsus et explicare velimus res miro quodam modo turbatas. Facile autem error irrepsit, quia Abgari nomen non solum Arabum phylarchis sive Osrhoenorum regibus solenne fuit — sed etiam in quodam ipsius Adiabenes rege occurrit. Etenim ad Pescennium copias miserunt ambo Abgari reges, Osrhoenorum unus, alter Adiabenorum (Dio C. l. 74.). Latet confusionis suspicio etiam in nomine Sanatrucis, quem successorem Abgari statuit Moses. Sanatruces autem rex Armeniae [2]) saeculo secundo vixisse fertur, M. Aurelio Caesare, qui laudatur fuisse animo ad omnia magno, praecipue ad res bellicas, etiam strenuus iustitiae custos et in victus ratione castus et frugalis [3]). Quare si Lerubnas res gestas scripsit Abgari et Sanatrucis, non scripsit eius Abgari, qui primo saeculo, sed qui secundo regnavit, estque communis Africani, Eusebii et Mosis error, quod varios Abgaros non distinxerunt. Nam quod Nisibi ait Moses regiam delatam esse Edessam, id posteriori aetate factum putamus [4]); etenim aliis ex testimoniis id nobis probatum est, Izatis posteros regnum Osrhoenorum saeculo post Christum secundo occupasse. Sed fatemur iterum, inextricabiles nobis videri rerum apud Mosen turbationes, quare in eo acquiescentes, quod in Abgaro fabulae Christianae Izatis vestigia deteximus, relicta

---

3) Eodem modo Niersis Ghelaiensis Armeniorum patriarcha († 1173) in carmine de regibus Armeniae Abgarum Armeniorum regem fecit, ut refert Clemens Galanus in conciliatione eccl. Arm. cum Rom. pag. 7.

2) Inter Parthorum quoque reges occurrit Sanatruces quidam.

3) Vid. Suidam s. v. et Theodosium in excerptis Cocceianis pag. 854.

4) Moses tradit, Abgarum Tiberio imperante Edessam urbem condidisse coque regiam suam a Nisibi et simulacra sua (Nabogum, Belum, Bathnicalum, Tharatham) regumque tabularia transtulisse.

aliis Mosis historia concilianda cum iis quae Romani de Armenia narraverint, ad Iosephum fidosque scriptores redeamus [1]).

Regnavit igitur Izates Iosepho teste in Adiabene, Armenia inferiore s. Gordyaene et regione Nisibena, quae et ipsa olim pars fuerat Armeniae. Abiam [2]) regem Arabum vicit, persecutus eum ad castra usque Arsami i. e. Arsamosata, urbem non multum ab Euphrate distantem, Edessae e septentrionali sitam, ea ipsa in regione, in quam Arabes olim colonos duxerat Tigranes. Regioni igitur satis amplae praeerat Izates, quae Mesopotamiae pars nobilissima est atque in totius regni eius finibus Syriaca lingua proprie et antiquitus locum habuit. Mortuus est Izates Vologese Parthis imperante. Vologeses Pacoro fratri Mediam minorem, a Vardane captam, et Tiridati fratri Armeniam distribuerat, ita ut Adiabene tum cingeretur tribus Arsacidarum regnis. Izati successit Monobazus frater, cuius mentionem faciunt Romanorum quoque scriptores. Vologeses enim quum Armeniam invasisset, Tiridatem regem impositurus, Nero Corbulonem misit ad Armeniam partam olim a Lucullo et Pompeio recuperandam et Tigranem regem constituendum. Tigranes primum populatur Adiabenem; sed Monobazus rex Adiabenorum et

---

1) Haec fere tradit Moses de Abgari sucessoribus. Abgarus Christianam fidem professus duodeviginti annos regnavit. Quo mortuo regnum duas in partes divisum est, Anano filio imperitante Edessae, Sanatruce vero sororis filio Armenia potito. Uterque fidem Christianam abnegavit, Ananus Addaeum, Thaddaci discipulum occidit clausaque deorum templa aperuit; Sanatruces primo fidem et ipse amplexus Armeniorum magnatium metu mox eam deseruit. Quum deinde Sanatruces filiis Abgari bellum pararet, Ananus mortuus est, Edesseni autem Sanatruci se tradiderunt ea conditione, ne a fide Christiana eos traduceret. Sed Abgari stirpem ferro sustulit Sanatruces, Helenae primae ex Abgari uxoribus Mesopotamiae principatu permisso. Helena iussa ut Carrhis inter ethnicos habitaret, Hierosolyma commigravit Claudio regnante, qua in urbe insigne eius monumentum exstat. Sanatruces, cuius filia ob fidem Christianam martyrium subiisse fertur, magnificentissime Nisibin exstruxit et duplici muro munivit, consumtis eum in finem omnibus suis thesauris. Eius successor Eruandus Mesopotamiam concessit Romanis Vespasiano et Tito imperantibus, ex quo procuratores Romani Edessae aeraria statuerunt, quae vectigalia ex Armenia, Mesopotamia et Assyria coacta exciperent. Eruandus postquam in Armeniae partes extremas se recepit, Eruandocertam condidit.

2) Num Abias ille idem fuerit qui Abgarus, rex Arabum supra dictus, mihi non constat.

Monoeses Parthus missi a Vologese repulsum Tigranem intra Tigranocerta concluserunt. Ultra tamen nihil de Monobazo traditum. Monobazum Izatis fratrem fuisse ex Iosepho cognitum, sed eiusdem quattuor quoque filios relictos. Iam qui in Chronico Edesseno decimus nonus recensetur Osrhoenorum regulus, nomine insignitur Abgarus, Aiazctae s. Izatis (ܐܝܙܛ) filius (circa annum 89); neque a vero aberrare nobis videmur statuentes, fuisse hunc Abgarum filium Izatis regis Adiabenorum. Quae coniectura ne cui audacior videatur, iam circumspiciendum est de regni **Edesseni** origine et statu.

Regni Edesseni conditor [1]) Orrhoes fuit Heviae filius; ab hoc Orrhoe s. Osrhoe [2]) regio ipsa, scilicet urbs Edessa cum

1) Cf. Chronicon Edessenum, Assem. I. p. 427. sq. Anno Graecorum 180. (Chr. 131) coeperunt principes regnare Edessae, Antiochi Sidetis et Phraatis temporibus.

2) De Edessae origine nil certi compertum est. Iosephus (Antiqq. I, 6. §. 5.) Edessam Ur Casdim habet, sed nescio quibus usus argumentis. Iulianus Imperator exclamat: „*Οἱ τὴν Ἐδέσσαν οἰκοῦντες ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον.*“ Appianus (ed. Amstelod. p. 201.) auctor est, Seleucum urbi recens conditae nomen Macedonicum Edessae imposuisse in Alexandri honorem. Similis enim esse dicitur regio Edessae cum Edessa Macedonica. Erant autem plura huius urbis nomina. Apud Syros nomen vulgare ܐܘܪܗܝ. Bayerus in hist. Osrhoena hoc nomen retulit ad Hebr. אוּר (Ur Casdim), urbe ita denominata, quia ignicolae fuerint huius regionis incolae. Sed facillime nomen urbis ad nomen conditoris Orrhois s. Osrhois refertur. Arabicum urbis nomen الرها est, Roha, quo designari putat Bayerus alveum in convalli aquam complexum et omnem omnino rivum. Sed nomen Rohae facilius ortum esse putes ex Syriaco nomine Urha. Dicitur etiam Arabice Orfa et apud scriptores Christianos Arach s. Orach (cf. Theophilus ad Autol. p. 207. ed. Wolf.). A nominibus Urha et Roha gens ipsa dicta Oruri, Orei et Rohali apud Plinium V, 21. Huc facit ni fallor etiam nomen mansionis Apamiam inter et Nicephorium apud Isidorum Charac. *Μαννουόρρα Αὐιρήθ*, in quo vocabulo nomina „Orrhoa, Maanus et Augarus“ coaluisse videntur. Erat autem Edessae fons clarissimus, unde etiam Callirhoë nominabatur. De cuius fontis mira nonnunquam aquarum inundatione cf. Ritterum. Syriace dicebatur ܕܝܨܢ i. e. *σκίρτος* a rad. דיץ, ܕܘܨ et ܕܘܢ. Cf. Luc. I, 44. (*ἐσκίρτησε* Pesch. ܕܨ). Ea enim huius fontis natura erat, ut magna vi haud raro prosiliret. Ita legitur in Chronico Edesseno „fluvius Daizan qui alluit urbem.“ Et alio loco: „In Daisanem quinque et viginti torrentes cum suis alienisque aquis undique confluunt.“ Idem nomen occurrit apud Gregorium Abulphara-

locis adiacentibus dicta est Osrhoena; Osrhoem autem regnasse dicit Procopius [1]) superioribus temporibus, quando hi coloni Persis (Parthis) foederati erant. Neque omnino dubitari potest, fuisse a principio regnum illud satrapiam Parthorum sive Armeniorum [2]). Pagos quosdam prope urbem Zeugma ex antiquis temporibus Persis concessos fuisse pro feris educandis, in Philostrati vita Apollonii (l. I. c. 38.) legitur. Decimus Edessae princeps in Chronico dicitur Pacorus, qui Syriam invasit et Hyrcanum atque Phasaelem captivos duxit. Erat Pacorus teste Iosepho dux Parthorum, qui alae equitum praefectus in Iudaeam a Barzapharne satrapa praemissus et ab Antigono in urbem Hierosolymam exceptus est. Quocum convenit, quod Abgarus ille, qui Crassum in avia et deserta abduxit, praefectus alae dicitur. Abgarus autem communis erat titulus omnium eius regionis principum, qui apud Romanos scriptores phylarchae et postea reges Arabum dicuntur. Qui Pacoro praecessit, Abgarus (IX.) Allaha dictus est; duodecimus Sumacha (ܣܘܡܟܐ ruber), decimus quintus Uchama (niger), ex quibus nominibus patet, non tam Arabes eos fuisse quam Syros [3]). Reges multi nomen Mani (Maani, Manni

---

gium. Inde Bardesanes dictus esse putatur, utpote qui ad fluvium Daizan natus sit. Sunt qui nomen ipsum Edessae inde derivatum velint; a Seleuco enim Antiochiam eam esse appellatam.

1) Procopius de bell. Pers. l. I. c. 17.

2) Osrhoes nomen Parthicum est. Occurrit Othrias vel Osrhoes dux Parthorum tempore Antonini Pii, teste Luciano in vita Alexandri Pseudomantis. Theodoretus scribit, quae Osrhoene tum esset, eam antea Parthyaeam fuisse dictam.

3) Sextus Osrhoenorum princeps primus nomen gerit „Abgarus“, quem sequitur Abgarus, Abgari filius, qui ad Cn. Pompeium in castra venit. Qui antecesserant, Parthi fuisse videntur. Illo autem tempore Tigranes eam in regionem abduxerat Arabes, quare iam Arabum phylarchae sequuntur. Nomen ipsum Abgari esse Arabicum putaverim (Ἄκβαρος, Αὔγαρος) cum H. Valesio, Ezech. Spanhemio, aliis; iam inter reges Idumaeos Gen. XXXVI, 38. legitur Chanun ben Acbar. Assemanus Syriacum habet („claudum“ significans), Mosi Chorenensi Armeniacum est (Avagaïr), quem sequitur Bayerus. Mixti sane erant incolae Edessae, Graeci, Armenii, Parthi, Arabes — sed plurimi Syri s. Arabes et Idumaei Syriace loquentes. Cognomen Izatis, Avagaïr (ap. Hieronymum Abagarus) distinguendum mihi videtur a titulo Abgaro s. Acbaro. Sed hoc ipsum nomen errores progenuit.

Syr. ܡܥܢܘ) gerunt, tum Syris tum Arabibus familiare [1]). Qui vero in hac regione habitabant, Arabum vitam degebant; terrae pars magna solis aestu exhausta est et aquarum inopia similis deserto. Quae antiquitus hic conditae erant urbes Graecorum, ut Carrhae, Nicephorium, Resaina, insularum instar in campo vasto et longinquo, libertatem tuebantur, ut constat ex nummis. Etenim haec omnino in Mesopotamia ut in Syria occidentali et Arabia rerum conditio erat, quae hodieque, ut oppida magna satisque munita suo iure gubernarentur, quum in montibus campisque desertis reguli et phylarchae singulis Nomadum gentibus imperarent [2]). Praeposuerant autem huic Mesopotamiae angulo iam olim Parthi s. Armenii satrapam, quia transitus Euphratis hic custodiendus erat et omne Occidentis commercium hac via expediebatur. Eadem de causa Tigranes postea, Mesopotamia potitus, Arabes eundem in locum incolas duxit, quibus ad commercium uteretur. Sedem fixerant principes in urbe Edessa, Antiochia olim dicta, a Seleuco condita, quae brevi tempore magnitudine divitiisque magnopere aucta est. Quia vero Parthi longissime distabant resque Armeniorum turbatae erant, Osrhoeni reges sui ipsorum iuris fieri coeperunt [3]), et medii quasi positi inter Parthos et Romanos, pariter et Caesares et Arsacidas metuentes utrique parti studebant, neutri fidem servabant, propensiores tamen, nisi aliter iusserit necessitas, in imperium Parthorum (cf. Dio C. l. 68. de Abgaro, qui Traianum excepit) [4]). Erant autem ob loci opportunitatem atque discrimen reges Osrhoeni non spernendi Romanis, et quia commeatus inter Antiochiam et Seleuciam comitabantur [5]), divitiis opibusque splendere

---

1) De nomine Maani dubitatur. Bayerus Mercurium monet *Μόνιμον* dici refertque nomen ad rad. ܥܢܐ, unde Manus virum talem significet, qui et facundiae et negotiationis potens sit. Qui Crassum seduxit, erat Manus Deus sec. Bayerum. Equidem Persicum nomen habeo.

2) Sept. Severus totam Mesopotamiam subiecit, sed unam urbem Hatram maxime munitam bis frustra obsedit.

3) Bar Hebraeus Parthiam dividit in tres gentes: Persas, Armenios, Edessenos.

4) Ita Arsamum tradit Moses Choren. Romanis vectigalia solvisse, quum rex Parthorum infans fuerit.

5) Cf. Strabo XVI, 747. Stephanus Byz. s. v. Batnae.

coeperunt [1]. Sed ea ipsa de causa, quod libertate modo gaudebant, modo ex Romanorum aut Parthorum arbitrio pendebant, regia successio minime certa erat. Turbatam eam fuisse exeunte saeculo primo non paucis testimoniis probatum est. Rex XIX. Abgarus est Aiazetae filius, neque id mirationem subit, Izatis Adiabeni filium promotum esse in regnum Edessenum. Multum enim pollebat suo tempore Izates, Nisibena regio ei commissa erat, Abiam Arabum regem devicerat, quem sola fuga sibi consuluisse tradit Iosephus, ita ut terra eius Izati patuerit. Sequitur tamen mox Abgarum Izatis filium Pharnataspates, quem (Parthamaspatem a Dione dictum) Traianus postea regem Parthorum fecit. Eo tempore Edessae rex constitutus est Maanus Aiazetae filius sub Traiano, qui vel idem habendus est qui Abgarus supra dictus, a Pharnataspate forte depulsus, vel alter Izatis filius et frater Abgari prioris [2]. Successit eius filius Maanus Maani filius, Izatis nepos, qui contra Valem Sahari filium seditiones moventem Romanorum auxilio implorato ab Antonio restitutus est. Hos Abgaros revera Izatis Adiabeni posteros fuisse, inde quoque probatur, quod eorum unus in nummo caput habet mitra exornatum [3], quod est Mediae signum. Facit etiam ad rem nostram, quod Moses tradit, regiam Nisibi ab Abgaro Edessam delatam esse librosque bibliothecae regiae eo advectos e Sinope Pontica et ex Nisibi [4]. Itaque cognito, Izatis Adiabeni

---

1) Abgarum Meherdatem laute excepisse. Edessae supra monitum. Traiano epulae splendidae parabantur. Dio C. l. 79.: „Aurelius Iotizus — inquit — Romam maxima pompa perductus est, quanta non venit Abgarus Severi aut Tiridates Neronis temporibus.“

2) Bayerus hanc regum tabulam statuit: Abgarus Aiazethae filius 86—93. Pharnataspates 94—97. Manus Aiazethae filius 99—115. Manus Mani filius 116—153. Eius filius 154—188 Abgarum Izatis filium cum Abgaro Uchama confudisse videtur etiam Procopius, apud Bayerum pag. 157. Narrant enim Procopius et Malala Antiochenus, Abgarum iter Romam fecisse et Edessam ornasse multis aedificiis. Abgarus Traiano aequalis, a Pacoro regnum emerat magno pretio.

3) Foy Vaillant, imperium Arsac. pag. 329. Bayerus: „Reges Edesseni in capite cydarin s. tiaram in nummis gerunt. Tiara autem, ut ait Hieronymus, est genus pileoli, quo Persarum et Chaldaeorum gens utitur. Anacreon: *Καὶ Παρθαίους τις ἄνδρας, Ἐγνώρισ' ἂν τιάραις.*“

4) In Chronico Edesseno, ubi magna inundatio describitur facta a. Chr. 202, mentio fit castelli, quod dictum sit Persarum, atque tanquam

posteros in regnum Osrhoenum successisse, pergamus brevi Mesopotamiae historiam primis post Christum saeculis prosequi.

Substitimus supra in Monobazo, Izatis fratre et successore. Tum Mesopotamia fore praeda videbatur Arsacidarum, Vologese Parthiae eiusque fratribus Pacoro et Tiridate Mediae et Armeniae imperantibus. Pacoro vero moras et labores crearunt Alani, qui coniuncti cum Hyrcanis in Mediam Armeniamque incumbunt; Parthi autem civilibus semper discordiis aegrotabant. Vologesem (52 — 90) in Parthico regno secutus est frater ille Pacorus, Mediae rex ante creatus, qui in nummis epitheta „Dei" et „Magni" aspernatus est [1]). Pacoro (91 — 107) succedit Cosroes (108 — 133), cuius tempore Exedares in Armenia regnat; Armeniam minorem autem partemque Mesopotamiae occupat Manissarus (Abaissarus in nummo), durantibus Parthorum discordiis civilibus. Ita Parthis desiderio ardentibus Mesopotamiae occupandae defecerunt tamen vires; instabant autem fata nova ab ambitione Caesarum. Traianus Orientem invadit; qui quum esset Antiochiae, Abgarus Osrhoenus legatos misit; postea Traianus ipse Edessam venit laute ac blande ab Abgaro exceptus, qui maxime ob filium formosum ambiguae fidei veniam gratiamque Caesaris adeptus est. Illo tempore Mannus erat Arabiae finitimae regulus, Bebarsapis rex Adiabenae aliique minores (teste Dione). Nisibin, Batnas expugnavit Imperator, ipse militis aerumnas omnes et labores sustentans, captaque Ctesiphonte Parthamaspatem regem Parthorum fecit, quem Cosrois hostem fuisse Malala tradit, utpote qui Exedarem patrem ex Armenia depulisset. Erat igitur Parthamaspates Exedaris Arsacidae, regis Armeniorum, filius, ille ipse quem supra diximus aliquamdiu post Abgarum Izatis filium regnum Osrhoenum obtinuisse. Attamen metus tantummodo praesentis Caesaris legionumque coercuit Orientis civitates Parthorumque animos inquietos, quare optime Hadrianus imperii paci consuluit, Euphrate iterum orbis Romani termino consti-

---

custodes portarum quibusque impositum sit, aquarum subitas alluviones observare, memorantur Geziraei, qui ab insula Gezira in Tigre nomen duxerunt. Nova habes argumenta, Edessam multa advecta esse ex regno Parthorum et regione illa, quae proprie Izatis fuit. Nam Gezira est Bezabde in terra, quam Iosephus vocat *Καιρῶν*.

1) Vaillant l. c. pag. 301.

tuto. Etenim Parthamaspatem, alias Psamatosirim dictum, a Parthis non magni habitum, proximis Armeniis gentibus regem dedit (Spartianus in Hadriano), Mesopotamiae eam partem, cuius urbes praecipuae Amida et Nisibis, Parthis reliquit, Osrhoenem vero Abgaro ea lege concessit, ut tributum penderet, cuius tamen onere eum postea liberavit. Antonino imperante Vologeses III. Parthus (139—188) [1]) fines Romanos infestavit, sed victus est a Cassio, qui Seleuciam expugnavit et incendit, caesis trecentis hominum milibus, Ctesiphonte autem Vologesis regiam solo aequavit. Maanum, Izatis filium, in regno Osrhoeno ab Antonino restitutum supra commemoravimus. Illo tempore L. Verus, bello Parthico imperator datus, milites veteranos Carrhis reliquit eamque Romanorum coloniam fecit. Eodem tempore Nisibi milites in praesidio collocati. Osrhoenes rex XXVI sequitur Abgarus Maani filius, cui Bardesanes familiaris, qui primus Christianam fidem professus esse videtur. Haud multo post bellum Romanorum civile inter Severum et Pescennium nigrum incensum etiam Orientis terras turbavit. Miserant enim Pescennio copias auxiliares ambo Abgari reges, Osrhoenorum unus, alter Adiabenorum (Dio l. 74.), id quod Severo gloriae bellicae studioso idonea causa visa est Euphratem transgrediendi. Eo tempore permulti Romani, milites praecipue nec non fabri, qui Nigri partibus studuerant, ad Parthos confugerunt, per quos Romanorum disciplina militaris, artes et instituta haud pauca in gentem barbaram translata sunt (Herodianus l. III). Severus in Oriente victor Ctesiphonte expugnata, cognominatusque Arabicus, Adiabenicus, Parthicus Nisibi magnam dignitatem dedit eamque coloniam Romanam factam equiti Romano commisit. Saepius idem gloriari solebat se magnam regionem adiunxisse imperio eamque propugnaculum Syriae effecisse. „Tamen revera constat — ait Dio (l. 75.) — eam Romanis ut frequentium bellorum ita multorum quoque sumptuum causam exstitisse, propterea quod paucissima pendebat insumebatque multa, quodque Romani ad Medos finitimos Parthosque progressi pro iis semper quodammodo pugnare cogebantur.“ Tres legiones, Parthicas inde dictas, Severus in Mesopotamia reliquit, Armeniam Sanatrucis filio

1) Vologeses II. regnaverat a. 134—138.

Vologesi dedit, Sophenem vero retinuit. Abgarus Osrhoenus, qui ad Severum transfugerat, in regno ab eo confirmatus est (Herodian. III, 73. Dio l. 75). Instabat tamen regni Edesseni finis [1]). Etenim idem Abgarus postea, quum ad Caracallam Antiochiae versantem tanquam ad amicum venisset, in vincula coniectus est; quo facto Osrhoenem rege destitutam Caesar occupavit et Edessam, qua in urbe tum hiemavit, Romanorum coloniam fecit, Marciam Aureliam Antonianam dictam [2]). Sed sors Orientis statusque rerum universus mox mutatus. Qui Vologesi III successit, Artabano IV., ex Arsacidarum gente Parthorum rege ultimo ab Artaxerxe eiecto, imperium Sassanidarum conditum est, gravioribus in posterum plagis imperium Romanum afflicturum. Artabani frater, Arsaces II. rex Armeniae fortiter quidem restitit Artaxerxi, ita ut Armeniae regnum penes Arsacidas adhuc remanserit. Semper vero dubii haesitantes inter Persas et Byzantii imperatores, tandem eo usque viribus attenuati sunt, fracti simul discordiis civilibus, ut Tigranes VI. ultro se suumque regnum regi Persarum tradiderit ineunte saec. V. Erat autem iam Diocletiani tempore Armeniae rex, cuius nomen ignoratur, Artavasdis V. filius fidem Christianam amplexus [3]).

Addenda de Abgaro.

In rebus dubiis nemini facile esse acquiescendum puto in sententia probabili visa, nisi vel septies eam et ab omni parte exploraverit. Quare et ipse haec antehac scripta percurrens et iterum pensitans animo, alios etiam libros et scriptores consului, possintne nova auxilia et argumenta parari ad probandam opinionem meam, Izatem Iosephi eundem esse quem Abgarum Christianum. Quam ad rem quum a Mose Chorenensi plurima suppeditari cognovissem, fore speravi, ut ex Armeniorum scriptis

1) Errat Bar-Hebraeus, qui in Chronico scribit, anno Hadriani quarto desiisse regnum Edessenum, quod praefecti deinceps gubernaverint aeque ac cetera loca.

2) Cf. de Vaillant de coloniis tom. II. pag. 48. Prorsus quidem Abgarorum dignitas nomenque nondum exstinctum est, id quod patet ex nummis; sed qui postea Abgari exstabant, nullius momenti fuisse videntur. Secundum Chronicum Edessenum regnum Edessenum hoc tempore finitum est.

3) Euseb. hist. eccl. IX, 8. Cf. Sozom. l. III.

alia huc pertinentia prodirent. Neque haec spes me fefellit. Librum iam antea a me quaesitum: St. Martin, Memoirs de l'Arménie, neque nunc nactus sum, sed incidi in alium libellum „Recherches curieuses sur l'histoire ancienne de l'Asie par Chahan de Cirbied et Martin. Paris 1806." Brevi exponam, quam rerum historiarumque seriem et rationem illi secundum scriptores Armenios sequantur.

Artaxias et Sadriades Armeniam possidebant tempore Antiochi Magni; ab Antiocho bello lacessiti sed superiores facti proelio, liberos se constituerunt a Seleucidis. Eorum posteros Valarsaces Arsacida exterminavit (a. 150) et Arsacidarum in Armenia dynastiam condidit. Tigranes Magnus (Artaxiae filius, inde falso a Romanis dictus ex Artaxiae gente oriundus) regnavit a. 95—38. Victus a Lucullo et Pompeio Armeniam superiorem filio Artavasdi tradidit, qui Artaxatae resedit, ipse Nisibin regiam sibi delegit. Deinde cum Parthis coniurat contra Romanos, atque Parthi, Armenii et Pacorus Edessenus in Romanam ditionem incursiones faciunt. Antonius recuperat Armeniam et in tres partes divisam Medorum regi, Alexandro filio et Polemoni tradit; secuto autem bello civili Antonii cum Octavio, Phraates Arsacida et Arsamus, frater Tigranis Armeniam occupant. Arsamus Armeniam inferiorem possedit et cum Romanis pacem iniit; Arsami filius et successor Izates s. Abgarus. Ciamcian (Tschamtschean), Mechitarista, Arsamum non dubitat esse Monobazum, Abgarum autem Izatem; utrumque Armeniam inferiorem obtinuisse. Etiam Michaelem, patriarcham Syrorum in tract. histor. et chronolog. (M. S.) testari, Abgarum fuisse Syrorum regem et Armeniorum. Izatem contendunt idem significare in linguis orientalibus, quod Avagaïr Armeniace, scilicet hominem venerabilem.

Porro in Arsami et Izatis historia Cirbiedus et Martinus Mosen Chorenensem presse secuti scriptores Romanos erroris arguunt. Arsamum enim esse putant Abgarum Uchama dictum; Arsamum et Izatem Edessae sedem habuisse, Tacitum igitur Abgarum Edessenum et Izatem Adiabenum male duos reges habuisse, quum idem Abgarus et Edessae et in Adiabene regnaverit. At vero hoc ipso loco residet scrupulus. Supplenda sane est Romanorum historia ex scriptoribus Armeniis; sed et Armenii castigandi sunt et maxime de Mosis Chorenensis fide dubitandum. Id ipsum est,

est, quod supra diximus, varios Abgaros confudisse Mosen. Quare rectius iam ita statuendum videtur. A Valarsace Arsacidarum imperium exordium cepit in Armenia. Ex more Arsacidarum erat, satrapias condere. Praecipuae erant Edessena, quae Osroi nobili Partho demandata est, et Adiabene. Tigranes regnum amplificavit eiusque throno adsteterunt reges Adiabenae, Mediae et Gordyaenae; Edesseni vel Parthis vel Armeniis obnoxii erant. Tiberii temporibus Adiabenae imperavit Monobazus ex Arsacidarum gente. Eius filius Izates Gordyaenem simul et Mesopotamiam possedit. Izatis frater Monobazus secutus est in Adiabene; eiusdem filiis regnum Edessenum postea a regibus Parthorum vel Armeniorum aut a Romanis concessum. Izatem recte et Armenii et Syri suum habent, cuius posteri quum Edessam possederint nomenque Abgari tulerint eius regionis regulis solenne et facile confundendum cum cognomine Izatis Abagaro, vix mirum est, quod scriptores posteriores varias personas non satis distinxerint et Izatem regem Adiabenum et Mesopotamenum habuerint eundem Osrhoenum.

Hac Mesopotamiae historia haud sine labore hinc illinc congesta si cui visus sim remota magis et aliena tractare, iam accipe sententiam meam, eam novam quidem sed ex antecedentibus satis firmis ut opinor argumentis munitam. Constat, Izatem regem Adiabenae, qui circiter annis p. Chr. 40 — 60 regnavit, Iudaeum fuisse. In Adiabenorum regione ex antiquis temporibus plurimi Iudaeorum habitabant; eadem in regione constat primas et plurimas fuisse ecclesias Christianorum.

I u d a e o s quam plurimos in Adiabene habitasse diximus. Etenim decem Israelitarum tribus a regibus Assyriis in exilium abductae, sedes habuerunt secundum II. Reg. XVII, 7. בחלח ובחבור נהר גוזן ועָרי מדי. Minime equidem iis accesserim, qui eandem hanc esse regionem putant cum tractu fluvii כְּבָר, quo Nebucadnezar Iudaeos deduxit, inter quos Ezechiel vaticinatus est. Fluvius כבר proculdubio *Χαβώρας* est, qui in Euphratem immittit (cf. Winer R. W. s. v.). Ast illas sedes quaerendas esse puto in Assyria et vicinitate Mediae, licet summi et doctissimi viri, Robinsonius et Ritterus aliter sentiant. Recte ni fallor, qui nostris temporibus propagandae fidei causa illam in regionem, quae olim Adiabene dicebatur, missi sunt ab Americanis in ipsis

illis Assyriae montibus statuerunt Israelitarum exsulum sedes quaerendas esse, ubi hodieque medios inter Muhametanos Nestorianorum reliquiae reperiuntur [1]). Cui quidem sententiae firmandae haec praesto sunt argumenta. Primum veri simile est, ab Assyriis aliam in regionem Israelitas abductos esse atque postea a Chaldaeis Iudaeos; neque, quum additum sit ועָרי מָדי de hac regione multum dubitari potest [2]). Fluvius autem vel regio חָבוֹר accuratius describitur addito נְהַר גּוֹזָן. Interpretatur autem Tr. Kiddusim ad II. Reg. XVII, 6. חבור זו חדיב. Ergo in ipsa Adiabene [3]) Israelitae habitarunt. Consentit Ptolemaeus, secundum quem *Χαβώρας* (VI, 1.) Assyriae est montosa pars, quae Mediam attingit [4]). Ibi fluvius parvulus, qui prope urbem Amadiam gigni-

---

1) Grant, the Nestorians or the Lost Tribes etc. New-York 1841. Cuius sententiam refellere conatus est Robinson, The Nestorians. New-York 1841. Cf. Ritter Erdk. X. p. 247. Adde Dr. Grant, Monatsberichte über die Verhandlungen der Ges. f. Erdk. in B. 1841. p. 110., Ritter IX. p. 713. sq. Adde Rosenmuellerum, Alterthumsk. II, p. 94. 98. 102.

2) Mediae nomen latius olim patuit. Xenophon Anab. l. III. Medos ad Tigrim Larissam incoluisse dicit.

3) Adiabene aliquando totam Assyriam significat, ut ex Plinio (V, 12) et Ammiano (XXIII, 20.) notat Cellarius Geogr. III. c. 17. De Adiabene et Elamitide cf. Assemanum III. vol. II. p. 414. Regna Ararat, Minni, Aschkenas apud Ieremiam a Targumista redduntur קַרְדוּ הוּרְמִנִי וחדיב Cardu, Armenia et Adiabene. — Corduene et Zabdicene partim Mesopotamiae, partim Armeniae et Assyriae assignantur.

4) Omnem dubitationem tollit, quod nomina quoque חלח et גוזן eadem in parte Assyriae reperiuntur. Sic enim Strabo scribit lib. XI.: „usque ad Calachenam et Adiabenam, quae extra fines sunt Armeniae.“ Et lib. XVI.: „Campi Nino vicini et Dolomene et Chalachene et Chazene et Adiabene.“ Ptolemaeus l. VI. c. l. collocat hanc Halacham s. Halavanam sub Armeniae montibus a Tigride ad Lycum aut Arrapachitim regionem. Ab eodem Gauzanitis dicitur primum quidem regio inter Chaboram et Saocaram in Mesopotamia sed etiam Gauzania in Media. Cellar. ed. 3. pag. 603. 666. Ebediesu Sobensis inter Assyriacae provinciae sedes metropolitanas recenset etiam ܚܘܠܘܢ cuius urbis regio vocatur ܚܠܚ, Arab. حلوان. Herbelotius eam urbem quattuor aut quinque dierum spatio a Bagdado ad Boream distare scribit. Cf. Assem. III. Vol. II. p. 418. Omnino distinguenda sunt כלח et חלח; כבור et חבור. כלח et כבר in Mesopotamia, חלח et חבור in Assyria quaerenda sunt. Etiam illud esse argumento potest, decem tribus abductas esse in Assyriam et

tur fluitque in Tigrim, usque hodie nomen habet Chaburis [1]). Eadem in regione sunt montes Dschudi i. q. Kurdi (I. Rich Narrat. II. p. 124. Ainsworth Researches p. 216), ubi arca Noae dicitur resedisse. Plurimi semper Iudaei ibi habitarunt neque negligendus Iosephus (Ant. XI, 5, 2.) cumque secutus Hieronymus, qui tradunt, in Perside superstites esse Israelitas exsules. Act. II. inter Iudaeos proselytasque alienos primo loco Medi et Elamitae leguntur. Etiam ubi Agrippa rex Iudaeos dehortatur, ne spem ac fiduciam collocent in auxilio τῶν ἐκ τῆς Ἀδιαβηνῆς ὁμοφύλων (d. B. J. II, 16, 4.), non intellexit proselytas sed qui genere ad tribus duodecim pertinerent. Quare non possum Rittero assentiri, Iudaeos Izatis favore allectos esse, ut sedes ibi quaererent, potius Izates ipse ad Iudaismum adductus est, quia illa in regione ex antiquis temporibus Iudaei plurimi habitarunt. Ibi urbs erat celeberrima Beth-Zabde, etiam Gezira i. e. insula, Gozartha Zebedaea dicta, ubi Beniamin Tudelensis quattuor milia Iudaeorum reperit. Fortasse haec ipsa erat urbs et regio, quam Monobazus Izati filio tradidit, nam Beth-Zabde significare nonnullis videtur urbem [2]) Adiabeni. Scribit enim Iosephus donavisse patrem filio dilecto regionem Καιρῶν λεγομένην, amomi feracissimam „ubi servantur arcae reliquiae, qua Noe fertur evasisse diluvium, et ostenduntur hodie quoque videre volentibus.“ Proculdubio intelligendi sunt montes Cardui, qui in paraphrasi Chaldaea ponun-

---

Armeniam, quod Amos IV, 3. הרמון a Chaldaeo, Symmacho et Syro redditur „in Armeniam abducemini.“ Adiabene Arabibus est حزّة.

1) Schultens ind. geogr. s. v. خابور v. Hammer, Asiat. Türkei. Wiener Jahrb. 1821. B. XIII. p. 255. Apud Assemanum B. O. T. II. p. 221. 226. haec leguntur: „Mar Ioannes donavit molendinum, quod situm est super fontem Taban et Sahimiae (ܛܒܢ ܘܣܗܝܡܝܐ), Mar Zoarae atque insuper ecclesiae Taban et Sahimiae, quae est in Chaburo fluvio ܒܟܒܘܪ ܢܗܪܐ.

2) Rosenmüller Bibl. Alterthumsk. vol. I. P. 2. p. 94. Reiske, not. in Abulfed. tab. Mesop. apud Bueschingium IV. p. 244. Provincia inde Zabdicene dicta. Ipsa nomina: Beth-Zabde, Beth-Garme etc. Iudaeos incolas prodere videntur. Sunt autem in illa regione plurima oppida, cum voce ܒܝܬ composita. Cf. Assem. III. vol. II. p. 730. ܒܝܬ ܙܒܕ facilius referas ad nomen ܙܒܕ Aramaeis vulgare (donatus).

tur loco montis Ararat, quo Syrorum traditio unanimis delegat Noachi apobataerium [1]). Ad verba vero concinit cum Iosepho Eusebius Chron. Arm. p. 36.: „Navis autem, quae consedit in Armenia, etiamnum aliquas in Gorduorum montibus Armeniae remansisse reliquias dicunt.“ Exstruebatur postea hoc ipso loco monasterium arcae super montes Carduos situm et ad nostrum usque diem similia quaedam fabulantur in illa regione Arabes [2]). Regionem apud Iosephum *Καιρῶν* dictam esse hanc ipsam Armeniae partem, etiam ea de causa verisimile est, quod amomum in Armenia et Media reperiri Plinius testatur [3]).

Iam plana sunt omnia, quae de Izate Iosephus, de Abgaro tradidit Moses Chorenensis. Neque illud negligendum, quod Armeniae regem apud Mosen in epistolis Abgarus se appellat. Izati igitur a patre illa Armeniae s. Assyriae pars assignata erat, ubi Iudaei exsules sedes acceperant. Unde patet, quo sensu apud Mosen Iudaei gloriari dicantur, illius regionis incolas esse patria Palaestinenses, neque sunt dubia amplius, quae de Bagratidarum gente ab eodem narrantur. Ita facile factum est, ut ad Iudaeorum religionem Izates converteretur simulque Helena mater eius, quae si Mosi fides habenda est, Carrhis oriunda erat. Patre mortuo Izates in Adiabenorum regno successit, quod illo tempore amplis finibus patuisse videtur, ita ut recte Armenia minor s. inferior dicatur. Izate regnante etiam addita est Mesopotamiae pars, quae a Iosepho Nisibis dicitur, ubi Antiochia Mygdonia a Graecis condita erat [4]). ܢܨܝܒܝܢ significat proprie stationes, mansiones, quibus hac in regione opus erat commeatibus in via

---

1) Cf. Ios. Ant. I, 3. Euseb. praep. evang. l. IX. c. 21, qui Berosum et Abydenum huius traditionis laudat testes. Cf. Assem. II. p. 113.

2) Cf. Dionysii Chronicon ap. Assem. II. p. 113.; Rich, Narrat. II. p. 124. not. Curdi ii qui olim Chaldaei, Gordyaei, Carduchii etc.

3) Silentio non esse praetereundem puto, quod prope Geziram monasterium positum est El Kosch, unde Nahum oriundus fuisse dicitur.

4) כנה Ezech. XXVII, 3. Targ. נציבין. Secundum annales Armeniorum urbs primum dicta fuit Medzpin — unde Nesebin in lingua vulgari. Martin Mém. sur l'Arménie I. p. 161. Bar-Hebraeus in Chronico pag. 66. „Nisibis, etiam Antiochia Mygdonia appellata, a Sapore bis cincta et obsessa.“ De *Μυγδονίᾳ* cf. Iulianum in Orat. I. ed. Spanhemius p. 190. Strabo XVI. p. 747.

magna, quae Euphratem et Tigrim iunxit [1]). Quod autem apud Iosephum nomen regionis, id vulgo urbis nomen est a Syris ipsis postea ܨܘܒܐ appellatae. Eam in urbem, quae paulo ante a Tigrane amplificata et maxime munita erat (vide supra), regiam Izates detulisse videtur. Nisibis autem inter Iudaeos aeque ac Christianos urbs clarissima. Ibi Iudaeorum schola floruit [2]) atque qui ab Eusebio ecclesiae Persicae lumen celebratur, episcopus Nisibenus erat, Iacobus ille magnus, cuius discipulus Ephraemus. Edessa utpote propior Graecorum Romanorumque finibus, pluribus innotuit; at vero Nisibis antiquitus non minore fama inter Christianos gaudebat. Quare Christianae ecclesiae origines non tam Edessae quam in Adiabenorum regno quaerimus.

Certissimum omnino est, primis post Christum saeculis ultra Euphratem nullibi tot Christianos fuisse quam in Adiabene, de qua Sozomenus (l. 2, 12.): „Haec Persidis regio est maximam partem a Christianis habitata.“ Edessam igitur mihi translatum videtur Evangelium ex Adiabenorum regno. Qui primus inter Edessae regulos Christianam fidem confessus est, Izatis pronepos erat. Ephraemus, Edessenorum doctor, cuius tempore urbis vix magna pars fidei Christianae addicta erat, Nisibenus erat. Nisibis illo tempore fere universa ad fidem conversa fuit. Mares, qui revera fuisse videtur in Syria primus fidei nuntius, primum docuit Beth-Garmenses et Adiabenos [3]), deinde Seleuciam petit. Quid quod teste Mose Chor. ipse Thaddaeus devertisse dicitur apud Tobiam quendam ex Bagratidarum familia. Persarum reges, Christianorum persecutores, immensam hominum multitudinem occiderunt in Assyria; ex urbe Bezabde novem milia Christianorum cum episcopis abducta et maximam partem occisa sunt. Christiani, qui Nisibin incolebant, cogebantur Amidam exire. Sed de his in libro proximo plura dicentur; constat omnino, eam regionem,

---

1) Steph. Byz. „*Νίσιβις*, *Νάσιβις*, *Νέσιβις*. Philo: *στήλας* significat. *Οὐράνιος*: lingua Phoenicia *λίθους συμφορητούς*.“

2) Beniamin Tudelensis ibi mille Iudaeos reperit.

3) Ex urbe Edessa praedicatio Evangelica primum translata esse traditur in Carduenem s. Bezabden. Edessa autem in traditione ecclesiastica est urbs regia Abgari; quare eius loco substituenda est vel Nisibis vel quae tum Adiabeni regis sedes erat. Etiam monasterium primum conditum est in Nisibis vicinitate.

quae ad Tigridis utrumque latus sita est in angulo illo, quo Mesopotamia, Armenia et Media contingunt, semper fuisse Christianae religionis quasi focum et propriam sedem, ubi hodieque Iacobitarum et Nestorianorum reliquiae latent. Ut autem ad Izatem nostrum redeamus, non mirum est, quod Christianum eum fuisse iactarunt postea, quum Helenam quoque eius matrem, Philonem, alios ecclesiastici viri Christianos fecerint. Neque vero omnino negari potest, pervenisse illo tempore praedicationem Christianam hanc in regionem, quae referta erat Iudaeis et proselytis. Error autem de Izate tanquam principe Christiano ut primum conceptus est, facile ad rem amplificandam et illustrandam fictae sunt fabulae et epistolae scriptae, accedente variorum virorum confusione. Etenim Abgarus erat titulus, non Osrhoenis solum sed etiam Adiabenis familiaris; saeculo secundo Edessae regnavit Abgarus, Izatis pronepos, cuius in nummo crux primum apparet, etiam in Adiabene eodem fere tempore apparet Abgarus. Nisibena bibliotheca Edessam erat translata; facillime igitur factum est, ut posterioris Abgari res gestae confunderentur cum historia principis illius, qui tempore Christi vixerat. Vera fortasse scripserat Lerubnas scriba, sed erravit Africanus, qui Sanatrucem quoque ex saeculo secundo in primum detrusit; postremo historiae annexae sunt epistolae fictitiae, quemadmodum Moses Chorenensis tradit, inter Armenios circumferri acta et fata non solum Abgari, sed etiam Tobiae, Thomae, Addaei, filiae Sanatrucis et aliorum. Ita detecta videtur fabulae veritas. Utinam Iosephus stetisset promisso, Monobazi, Izatis fratris res gestas se esse traditurum, utinam liceret, non tam indagare coniecturis, quam historiis probare veritatem. Adiabenos post mortuum Izatem propensos mansisse Iudaeis, inde patet, quod Agrippa dehortatur Hierosolymitanos, ne in ope ab Adiabenis ferenda spem salutis et fiduciam ponant.

Redeamus ad Simplicem nostram. Tradit Iosephus, Izatem misisse Hierosolyma *πέντε τὸν ἄριθμον υἱοὺς τὴν ἡλικίαν νεοὺς γλῶτταν τὴν παρὰ Ἰουδαίοις πάτριον καὶ παιδείαν ἀκριβῶς μαθησομένους*, nonne huic Iosephi nuntio respondet locus Iacobi Edesseni supra citatus, vertisse Biblia illos, quos Abgarus olim Hierosolyma miserit? Izatem volumina Mosis legentem invenit Eleazarus, proculdubio Graeca in versione; putasne regem operam dedisse, ut in patrium sermonem verteretur ea, cui totum

se suosque tradiderat, Lex et Scriptura? Certe misit Hierosolyma pueros, qui Hebraeam linguam et doctrinam probe instituerentur [1]). Izatis frater Monobazus et ipse videtur addictus fuisse Iudaeorum legi atque ritibus; legitur enim in Talmude [2]), Helenae filium Monobazum vasa aurea templo Hierosolymitano consecrasse. Eius igitur tempore, sub finem saeculi primi putaverim, in regno Adiabenico, quod illo tempore etiam Mygdoniam partemque Armeniae amplectebatur, factam esse versionem V. T, Syriacam ab iis, quos olim Izates Hierosolyma miserat lingua Hebraica sacrisque Iudaeorum ritibus imbuendos. Ita quidem statuitur, id quod ex versionis ipsius indole probatur, gente Syros fuisse illos interpretes, sed optima eos linguae Hebraeae cognitione instructos nec non exegetica satis bona institutione ad interpretationem idoneos [3]). Ita etiam factum est, ut versio Graeca LXXviralis haud quidem ignota fuerit interpretibus Syris, minime vero ea pro fundamento interpretationis posita sit, etiamsi locis multis sequatur Syrus interprètationem Graecam tunc temporis etiam in Palaestina plurimi habitam. Quin imo versio Syriaca luculentum maximeque praeclarum nobis restat testimonium ac monumentum scholae traditionisque exegeticae, quae illo tempore, tempore Christi et Apostolorum, in Palaestina floruerit. Iam supra notavimus, nulla nobis reperta esse argumenta, quibus pateat, eiusdem fontis et originis esse utriusque Testamenti versionem, quum in V. T. ratio omnino nulla habita sit N. T., neque in Evangeliis omnia prophetarum dicta conformata sint cum textu V. T. Syro. Cui consentit traditio Syrorum ipsa, quae ad tempus idem, non ad eosdem interpretes utrumque Testamentum refert. Facta autem V. T. versione exeunte saeculo primo, iam

---

1) Clericos Nestorianos in schola Urmiae a praedicatoribus fidei instituta facillime linguam Hebraicam discere testatur Perkins, lettre etc. Ritter, Erdk. IX. p. 685.

2) Tr. Ioma c. 3, 10.: „Monobazus rex fecit omnes ansas vasorum, quibus usus erat die expiationis, ex auro. Helena mater eius lychnum fecit, qui erat supra portam Sancti."

3) Cf. quae supra (p. 62) attulimus ex Iacobo, quid interpretes in Palaestina de voce διάψαλμα traditum acceperint. — Kirschius (Pentateuchus Syriace) interpretem habet Syrum origine; Michaeli (Orient. Bibl. vol. IV. n. 64) gente Iudaeus, sed religione Christianus fuisse videtur.

reapse fit probabile, invectam eodem fere tempore eandem in regionem fidei Christianae praedicationem probasse sese eorum haud paucis, qui ex Syris ad Iudaicas leges iam pridem conversi erant. [1]). Quare V. T. interpretationem secuta sunt Evangelistarum et Apostolorum scripta Syriaca non multo post quam omnino illa orbi terrarum innotuerunt. Primum fortasse Matthaei Evangelium Syriace translatum est, quae versio simplicitate et fide praestat ceteris. Izatis posteri num permanserint in religione patris, compertum non habemus; Christianorum traditionibus si quid hac in re tribuendum est, videntur filii deseruisse spretam Iudaeorum sive Christianorum fidem. At vero saeculo secundo Izatis pronepos Maanus, Maani filius, Christianus fuit et Traiani iam tempore non solum Edessae [2]), sed etiam in aliis Mesopotamiae oppidis martyres satis multi exstiterunt, si Romanorum martyrologiis fidem habueris. Quare saeculo iam secundo putamus in Mygdonia, Armenia, Adiabene et in urbe Seleucia ecclesias Christianas fuisse, qui Bibliorum versione Syriaca uterentur. Quibus in urbibus lingua Graeca viguit, Biblia Graece legebantur neque reiicienda prorsus videtur traditio supra prolata, ad Ephraemi usque tempora V. T. Hebraice lectum esse Edessae. Erant enim fortasse Edessae interpretes ex Iudaeis oriundi, qui in Syriacam linguam transferre potuerint pericopas Hebraicas. Ephraemi demum tempore data pace ecclesiae, in plebem magis et suburbanos vicosque [3]) atque in deserta Mesopotamiae fides Christiana invecta est; atque Ephraemus ipse, qui Nisibi oriundus erat, matre nata in urbe Amida,

---

1) Quid de Thaddaeo iudicem, nescio. Vix spernenda est unanimis haec Syrorum et Armeniorum traditio, licet fabulis submersa. Unum ex LXX discipulis in Mesopotamiam venisse, non improbabile est. Eleazarus Galilaeus ab Iosepho in vita Izatis memoratus Christianus haberi non potest. De Thaddaeo narratio, quae ceteris differt simplicitate, legitur ap. Assemanum Tom. IV. p. IX. ex Menologio sumta. Ibi de Thaddaei martyrio nil legitur, sed dicitur ille senuisse, postquam Mesopotamiam docuerit et per Aghaeum discipulum etiam remotiores regiones converterit.

2) Edessae episcopus Barsimaeus martyr factus, quum Lucius Traiani legatus Edessam fracta fide expugnaret. Assem. III. 2. pag. 38. 60. Cf. Dio C. 68, 21.

3) Edessenorum plerique Ephraemi tempore idolatria tenebantur. Cf. eius vitam apud Assemanum et Lengerkium.

in usum potissimum hominum vulgarium scribere solebat. Ergo ex Adiabene vel Nisibi [1]) advectam putamus versionem Syriacam Edessam, quae eadem causa fuisse videtur, quod versionis notitia in Occidentem posteriori demum tempore translata est. Atque huc usque quum pervenerimus, iam absoluta sunt, quae de origine versionis Syriacae probabilia habemus. Quae quidem sententia nostra, eruditorum iudicio proposita, si aliorum assensum nacta fuerit, quum unius non sit, omnia expedite agere et consummare, speramus fore, ut ab aliis alia detegantur argumenta et indicia [2]), quibus res certior fiat et iteratis curis examinata conficiatur.

---

1) In qua urbe Adiabenae reguli sedem habuerint, nuspiam dictum reperi. Mebarsapis regis Adiabenorum arx Adenystra a Traiano capta non multum a Nisibi remota fuisse videtur.

2) Nova quaedam Abgarum spectantia edentur fortasse a Curetono Anglo. Audias eum (The festal Letters of Athanasius p. XXIII.): „Eusebius' account of the conversion of Abgar. I have found amongst the Syriac manuscripts in the British Museum a considerable portion of the original Aramaic document, which Eusebius cites as preserved in the archives of Edessa, and various passages from it, quoted by several authors, with other testimonies which seem to be sufficient to establish the fact of the early conversion of many of the inhabitants of that city, and among them, of the King himself, although his successors afterwards relapsed into Paganism. These, together with accounts of the martyrdom of some of the first bishops of that city, forming a most interesting accession to our knowledge of the early propagation of Christianity in the East down to about A. D. 300, I have already transcribed, and hope to publish, with a translation, and such illustrations as may appear necessary etc." Videntur documenta illa de Abgaro convenire cum Mose Chorenensi.

Liber tertius.

Versionis Syriacae Simplicis historia litteraria.

Cap. I.

Studiorum litterarumque apud Syros ratio et consuetudo.

Quae nunc fere vasta est et deserta terra inter Euphratem et Tigrim media, eam vidimus maxime primis p. Chr. saeculis floruisse. Plurimae ibi et opulentissimae exstructae erant urbes, firmissime munitae, coloniae partim Graecorum, partim Romanorum [1]), in quibus mixtae et congregatae erant omnes fere terrarum gentes. Etenim huc Armenii et Parthi venerunt, ut Graecorum Romanorumque linguam artesque discerent; hic Iudaeorum Rabbini, Persarum Magi, Sabaeorum Astrologi antiquos mores recolebant. Maxime autem ecclesia Christiana in Mesopotamia, Adiabene et Perside saeculo tertio pervagata est, aucta potissimum opera studiisque monachorum. Monachatus enim ante annum CCCXX in Mesopotamia et Assyria propagatus adeo statim accrevit et invaluit, ut coenobia plurima ubique conderentur. Discurrentes deinde monachi per urbes, vicos et deserta et omnem in regionem dispersi, Syros fere omnes nec non Persas et Arabes quam plurimos ad religionem suam traduxerunt, superstitem daemonum cultum destruentes [2]). Simul quod inter Germanorum postea gentes evenisse videmus, ut disseminarentur a monachis cum fide Christiana eruditionis disciplinaeque leges atque mores,

---

1) Romanorum coloniae erant Carrhae, Edessa, Resaina, Nisibis, Amida. Cf. Th. Sigfr. Bayer de nummo Amidensi in opusc. Hal. 1770. pag. 551.

2) Sozom. l. VI. c. 34.

idem in Syria factum. Erant tamen Syri iam provectiores in vitae ratione satis urbana et exculta, quare ut primum excoli coeperunt litterae Syriacae, scholae institui, aedificari et gubernari ecclesiae, — mox ita profecerunt res Christianae, ut saeculo iam quarto et quinto in omni vitae litterarumque genere formam eam et perfectionem assecutae sint, quae postea tantum abest ut superata sit, ut ne servari quidem potuerit. Testis est Ephraemus, saeculo quarto litteras Syriacas quarum antea vix erat mentio facta, non solum ampla in regione pervulgatas, sed etiam fastigium quoddam esse consecutas artis et perfectionis. Ephraemo plurimi erant discipuli; Edessae ex illo tempore schola florere coepit, in qua Syrorum plurimi Bibliis litterisque instituebantur, quorum alii in Armenia monasteria condiderunt [1]), alii in Persidem usque dogmata eruditionemque transtulerunt, quae ipsis ab Alexandria et Antiochia advecta erant [2]). Multum enim erat Mesopotamiae commercium cum Syria occidentali et imperio Ro-

---

1) Cf. Neumann, Versuch einer Geschichte der armen. Litter. pag. 22. Gregorius Illuminator cognatus erat Iacobi Nisibeni (quem et ipsum aliquo modo suum faciunt Armenii) Syrosque multos accivit, inter quos Zenobius laudatur, abbas monasterii Ioannis baptistae in provincia Daron. Scripsit ille Syriace historiam Evangelii in provinciam illam allati. Quae quidem historia, continuata deinceps, historia Assyriorum dicta est, quia monasterii illius patres omnes Assyrii (Syri) erant et Syrorum lingua atque liturgia utebantur. Thokigius (cca a. 600) Assyrios omnes ex monasterio detrusit.

2) Edessa urbs sancta dicebatur (cf. Ephraemus in carmine de Edessae laudibus et Iosue Stylites apud Assem. B. O. I. p. 261. 78.) et benedicta (Chron. Edess.). Post primam conversionem Edessenos nunquam defecisse, Eusebius narrat hist. eccl. II. c. 2. Edessae libri plurimi Graecorum transferebantur in sermonem Syrum. Iam edidit diebus nostris Samuel Lee Eusebii Theophaniam ex codice Syriaco anni 411. Testes sunt illi codices ex monasterio Scetensi erepti, Patres fere omnes saec. V. a Syris esse translatos. Theodori Mopsuesteni libri Eddessae vertebantur in linguam et Syriacam et Armeniacam et Persicam. Bibliotheca magna Edessae collecta erat. Exstabat etiam bibliotheca artium profanarum et auctorum classicorum, cui tempore Mesrobis praefectus erat rhetor quidam ethnicus, qui Mesrobem ad Epiphanium delegavit de alphabeto Armeniaco consulendum. Neumann l. c. p. 33. Carmina quoque, ex. causa carmina Gregorii Nazianzeni vertebantur a Dionysio quodam. Apud Syros ipsos hymnologia post Ephraemum, qui Bardesanem eiusque filium in componendis carminibus secutus est, maxime exculta est.

mano, et maxime monachi in desertis Libyae, Syriae et Mesopotamiae communicabant inter se invicem fata sua, doctrinam, linguam et mores. Biblica studia fervore magno tractabantur; scribebantur non minus universos in libros scholia et commentarii, quam singulae fere omnes historiae V. et N. T. tractatibus et carminibus illustrabantur. Perlustrantibus nobis apud Assemanum catalogum librorum, expositionum et exhortationum, quas saeculo quarto et quinto multi auctores lingua Syriaca ediderunt, tantum apparet studium Biblicum, quo maius non floruit illo tempore apud Graecos et Latinos. Neque vero negligebatur illud doctrinae genus, quod litteram vocesque et formas curat in libris Biblicis, ut in Ephraemo videre licet, quamvis ille vix praeditus fuerit ea eruditione, quae fuisse aliorum existimanda est. Praeter Biblia alia ante et multa scripta Syriaca exstitisse, supra memoravimus; in conspicuo tamen est, Bibliis Syriacis fundamentum quasi iactum esse litterarum Syriacarum, quae deinde a plurimis varioque genere excultae sunt.

Scholae [1]) in pagis non minus quam oppidis frequentissimae episcoporum procurationi et tutelae commissae erant et monasteria plurima facta sunt sedes et asylum variae eruditionis. Ephraemus ipse a Iacobo primum Nisibi Syriacae linguae magister electus, postea Edessae scholam instituerat, quae post eum floruit. Eusebius Emesenus ab infantia imbutus est litteris sacris in schola Edessena. Quae vero scholarum institutio fuerit, patet ex iis, quae de Protogene tradit Theodoretus (hist. eccl. IV. c. 18. vid. supra pag. 83.), a Valente illum Edessa eiectum *διδασκαλεῖον καὶ παιδευτήριον* in urbe Antinoo condidisse, in quo tum Davidis cantica pueris dictaverit, per notarum compendia scribere docens, tum ex Apostolicis libris locos utiles ediscendos curaverit. Neque vero pueri solum litterarum rudimentis imbuebantur, sed florebant Edessae et postea Nisibi aliisque in locis scholae, quas non inepte academias diceres. Ita enim de Narsete scribit Amrus (Assem. III. 2. pag. 917.), qui circa annum Chr. 490 scholam Nisibenam condidit et Orientis lingua Christianaeque religionis poëta appellatus est „Edessâ a Barsuma Nisi-

1) Schola Syriace dicta ܐܣܟܘܠܐ vel ܒܝܬ ܣܦܪܐ, ܒܝܬ ܡܠܦܢܘܬܐ, ܒܝܬ ܕܪܫܐ.

bin accitus per annos viginti sacras ibidem litteras interpretatus est [1]). In locum quippe Rabulae doctoris suffectus Scripturas exposuit, lectionem et scientias docuit, cuius rei fama plurimos undique accivit. Ferunt ab illo quinque et sexaginta supra trecentum sermones fuisse dictatos.“ Cuius scholae fama etiam ad Occidentales pervasit, qui mirati sunt, apud Syros Nisibi per magistros publicos Legem divinam ordine ac regulariter tradi, ut grammaticam atque rhetoricam apud Latinos [2]). Huius scholae canones inter res alias iubent: „Fratres ad scholam admissi, nisi urgente necessitate, non debent a scribendo, legendo et exponendo cessare.“ Primum Psalmi Davidis [3]) legebantur, deinde Novum Testamentum, mox Vetus, postea Doctores, demum Interpretes. Non solum legebantur Biblia, sed etiam scribebantur. Canon scholae Nisibenae apud Sobensem iubet, scribere pueros anno primo primam partem sessionum [4]) et librum Pauli et Pentateuchum, anno secundo Psalterium Davidis et Prophetas, anno tertio Testamentum Novum. Artes quoque mundanae in his scholis exercebantur, exordio tamen ubique facto a libris sacris, ut iubet canon Theodosii patriarchae: „In summa omnes filii Christianorum antequam exercendis artibus tradantur, legant Davidem et Novum Testamentum et tomos Lectionum.“ Educabantur enim in scholis illis et monasteriis etiam illi, „qui medendi scribendive [5]) artibus incumbebant,“ praesertim saeculis

1) Carmen eius legitur: Zeitschrift der deutsch. morgenl. Ges. vol. III. fasc. II. pag. 235.

2) Iunilius Africanus ad Primasium scribit ineunte saeculo sexto (Bibl. Patr. tom. X.) secum communicasse Paulum quendam, qui Edessae litteras didicerit, prolegomena in Scr. sacr. sive regulas quasdam ad cognoscendam intentionem ordinemque causarum, quae in divina lege versentur. Assem. IV. pag. 927.

3) In Nomocanone Arabico Abulpharagii Assem. IV. pag. 942.

4) De sessionibus vid. Assem. III, pag. 292. Psalmi uno contextu ex antiqua traditione legebantur; plebe autem inde molestia affecta statuerunt patres, ut sint lectionis intercessiones, quare distributum est Psalterium in ܡܘܬܒܐ. Fabricius Bibl. Gr. Tom. V. pag. 40.

5) Cf. constitutionem Theodosii († 858) apud Ios. Aloys. Assemanum, de Catholicis s. Patriarchis pag. 101: „Qui medendi scribendive artibus incumbunt, neutiquam negligant attente legere expositionem N. T. et codicem sacramentorum auctore Mar Theodoro, magistro magistrorum et interprete interpretum.“

posterioribus, quum Nestorianorum clerici sub Saracenorum Chaliphis eruditionis cuiuslibet magistri clarissimi haberentur. Eiusmodi scholae permultis in locis exstructae sunt, maxime in Adiabenica regione; etiam monasteriis adiunctae erant. Monasteriorum autem maximus erat numerus; sola in urbe Edessa, quum a Sarazenis occuparetur, plus reperta sunt trecentis (?) [1]. Ad nostra usque tempora supersunt monasteria quaedam illo tempore condita. Quis tandem mirabitur, ita florentibus studiis biblicis textum biblicum ad litteram usque et apicem examinatum et constitutum esse. In scholis et monasteriis dictabantur, legebantur et canebantur indefesso labore libri tum V. tum N. T., neque erant rudes monachi et semibarbari, qui codices transscriberent, sed cura maxima suum quisque sibi Testamentum, dictantis verba excipiens, sive exemplar vetus et probatum secutus, propria manu confecit [2]. Ita factum est, ut versionis Syriacae hodieque exstent codices multo plures et antiquiores quam ipsius textus Graeci, et qui miro modo inter se consentiant. Antequam vero recenseamus codices versionis Simplicis in bibliothecis occidentalibus reservatos, opus est, ut de Nestorianorum schismate et ecclesiae Syriacae fatis pauca moneamus.

Cap. II.

Nestorianorum et Iacobitarum historia brevis.

Septimio Severo Caesare Mesopotamia provincia Romana facta erat. Syria universa illo tempore admodum populosa fuisse

---

1) Abu Ishac (liber climatum ed. Möller pag. 42.) narrat, Roham i. e. Edessam habitatam esse maxime a Christianis, qui ibi plus trecenta monasteria, proseuchas multas et ecclesiam maximam habeant.

2) Masius in ep. dedicat. Gramm. ad Ariam: „Uti Iudaei, ita Syri quoque accuratissimo illo scribendi genere in sola sacrorum librorum scriptura utuntur.“ — Produnt, Iacobum Sarugensem habuisse amanuenses septuaginta describendis eius sermonibus occupatos. B. O. II. pag. 322. Episcopis et magistris insignioribus ingens aderat multitudo discipulorum. Etiam posterioribus saeculis episcopi lectores et scribas habebant. Ita Ioanni Iacobitarum patriarchae (a. 1208) discipulus adfuisse narratur, qui eo munere fungi solebat, ut Scripturas ei praelegeret. B. O. II. pag. 134. Erant haud pauci inter Syros, qui memoriter Scripturas recitabant.

videtur [1]), sed tam gravi et assidua bellorum fatorumque miseria conflictata et vastata est, ut tribus saeculis post vix reliquiae superstites fuerint pristini valoris. Persarum imperio a Sassanidis restaurato Mesopotamia [2]) crebris incursionibus vexata est. Sapor I. Armeniam occupavit, Valerianum sub Edessae moenibus captivum fecit totamque Syriam vastavit. Armenia quidem sub Tiridate Persis iterum erepta est, sed de Mesopotamia continuo inter Persas et Romanos dimicatum, donec a Galerio victo Narsete imperii limes super ripam Tigridis restitutus est. Saeculo quarto Iulianus quidem terruit Persas, sed Iovianus Adiabenem omnesque provincias Tigritanas Persis concessit, Nisibi [3]) ter frustra a Sapore obsessa aliisque oppidis, quae maxima virium contentione Persis restiterant, detestantibus imperatorem Christianum, qui Christianos Persarum tyrannidi et furori magorum prodidisset. Quodsi enim experti erant antea Christiani odium persecutionemque Decii et Diocletiani, iam nihil passi videbantur, rabie Saporis II. et magorum contra nomen Christianum concitata. Caesa a Sapore dicuntur centum nonaginta circiter milia; ex urbe Bezabde milia circiter novem virorum ac mulierum in Persidem abducta sunt; ex urbe Nisibi incolae fere omnes excesserunt lugentes [4]). Sub Ardasciro, Saporis succes-

---

Raban Abulpharagius, Elisaei filius (non confundendus ille cum Gregorio Bar-Hebraeo) totum ecclesiasticum officium memoria servabat. Ipsi episcopi et archiepiscopi N. T. describere solebant.

1) Sub Mameluccorum imperio recensita sunt in Syria proprie dicta pagorum sexaginta milia. Histoire de Timur l. V. c. 20.

2) Mesopotamiam dicimus eodem nomine, quo Plinius VI, 31.: „Mesopotamiam ab oriente Tigri, ab occasu Euphrate, a septemtrione Tauro, a meridie mari Persico inclusam, longitudine DCCC mill. pass. latitudine CCCIX."

3) Cf. Theodoreti hist. relig. de Iacobo Magno.

4) Notantur plurimae urbes, pagi et vici, quorum episcopi, presbyteri sive homines laici occisi sunt. Erat igitur religio Christiana ubique pervulgata. Ipsius regis nutritor et praefectus artificum inter martyres recensentur. Memoratu dignum, quod tria potissimum postulata sunt a Christianis ad mortem evitandam: Christum ut abnegarent; solem, ignem, aquam colerent; s a n g u i n e m demum comederent. — Martyrum, quorum nomina recoluntur, fuisse dicuntur sedecies milia. De Marutha apud Iezdegerdem cf. Assem. B. O. t. I: „Maruthas favore non exiguo gavisus

sore pace reddita ecclesiis, altera gravissima persecutio commota est sub Iezdegerde, quae interrupta saepius, mox resuscitata, triginta per annos duravit. Episcopi plurimi interfecti sunt, dirutae ecclesiae, monasteria solo aequata. Postea quidem pace fruebatur ecclesia Christiana sub Persarum regibus, sed graviorem et perniciosiorem cladem cepit ex haeresi Nestorianorum.

Syria ab incunabulis Ebionitismo addicta fuit. Tempore concilii Nicaeni episcopi undecim recensentur, qui in damnatione Arii non consenserint [1]), scilicet Edessae, Circesii, Darae, Singarae, Maipheractae, Amidae, Aghel; ex urbe Edessa sub Valente orthodoxi expulsi sunt. Quae Edessae floruit schola Persica, Nestorianismo a principio indulsit. Rabulas quidem episcopus Edessenus huius scholae [2]) conatus compescuit, sed vires ea resumpsit sub Iba neque deinde ad fidem orthodoxam revocari potuit, quare Cyro episcopatum adepto iussu Zenonis eversa est et scholastici in Persidem relegati. Schola Edessena autem tum floruit mirum in modum litterarum studiis; scripta Diodori, Theodori, Theodoreti, aliorum in linguam Syriacam translata erant omnesque Graecorum artes et disciplinae tractabantur. Qui Edessa excedere iussi sunt viri litterati (ܟܬܒܐ) Nestorianismo dediti, in Persidem se contulerunt. Illo tempore etiam schola Nisibena condita (440) et Barsumas postquam ex Edessena schola sub Rabula eiectus est, episcopus Nisibenus factus, nihil intentatum reliquit, ut Chaldaeos Persasque omnes suam in haeresin pertraheret [3]). Episcopus ipse Seleucensis Nestorianismo indulsit neque multo post a patriarcha Antiocheno liberum se constituit [4]). Ita ecclesia orientalis abscissa est ab ecclesia occiden-

---

apud Iezdegerdem duo Ctesiphonte concilia habuit, ut collapsas ecclesias repararet disciplinamque restitueret. Fides Nicaena tum corroborata in Persiae finibus." Cf. Chrysosthomi ad eum ep. XIV.

1) Assem. I. pag. 170.

2) De huius scholae auditoribus consulas Symeonis Beth-Arsamenis epistolam Assem. I. pag. 203. 351.

3) Assem. T. III. pag. 69. sq. De Barsumae ingenio doloso, fraudulento, procaci vide Neumann l. c. p. 67.

4) Orientalis Asiatica dioecesis Patriarchae Antiocheno paruit, sub quo duo fuere ab initio Catholici, Persidis Metropolita et Archiepiscopus Seleucianus. Defecit primus Babaeus a. 498. Seleuciae et Ctesiphontis sedes, quam et Babylonicam dicunt et ecclesiam Cuchensem, quinta dicitur

dentali et episcopus Seleuciae ex illo tempore catholicum se patriarcham appellavit. Regibus autem Persarum vix credibile quantopere se insinuaverint Nestoriani, maxime quia medica arte [1]) et eruditione varia excellebant, ita ut in regia aula interpretum et legatorum, medicorum et scribarum munera nacti sint, ad intima regni consilia haud raro admissi, licet aegerrime id tulerint magi [2]). Delectabantur enim reges Persarum fere omnes Graecorum libris, quos Syri in linguam propriam transtulerant [3]). Maxime Cosroes Nuscirvanus (531—579), etiamsi fabulantur, qui antequam mortem obierit eum baptizatum esse dicant, magno tamen favore Nestorianos nonnullos prosecutus est [4]). Eiusdem tempore institutum vitae monasticae, quod apud

---

a Nestorianis (ex decreto conc. Nicaeni) celebris ob reverentiam trium Apostolorum, qui terras illius ditioni subiectas ad fidem Christianam traduxerint, Thomae Indorum, Bartholomaei Aramaeorum Apostoli et Adaei, unius ex LXX (Ebediesus Sobensis). De urbe Seleucia cf. Ritterum vol. IX. pag. 69. sq. Coche (*Χώχη* apud Arrianum) nomen antiquum fuisse videtur vel ipsius Seleuciae vel pagi, in cuius vicinia Seleucia condita est. Scribit enim Zosimus: „*Τῆς πρότερον μὲν Ζωχάσης, νῦν δὲ Σελευκείας ὀνομαζομένης.*" Arrianus et Ammianus Marc. (XXIV, 18) Cochen distinguunt a Seleucia. Koche cohaeruisse videtur cum Machusa, suburbio quodam, a Iudaeis obsesso (אקרא דכוכי in Tamude. Tr. Ioma f. 11. a.). Quare putaverim, in hac Seleuciae parte ecclesiam Christianam primam fuisse, unde mos invaluerit, archiepiscopos hoc loco ordinandi. Cosroes Nuscervanus eodem fere loco Rumiam aedificavit. Cf. Fürst, Kultur- und Literatur-Geschichte der Iuden p. 107., Ritter. IX. p. 155.

1) Bar-Hebraei Chronicon pag. 62.: „Cum Saporis Romana uxore advenerunt periti medici Graeci, qui medicinam Hippocrateam in Oriente propagarunt. Fuerunt etiam inter Syros praestantes medici, ex. gr. Sergius Resainensis, qui primus libros philosophicos et medicos ex lingua Graeca in Syriacam convertit et Athanasius Amidensis et Philagrius et Symeon monachus, cognomento Taibutha et Gregorius episcopus et Theodosius Patriarcha et Honainus praestantissimus, filius Isaaci aliique multi his posteriores usque ad hodiernum diem."

2) Cf. Eichhorn, Geschichte der Syrer, ein Fragment in Meusel's Geschichtsf. Thl. 5.

3) Non omnes Persarum reges Syriace callebant: Pherozes epistolam Syriace scriptam non intellexit, sed Gabrieli medico interpretandam dedit; deinde ut alter quoque vir Syrus ad legendam epistolam accerseretur praecepit. Assem. B. O. IV. pag. 405.

4) Cf. Assem. Tom. III. pag. 91. 94. 101., IV. pag. 745. Agathias l. II. c. 66—71. Menander excerpt. legat. pag. 142. Pagi Critica Tom. II. pag. 626.

Nestorianos collapsum erat, opera Abrahae Cascarensis restitutum est. Scholae floruerunt Seleuciae maxime et Nisibi neque defuerunt viri docti magnae famae ut Hananus aliique. Multi omnino in imperio Persarum erant Syrorum, qui litterarum studium enixe colerent. Maxime tractabantur Biblia cum commentariis patrum; sed adiunctae erant artes mundanae, maxime medicina, ars scribendi, grammatica et philosophia. Exemplo est inter alios Mar Abas [1]) cognomine Magni et Martyris decoratus, qui antea magus fuerat, deinde ad Christianam fidem conversus Nisibin perrexit ibique sermonem Syriacum didicit; mox Graecae linguae amore ductus Edessam petiit, ubi Thomae viro Iacobitae eius linguae perito operam dedit, ipse Syriace exponens, quae Thomas Graece legebat. Ad hunc modum coniunctis studiis Mar Theodori libros collegerunt. Ambo deinde Constantinopolim profecti, quum iis imponeretur, ut Diodorum, Theodorum et Nestorium anathematizarent, fuga sibi consuluerunt. Ille interpretatus est totum Testamentum Vetus ex Graeco Syriace. Marabas Nisibi postea litteras docere coepit, Nisibenis id enixe exposcentibus. Idem demum Nestorianorum episcopus electus est [2]). Docet omnino Nestorianorum historia, plerumque episcopos et patriarchas electos esse tales, qui in monasteriis fuerant; vigebat autem in monasteriis summum litterarum studium. Confugerant etiam Graecorum Latinorumque multi in Orientem, qui a partibus Nestorianorum stabant, atque quo magis in doctrina et disciplina a norma orthodoxorum defecerunt Nestoriani, eo maiorem operam posuerunt in artium liberalium humanarumque rerum cura et exercitatione. Erant illi in vita plerumque contentiosi, ambitiosi, avari [3]); in verbis devotionem simulantes et humilitatem, agendo denegabant virtutem Christianam; doctrina adulterata, hierarchia fundata et promota, non minus atque Romano-Catholici dogmata omnia et praecepta corruperunt et depravarunt, quae ab Apostolis acceperant pura et salutifera; id solum est in iis laudandum, quod Biblia semper

---

1) Assem. ex Bar-Hebr. III, 2. pag. 93.

2) Idem scholam aperuit in Modaina, teste Amro.

3) Syri a scriptoribus et veteribus et recentioribus dicuntur esse natura cupidi et avari, praeter modum rerum appetentes, gens inquieta avidaque rerum novarum.

tractarunt litterasque magni aestimarunt, ita ut barbararum gentium magistri facti in maxima rerum vicissitudine tamen nunquam scholarum traditionem prorsus derelinquerent.

Erant autem Nestoriani per totum Persarum regnum dispersi, eorum doctrina fere sola obtinente in Perside et Babylonia; in Adiabene et Mesopotamia mixti erant cum Iacobitis. Quantus fuerit illo tempore Christianorum numerus, videre licet ex catalogo ecclesiarum, quae Nestorianorum patriarchae eiusque metropolitis subiectae erant (Assem. tom. III, 2. pag. 705 sq.), neque a vero aberrare mihi videor, si dimidium incolarum eius regionis fuisse Christianos statuerim [1]). Maxime favit Nestorianis Cosroes II. Abruizus, qui ecclesiam ipsam Edessenam orthodoxis ereptam Nestorianis tradidit. Dudum quidem Edessa gloriata erat elogio illo, quod ex ore Christi promanasse putabatur, fore nunquam, ut hostibus traderetur [2]); optime munita graves et diutinas Persarum oppugnationes superaverat [3]). Impenderant etiam Imperatores Byzantini multam operam, ut regni fines contra Persas defenderent; Amida, Edessa, Martyropolis [4]), Dara fossis moenibusque tanta arte cinctae erant, ut vix superabiles essent; arx tamen nulla, nullum oppidum restitit Persis, qui universam denique Mesopotamiam et Armeniam subegerunt. Ita Edessa quoque, quae post exterminatos sub Cyro episcopo Nestorianos semper Graecis et Iacobitis foederata fuerat, a Persis occupata et Nestorianis tradita est; sed non multum temporis hunc locum Nestoriani possidebant.

Anno 640 imperio Persarum ad Arabes devoluto Nestoriani non minore Chalipharum gratia et favore condonati et usi sunt quam Sassanidarum antea. Nil moror quidem traditiones Nestorianorum, Mahometum pacto foedere cum Iesuiabo Nestorianorum patriarcha favisse et multa concessisse Nestorianis, quia ipse olim magistro Nestoriano usus sit; constat tamen, Nestorianos a

1) Degunt hodie in regno Persico 10,000000 hominum.

2) Procopius de bell. Pers. II, 12. Evagrius IV, 27. Tillemont, Mém. tom. I. p. 362. 383. 617. Iosue Stylites „solvi nequit verbum Christi, quem illi (Edesseni) adorant, de ipsa dicentis: non dominabitur ei inimicus in aeternum.“

3) Cf. Assemani B. O. III p. 407. 411. Tom. IV (proprie III, 2) p. 93.

4) Ritter, Erdk. vol. XI. pag. 72.

Chaliphis adhibitos esse ad regimen provinciarum et urbium, praesertim in Adiabene et Mesopotamia, ubi plurimi habitabant. Scribarum quoque et medicorum munus semper fere demandatum erat Nestorianis, unde medicorum et scribarum in ipsa ecclesia tanta evasit auctoritas, ut neque patriarcharum electiones neque ecclesiastica negotia illis non accitis conficerentur. Ea de causa sedem Bagdadum transtulerunt patriarchae Nestorianorum, ut Chalipharum medici et aulici, tantaque aemulatione dignitati et dominationi suae consuluerunt, ut Melchitis et Iacobitis vetaretur ecclesias ibi exstruere [1]). Etenim quum Graeci plurimi Bagdadi morarentur sibique a patriarcha Antiocheno metropolitam exposcerent, Nestorianorum Catholicus a Chaliphis impetravit, ut Graecorum metropolitae non liceret Bagdadi permanere; quare etiam Iacobitarum Maphriani Tagriti considere coacti sunt.

Saracenico imperio a. 1258 a Tartaris occupato primum quidem pace fruebantur Christiani, postea maxima crudelitate caesi, turbati, comminuti sunt. Sub Kazano, filio Argoni, qui 1295—1303 regnavit, persecutio in Adiabene concitata est, in qua ecclesiae omnes Taurisii et Arbelae destructae et monasteria direpta sunt, quum in Mosulana regione Christiani ingenti pecuniae summa soluta pacem adipiscerentur [2]). Illo tempore Iaballaha Nestorianorum patriarcha epistola ad Benedictum IX. data fidem catholicam professus est. Maior iterum strages atque calamitas Persidi, Chaldaeae et Mesopotamiae illata est a Timuro, Tartarorum rege maximo. Ille Bagdadum et Tagritum vi cepit diripuitque (1394), deinde Arbelam, Mosulam, Geziram, alias urbes primum quidem oblatis muneribus pacifice obtinuit, postea

---

1) Ipsi episcopi haud raro eorumque filii facti sunt duces, urbium et provinciarum praefecti, vectigalium exactores, medici, scribae. Cf. Assem. B. O. III. pag. 96. 216. 482. Bagdadi academia condita est, in qua ducibus Syris Arabes litteras excolere coeperunt. Ut antea Seleucia, ita nunc Bagdadum a Syris nonnumquam Babylon dicta.

2) Quanta strages fuerit inter Christianos tempore Bar-Hebraei, conspicere licet ex eius vita ab Assemano Tom. III. edita. In Cod. M. S. Vaticano CCCLXXXVI. (Maii tom. V.) exstat continuatio chronographiae Gregorii Bar-Hebraei ab a. 1393 usque ad a. 1492, ubi de Tartarorum in Mesopotamiam incursione sub Tamerlane, de vastitate, quae facta est per eundem in Turabdin, deque reliquis Tartarorum, Turcarum et Curdorum rebus gestis in Assyria, Mesopotamia et Cilicia agitur.

simili crudelitate tractavit; Edessam quoque, Rhesainam et Amidam, quum in Palaestinam arma intulisset, vastavit. Neque melior fuit Christianorum status sub Turcomanis. Causa fuit haec maxime calamitas, ut propensiores facti sint Nestoriani ad amicitiam Papae sibi conciliandam. Praedicatores e fratribus minoribus a Nestorianis recepti sunt; anno 1551 Sulaka, patriarcha electus Romam ad Iulium III. missus est, a quo ordinationem acciperet. Cui in Mesopotamiam reversuro Ambrosius Theseus adiunctus est, idem ille, qui primus inter Occidentales litteris Syriacis operam dederat. Nestorianorum metropolita in Cypro insula iam a. 1445 fidem catholicam amplexus erat, quum praecedente anno Syrorum Iacobitarum patriarcha Ignatius legatos Romam misisset.

Haec Nestorianorum fata fuere in Oriente. Regio, quae populosissima et amplissima fuerat, postquam incursiones Persarum, Hunnorum, Scytharum, Alanorum, Arabum, Curdorum, Tartarorum, Turcarum experta est tulitque vastationes et calamitates tantas, quales vix ullus terrarum tractus, — reliquias tantum linguae, eruditionis religionisque antiquae ad hodiernum diem servavit. In urbe Mosula Syriaca scripta antiqua a viris litteratis et clericis si minus intelliguntur, leguntur tamen; codices manuscripti satis multi etiam nunc reperiuntur, unus Richius octingentos Syriacos et Arabicos Mss. collegit; agunt adhuc vitam pauperem et inopem in montibus et vallibus Adiabenes et Mediae Iacobitae, Nestoriani et Chaldaei, i. e. Nestoriani illi qui ad Romanae ecclesiae communionem accesserunt [1]); in ore vulgi etiamnunc Syriaca lingua viget, quamvis corrupta maxime

---

1) Cf. Niebuhrii itinera Tom. II. p. 283., de Nestorianis in Mesopotamia. Ritter, Erdk. vol. X. pag. 680. sq. Grant, the Nestorians etc. Ainsworth, Account of a Visit to the Chaldeens etc. (Journal of the Geogr. Soc. of London vol. XI. p. 21—76.). Idem Travels and Researches vol. II. p. 179 sq. Librum Evangeliorum osculis venerantur. In cultu sacro lingua Syriaca antiqua adhibetur, fit tamen translatio in linguam vulgarem. Scribunt quoque epistolas clerici in lingua Syriaca, scriptura non multum diversa ab Estrangelo. Diem dominicam sanctissimam habent, antea sabbatum quoque celebrarunt. Apud patriarcham reperit Grantius Biblia universa, sex voluminibus comprehensa; ceteri singulos tantum libros possident, Evangelia, Epistolas, Psalmos, Pentateuchum vel Prophetas. Grantio a Patriarcha liber Evangeliorum antiquus litteris Estrangelo scriptus dono datus.

et degenerata atque Urmiae a fidei praedicatoribus Testamentum Novum Syriacum typis excusum est. Sed avaritia, ignorantia et simulata humilitas omnes fere premit et obtinet, qui illa in regione Christianorum nomen gerunt.

Vidimus supra in historia Nestorianismi, scholam Edessenam atque cum ea studia litterasque Syriacas Nisibin transmigrasse, ex quo tempore apud Nestorianos s. Syros orientales lingua Syriaca in schola Nisibena maxime colebatur. Remanserant tamen Edessae viri aliquot docti et studiosi; sed qui Nestorio restiterant, tradiderunt se erroribus Eutychis, quos primus Barsumas Archimandrita in Oriente disseminavit [1]). Variae exinde Monophysitismi formae exortae sunt in Syriae, Asiae et Aegypti finibus; factionum et rixarum nec modus erat nec finis. Altercationes, dissidia, bella, deturbationes totam Syriam depopulari, artes, disciplinam litterasque, quippe quae pace et otio indigeant, exterminare et obruere minabantur. Ubi post Zenonem et Anastasium, Imperatores Monophysitis propensos, Iustinus episcopos omnes concilium Chalcedonense comprobare detrectantes sedibus deturbavit, factum est maxime opera Iacobi Baradaei Edesseni, ut Monophysitae in Syria ab ecclesia Graeca prorsus avulsi suos sibi patriarchas constituere animum inducerent. Ab eodem Monophysitas Iacobitarum nomen traxisse verisimile est. Stabant autem episcopi plurimi non solum Syriae et Palaestinae sed etiam Mesopotamiae a partibus Monophysitarum, inter quos episcopi Amidae, Edessae, Haran, Rhesainae, Circesii, Darae recensentur [2]). Ita factum est, ut quum Orientales Nestorianismo faverent, pars Asiae occidentalis eaque maxima proprium Iacobitarum coetum constitueret. Erant enim Syri Iacobitae societate tum Armeniis coniuncti tum Aegyptiis. Arme-

---

1) Les extrèmes se touchent. Ebionitae et Patripassiani antiquitus in Syria. Cf. duodecim Testamenta et Evang. sec. Aegyptios. Redepenning, Origenes I. pag. 96. Concilio quod Chalcedone contra Chrysostomum convocaverat Theophilus Alexandrinus, episcopos Syros adfuisse Chrysostomus queritur in ep. ad Innocentium. Scripta Cyrilli, Theophili et postea Severi, Iuliani, aliorum Syriace vertebantur Edessae.

2) Cf. Assem. tom. II., dissert. de Monophysitis §. 2. In Syria Monophysitis adhaeserunt episcopi Apameae, Laodiceae, Aleppi, Damasci, Palmyrae, Cyri, Mopsuestiae, Epiphaniae, Sebastes, quibus accesserunt alii ex Caria et Asia.

niorum cum Iacobitis unione scissa postmodum, perduravit tamen Syrorum cum Aegyptiis fraternitas atque foedus, quamlibet variis temporibus inter utrosque vel de dogmatis vel de ritibus quibusdam et de patriarcharum iure finibusque dimicatum est. Erat enim universa terra Iacobitica duobus patriarchis subiecta, Antiocheno et Aegyptio. Antiochenus in Oriente Maphrianum s. Primatem ordinavit, Aegyptius metropolitam Aethiopibus dedit. Insignis fuit primum in Syria Iacobitarum coetus plebis frequentia magna virisque magnis et doctissimis abundavit. Palaestina eo tempore erat ferme populosissima regni Byzantini provincia, ecclesiis ubique ornata, monasteriis adeo usque referta, ut gens illa esse coelibum videretur [1]). Gravissimis autem persecutionibus et cladibus innumeris Syri Iacobitae mirum in modum correpti, diminuti ac paene exstincti sunt. Iustiniano frustra id quinque collationibus aggresso, ut eos in catholicae ecclesiae gremium reduceret, mox decretis poenisque adversus haereticos in utraque lege latis saevitum est in Iacobitas, ita ut in servitute libertatem sibi nacti viderentur, Aegypto primum, deinde Syria a Mahometanis occupata. Magna tamen strages, priore tempore a Cosroe, postea a Chaliphis maxime inter monachos edita. Vexati sunt in dies et omni modo lacessiti Iacobitae a Mahometanis principibus et ab Imperatoribus Graecorum [2]). Episcoporum nonnulli in carceres coniecti; alii ex sedibus depulsi, omnes denique Christiani intolerandis exactionibus saepenumero afflicti. Mitiores experti sunt Francos in Mesopotamia, Palaestina et Cypro. Sed aliae iterum alias exceperunt plagas, quare quis tandem miretur, nationem ad nihilum fere reductam, quae olim maxima fuit [3]). Tempore Gregorii XIII. saec. XVII. ita describitur Iacobitarum status a nuncio et visitatore Romano: „Natio Iacobitica dispersa est per civitates, terras et oppida Syriae, Meso-

---

1) Cf. Itinerarium Antonini martyris in Ugolini antiqq. tom. VII.

2) Cf. Excerptum Chronici Bar-Hebraei de Hakimo Chalipha in Chrestomathia Roedigeriana pag. 27.

3) Lingua Syriaca in Syria evanescere coepit. Iacobitarum patriarcha Antiochenus Ignatius et Alexandrinus Cyrillus inter se rixati sunt (circa a. 1200) ea de causa quod Aegyptius episcopum ordinaverat Hierosolymitanum. Multi enim iuris periti Aegyptii illo tempore Hierosolymis commorantes de Syris episcopis conquesti erant, quod ab ipsis propter differentiam sermonis non recte pasci possent.

potamiae et Babyloniae mixta aliis nationibus, numerum quinquaginta milium domuum obtinens, cuius praecipua pars paupercula est quotidianoque labore victum quaeritat. Ecclesia patriarchalis est extra civitatem Marden in monasterio Zafran. Sub patriarchae obedientia vivunt Metropolita Hierosolymitanus et episcopi Amidensis, Mosulanus, Edessenus, Damascenus alii." Non multum differt status hodiernus. Qui in urbe Marde residet patriarcha Iacobitarum, est proprie patriarcha Antiochenus. Etenim ubi vetitum est tempore Graecorum Iacobitis tanquam haereticis Antiochiam ingredi, patriarchae per diuturnum tempus in monasteriis latuerant. Initio quidem imperii Saracenorum conati sunt Antiochiam reverti, sed ab illis quoque eiecti, quum nusquam fere locorum securitate gauderent, primum Amidam [1], deinde Marden sedem patriarchalem transtulerunt, in cuius vicinia coenobium Zapharense obtinent non minus illud munitum, quam mirifice ductis aquis hortisque exornatum [2]. Sedes Maphriani est in coenobio S. Matthaei prope Niniven. Maphrianus i. e. foecunditatem tribuens, quasi pater patrum et episcopus episcoporum a Iacobo Baradaeo primus creatus erat Achudemes. Est autem Maphrianus sive Primas Orientis Iacobitarum genti loco archiepiscopi Seleucensis constitutus, qui aevo primo a patriarcha Antiocheno ordinabatur. Certam sedem primus fixit Maruthas in urbe Tagrito [3]) anno Chr. 629, qui Saracenis arce Tagritensi ultro tradita pacem et libertatem ab illis nactus est, ita ut Iacobitarum numerus in Perside magnopere augeretur atque

---

1) Amida nunc Caramit dicta i. e. nigra Amida, quia arcem amplam habet murosque ex nigris lapidibus, in quos ut Abulfeda scribit nec ferrum valet nec ignis.

2) Cf. Ritter, Erdkunde Th. XI. p. 383. Marde arx est munitissima, quae omnino capi nequeat. Cf. de Iacobitis, quorum quinquaginta quinque milia in illa regione habitare dicuntur, St. Southgate, Narrative II. p. 275. In monasterio Deir ez Zafaran, non multum a Marde distante, bibliotheca servatur clarissima, libros continens duodecim linguarum. Ainsworth Trav. and Res. II. p. 115. Buckingham Trav. I, 280—85.

3) Summus Assemanus a Renaudotio in errorem primum abductus est (B. O. I p. 174.), ut Tagritum eandem urbem haberet quam Martyropolin, regionis Sophensis metropolin, 240 stadiis distantem ab Amida Boream versus. Ritter XI. p. 72. Est potius urbs ad Tigrim sita non procul a Mosula. Cf. Ritter X. p. 222.

episcopis multis temporis successu a Maphriano constitutis, Iacobitae in provinciis etiam Transtigritanis locum ubique medios inter Nestorianos susciperent. Quanto in dies magis patriarchae dignitas et iurisdictio diminuta, eo aucta est et amplificata auctoritas Maphriani, ita ut Bar-Hebraeus, qui ipse hac dignitate clarus erat, dioecesim suam patriarchali facile praeferret. Tagriti ecclesias exstruxerant Iacobitae magnificas ad annum usque 1089, ex quo tempore neque hac in urbe habitandi securitas relicta est. Post fugas multas et errores Ignatius Lazarus Maphrianus a. 1152 sedem fixit in supra dicto coenobio S. Matthaei, quod ad hunc usque diem aliquam famam iactat et antiquae celebritatis umbraculam [1]). Mogulorum copiis in Assyriam invadentibus (a. 1262) plurimi Iacobitae ex urbibus Mosula, Ninive et adiacentibus locis Arbelam se receperant, quare nunc quoque in illius regionis montibus vallibusque fere inaccessis gens Iacobitarum permanet. Quemadmodum fieri solet, ut inter calamitates et persecutiones sedentur turbae atque sileant inimicitiae, ita Iacobitae cum Nestorianis aliqua fraternitate iuncti sunt in Assyria et Mesopotamia, ut videre licet ex vita Gregorii Bar-Hebraei, qui ipse rhetoricae et medicinae Tripoli apud Iacobum rhetorem, virum Nestorianum, operam navaverat. Accesserunt etiam Iacobitae pluries ad communionem cum ecclesia Romana, sed simulate et propter exspectatam pecuniam vel auxilium, foedifragi, inconstantes, ambitiosi.

Ad Iacobitas proxime accedunt Maronitae in monte Libano, Monotheletismo dediti, qui saec. VII. in regione monasterii S. Maronis ad Orontem fluvium congregati, proprium sibi patriarcham, Antiochenum dictum, creaverunt. In Ecclesiae Romanae societatem illi recepti sunt.

Cap. III.

Codices Evangeliorum antiquissimi ex Oriente allati.

Quot fuerint ab initio scholae et monasteria apud Syros,

---

1) De coenobio S. Matthaei cf. Assem. II. p. 408. Asservabantur ibi canones antiquissimo charactere scripti.

supra memoratum est. Omnes fere quotquot in Europa habentur codices, a monachis scripti et ex monasteriis allati sunt. Obtinuit consuetudo, ut clericorum fere unusquisque maxime Psalmos et Evangelia sua manu describeret. Exstant in bibliothecis libri sequioris temporis ab ipsis episcopis et patriarchis exarati. Auctoris nomen vulgo codici subscriptum est, addito anno, mense, die, nonnunquam ipsa hora, qua liber confectus sit. Erat quidem aliquoties turbata et collapsa disciplina in Nestorianorum scholis et monasteriis; sed tum exstiterunt, qui eam aliquo modo restituerent. Monasterium primum in Oriente fundatum erat ab Eugenio in monte Izlensi apud Nisibin, mox exstructa sunt alia multa maxime in urbe Beth-Zabde eiusque provincia, Zabdikene dicta, quorum postea alia Iacobitis alia Nestorianis cesserunt [1]. In Assyria inclytum erat monasterium S. Matthaei (Iacobitarum), quod et Chuchtae dicitur, et S. Ionae (Nestorianorum). In regione Margensi tredecim monasteria sunt condita. Neque in Babylonia defuerunt coenobia, alia ad Euphratem, ad Tigrim alia sita; in Carduis montibus monasterium arcae celeberrimum fuit. Sed lato diffusus monachatus saeculo quarto et ubique celebratus in Oriente, in turpitudinem abire videbatur saeculo quinto, quum Barsumas Nisibenus, Nestorianorum ille princeps, sacerdotibus monachisque, qui continere se nequirent, potestatem nubendi faceret. At vero in fide moribusque omnia sibi concedentes et divinam Christi gloriam detrahentes, Nestoriani mox acrius monasticae vitae severitatem restituerunt; nam in monachatu et coelibatu nititur illa religio, quae specie sanctitatis hominum conscientias devinctas tenet [2]. Abraham Cascarensis (circa a. 500) qui in Aegypto monasticam vitam induerat, ex Aegypto servitutem illius vitae in patriam retulit. In monte Izlensi prope Nisibin monasterium fundavit, post Eugenium alter monachorum pater celebratus. Inde plurimi egressi, qui ubique in Assyria, Babylonia, Mesopotamia monasteria renovarunt et exstruxerunt

1) Coenobium S. Ioannis in Camula in Zabdikene (Nestorianorum) anno Arabum 449 quadringentos monachos habuit, teste Gregorio Bar-Hebraeo in Chronico.

2) Ornarunt se monachi his titulis: ܐܒ̈ܗܐ — ܚܒܘ̈ܫܐ — ܝܚܝܕܝ̈ܐ — ܐܒܝ̈ܠܐ.

et severam vitae disciplinam restaurarunt. Monasterium Iacobi in Beth-Abe plus trecentos monachos habuit. Eodem tempore Mar-Abas Nestorianorum patriarcha factus (536—552) vetuit ne episcopus fieret qui uxorem duxisset. Clerici in monasteriis erudiebantur in ritu ecclesiastico et litteris sacris. Erant etiam monachi, qui proprie et ex officio litteris vacarent. Sic Iesuiabus Arzunita in synodo a. Chr. 588 habita can. 8. de monachis statuit, ut si quis litteris vacare voluerit aut studiorum causa iter susceperit, litteras ille episcopi secum deferat artemque aliquam (medicinam, arithmeticam etc.) exerceat. Saeculo nono queritur Nestorianorum patriarcha [1]), quod quum monasteria visitasset, collapsam reperisset disciplinam neque fere ullum vidisset monachum eruditum et litteratum; sed neque illo tempore antiqua eruditio prorsus in monasteriis exstincta est et quotiescunque ad canones regulasque veterum disciplina revocata est, maxime Bibliorum studia commendata sunt.

Quae studiorum litterarumque ratio viguit apud Nestorianos, eadem Iacobitarum fuit. Christiani in Perside fere omnes erant Nestoriani, quorum patriarcha primum, ut supra diximus, Seleuciae, deinde Bagdadi sedens totum Orientem sibi subiectum tenuit. Erant etiam Nestoriani plurimi in Armenia, aeque multi in Syria, ubi nunc unam tantum ecclesiam habent Hierosolymis; in Cypro quoque Nestoriani consederunt. In Mesopotamia et Adiabene mixti erant cum Iacobitis, qui ecclesias et monasteria plurima Edessae et in regione Euphratis habuerunt, in Syria citeriori numero et dignitate Nestorianos multum superabant. Solent et Nestoriani et Iacobitae tempora consignare secundum patriarchas suos, ut passim videre licet etiam in epigraphis codicum [2]). Quo tempore

1) Sabariesus († 836) scribit: „Omnia in Aramaeorum terris castella pagosque doctis clericis indigere perspexi, adeo ut in schola quoque Mar Theodori et in altera Mar Maris atque in ista Mabuzae praeter aliquot senes, qui ex tanta doctorum hominum copia pauci remanserunt, ex iunioribus nullum litteratum reperire contigerit."

2) Catalogi Patriarcharum apud Assemanum reperiuntur. Habent Monophysitae etiam Maphrianorum suorum in Oriente collocatorum catalogum, quem incipit Bar-Hebraeus, ipse suo tempore Iacobitarum Maphrianus, ab Achudeme, quem Iacobus Baradai metropolitam praefecerit (vid. supra). Ios. Aloys. Assemanus Marutham primum Iacobitarum Maphrianum statuere vult, qui in urbe Tagrito sedem primatialem fixit.

Nestoriani ex ecclesia exterminati sunt, haeresin et communionem propriam formantes, versio Bibliorum Simplex iam ubique in Syria orientali et occidentali divulgata erat; haec igitur versio communis est Nestorianis cum iis non solum, quos catholicos et orthodoxos appellat Assemanus quorumque vitas et scripta primo Bibliothecae tomo recenset, sed etiam cum Iacobitis, qui saeculo sexto Monophysitarum dogma ab ecclesia reprobatum sua in haeresi fixerunt. Quare codices versionis Simplicis quotquot exstant saeculi quinti, sexti, septimi nullam neque scripturae neque textus diversitatem produnt, sive catholicorum sive Iacobitarum aut Nestorianorum fuerunt. Atque de hac quidem textus forma, qualis in vetustissimis Mesopotamiae codicibus appareat, primum dicendum est.

Antiquissimi codices Syriaci, accuratius a viris doctis descripti, asservantur in bibliotheca Vaticana, quo maximam partem allati sunt ex monasterio Nitriae, quare vulgo Nitrienses nominantur. Assemanus in Bibliothecae tomo primo fata illorum codicum describit, quomodo et quo tempore ex desertis Aegypti et Libyae in Europam allati sint, pars prima ab Andrea Scandar pars altera ab Assemano ipso. Romam quum primum advecti essent codices illi Nitrienses Nili aquis aliquo modo consumpti (navi qua vehebantur submersa) omnes primum litterarum periti, qui Romae degebant, hos codices nullius omnino pretii esse iudicaverunt, lingua barbara et eiusmodi characteribus scriptos, quos nemo mortalium legere posset. Sed nacti sunt Assemanos interpretes. Erant olim illi codices in monasterium Scetense traducti ex Mesopotamia per Mosen Nisibenum (aliis Tacritensem), ut ipse testatur initio codicis Nitriensis, qui Ephraemi opera continet (Assem. B. O. I. pag. 83.). Advexisse se dicit Moses ducentos et quinquaginta codices [1]), quum Bagdadum esset profectus, anno Graecorum 1243 (Chr. 932). Illo enim tempore iam evanescere coepit doctrina in Mesopotamia et Assyria, quare facile Moses noster codices illos emisse et comparasse vi-

1) Cf. Allg. Literat.-Z. 1846. Nr. 203 sq. Omnino in multis Aegypti et Mesopotamiae monasteriis eruditio plurimi habita est et cura impensa in colligenda bibliotheca. Aegidius Lochiensis Capuzinus in monasterio aliquo deserti Scetensis librorum manuscriptorum se vidisse dicit plus octo milia, quorum nonnulli ex tempore S. Antonii fuerint.

detur. Collegit autem maximam quasi et fere plenam librorum sacrorum et Patrum antiquorum Bibliothecam, sicuti nunc apparet ex libris Mss. in Museum Brittanicum translatis [1]). Quum enim Assemano aliisque vix magna opera et sumptibus non exiguis contigisset, ut paucos inde codices nanciscerentur, nostra iam aetate ex monasterio illo Syrorum, quod vulgo monasterium S. Mariae Deiparae in eremo Scetensi dicitur, thesaurus librorum vetustissimorum universus in manus Anglorum pervenit. Vetuit enim lex rigidissima, ne monachi libros Bibliothecae suae venderent, ut scribitur in cod. Nitr. 2 fol. 5. „Qui dominicum hoc praeceptum violaverit, anathematizatus esto et a Deo universaque sancta ecclesia eiectus.“ Sed vicerunt tandem monachorum stultitiam et superstitionem Angli dona ferentes. Ita igitur factum est, ut Codices saec. V. VI. et VII. quamplurimi, in eremo Scetensi per saecula multa reconditi, in nostra usque tempora reservarentur. Fuerat omnino multum semper commercium inter monasteria Libyae et Mesopotamiae [2]) et in ipsa urbe Alexandria Syriaca lingua nonnullis in ecclesiis adhibebatur. Sunt autem inter codices illos duo antiquissimi, qui quattuor Evangelia continent. Haec enim antiquitatis consuetudo fuit, ut Evangelia plerumque seorsim scriberentur.

I. Qui ab Assemano in bibliotheca orientali (tom. I. pag. 561.) codex Nitriensis primus dictus est, descriptus a St. Ev. Assemano in Bibl. Vat. catalogo P. I. T. II. pag. 27. sqq. et ab Adlero (N. T. verss. Syr. Hafniae 1789 pag. 3. sq.), exaratus est ille anno 548 Edessae a fratre Mar Eusebio Aramaeo (Adamaeo apud Assemanum) in usum coenobii S. Thomae (Assem. I. pag. 399.). Idem delatus postea in castrum quoddam (forte Uremam ad Euphratem situm) quod Iacobitarum patriarchae Antiocheno subiectum fuit, ibique bis [3]) assutus et compactus (a. 718 et 728), venit tandem (a. 1081) in coenobium S. Ma-

1) Vide: The festal Letters of Athanasius, edited by W. Cureton. Lond. 1848. Preface p. XXIV.

2) Isaac Ninivita, in coenobio S. Matthaei apud Niniven primum monachus, mox Ninivitarum episcopus, abdicata demum dignitate in Scetense eremum secessit.

3) Primum Codex compactus est, quum Patriarcha monasterium visitaret. Saepius legitur, episcopos curam gessisse, ut Codices transscriberentur, emendarentur, restaurarentur.

riae Syrorum in deserto Scetensi (Bibl. Or. I. pag. 41. 305.), unde Romam adductus est. Litterae sunt Syriacae antiquae, vulgo Estrangelo dictae, quod rectius hoc tempore plerique non cum Assemano repetunt a voce Graeca *στρόγγυλος*, sed ex سطر et انجيل compositum habent [1]). Duae sunt columnae in singulis paginis, membrana fortis. Quodlibet Evangelium in pericopas parvas dividitur, quarum Matthaeus habet 426, Marcus 290, Lucas 432, Ioannes 271: singulae nova linea incipiunt [2]). In hypographis secundum communem Syrorum traditionem refertur, Matthaei Evangelium Hebraice scriptum esse in Palaestina, Marci Latine Romae, Lucae Graece Alexandriae, Ioannis eadem in lingua Ephesi. Scripturae specimen Adleri tab. I. exhibet.

II. Prorsus similis est codex Nitriensis II. (Syriacus Vaticanus XIII.), qui a. 736 in Urema castro [3]) ad Euphratem scriptus, a Georgio episcopo visus et emendatus, postea ad Abrahamum Hadathae in Mesopotamia episcopum pertinuit, denique a Lazaro Presbytero a. 1221 compactus et monasterio Scetensi donatus est [4]).

III. In bibliotheca Medicea asservatur tertius Evangeliorum

---

1) Etenim sicut Iudaei proprio scribendi genere utuntur in Bibliis, eodem modo Syri accuratissime litteris antiquis et maioribus Evangelia exarabant. Epigraphe cod. Nitr. I. anni 548 scripta iam est litteris minusculis teste Adlero.

2) Cf. Adler, Uebers. seiner krit. Reise pag. 92.

3) Urema inter Samosatam et Zeugma cf. Cellarius Orb. antiq. pag. 342.

4) Hadatha, urbs ad Tigrim sita, ubi Zaba maior affluit (Assem. IV. pag. 772.), episcopos habuit et Iacobitarum et Nestorianorum. — Verba prologi ab Assemano tom. II. pag. 235. transscripta sunt hunc in modum: „Possedit hunc sacrum codicem quattuor Evangeliorum Lazarus monachus ac presbyter ex regione Tur-Abdin de pago, quem Beth-Manaem appellant et instauratum compactumque auro etiam et argento oblivit exornavitque, (ܘܚܕܬܗ ܘܪܩܥܗ ܡܢ ܒܠܒܘܫܗ ܘܚܦܝܗ ܘܨܒܬܗ ܒܕܗܒܐ ܘܣܐܡܐ) et loculum ipsi fecit, in quo reponeretur, et dono ipsum dedit sanctae ecclesiae coenobii Deiparae, quod in sacro Scetensi deserto situm est et monasterium Syrorum appellatur, pro anima sua et in piam memoriam etc. Per tremendum autem Dei verbum definivit pater noster Mar Ioannes Damasci, nemini per Deum fas esse, ipsum ex praedicto monasterio quoquo modo extrahere (a. Chr. 1211.).“

codex, secundum epigraphen manu calligraphi Rabulae a. 586 scriptus. Dubitat tamen Adlerus, num haec epigraphe genuina sit. Fuit codex coenobii S. Ioannis [1]) in Beth-Zagba, Mesopotamiae urbe. Transiit ad coenobium S. Mariae Maiphucense, deinde ad coenobium S. Mariae Canubinense [2]), e quo a. 1497 ad bibliothecam Mediceam translatus est. Praemittuntur Eusebii epistola ad Carpianum et canones. In eadem bibliotheca alter Evangeliorum codex exstat incertae aetatis, sed ante saeculum nonum scriptus.

IV. Codex Syriacus Guelpherbytanus a Brunsio descriptus (annales litterariae 1782. Iulius), in monasterio Beth-Hale [3]), sedente Antiochiae patriarcha Ioanne, anno 634 exaratus est [4]).

---

1) Coenobium hoc fuit Iacobitarum. Cf. de hoc cod. Bibl. Mediceae catalogum, scriptum a St. Evod. Assemano, ed. ab Antonio M. Bisconio. Cod. I. (58) bibl. Palatinae. Nescio, num iure de huius codicis antiquitate et epigraphes authentia dubitaverit Adlerus. Codex monasterio Ioannis in ܒܝܬ ܙܓܒܐ dono datus erat, pereximia arte scriptus. Insunt etiam picturae variis coloribus et auro expressae in tabulis XXVI, quae historiam V. et N. T. exhibent et imagines quattuor Evangelistarum praeter Prophetas et Reges. Cf. Blanchini, Evangeliarium quadruplex vol. II. pag. DLXXXIV, ubi additum specimen scripturae. Ibidem cod. Florent. describitur secundus, scriptus a Theodoro ante saeculum Chr. IX., peculium coenobii S. Mariae de Kanuubin et cod. III. scriptus a. 757. Cf. catalogum supra laudatum pag. 25. 29. — Recte quidem monet I. D. Michaelis, ex epigraphe minime semper veram codicis aetatem cognosci, quia in usu Syrorum fuerit, ut codicis antiqui descriptor epigraphen eiusdem adderet, id quod videre licet in codd. vers. Charklensis. Cf. Cod. CCLXVIII in Maii coll. nov. Tom. V. Sed aliter res se habet in codicibus, de quibus nunc agitur.

2) Eiusdem coenobii fuit cod. Vatic. CCLVIII. (Assem. 16.), V. T. versionis Syrorum vulgatae continens. Cf. Maii nova coll. Tom. V. Canubin (κοινόβιον) nunc sedes est Maronitarum Patriarchae. De Maipheracta s. Maiphercin v. Assem. II proll.

3) Cf. Assem. tom. III. pag. 160.

4) Huius codicis hanc habes descriptionem (Merkwürdigkeiten der Wolfenbüttler Bibliothek): „Evangeliarium Syriacum vetus, in der Estrangelo-Schrift auf 280 Bl. fol. 1′ 3″ hoch und 1′ breit, jede Seite in zwei Spalten geschrieben. Auf der Vorderseite des fünften Blattes ist ein grosses griechisches Kreuz in Gestalt einer Monstranz, in dessen Mitte das Bild des Heilandes, die Rechte auf das im linken Arme ruhende Evangelium legend. Die Inschrift, welche die vier Schenkel des Kreuzes erfüllt,

V. Parisiis quoque codex Evangeliorum Syriacus antiquus exstat, olim peculium bibliothecae monasterii S. Germani. Scriptus est saeculo VIII. fuitque primum coenobii S. Ananiae in monte Maredinensi [1]).

VI. Eiusdem fere aetatis habetur codex Altdorfinus nunc Erlangensis. Dubitatur tamen de huius codicis antiquitate. Fuit hic codex is ipse, de quo Io. Ern. Gerhardus dissertationibus pluribus egit, quarum partem recusam habes in Thesauri theologici-philologici Amstelod. vol. II. p. 43 sq. Codex est Evangeliorum, quem Cons. D. Fetzerus Damasci a Patre Michaele Damascino Maronita emtum bibliothecae Altdorfinae legavit. Scripta sunt quattuor Evangelia foliis 186 litteris Estrangelo, in charta antiqua. Sed posteriori manu, in papyro turcica suppleta sunt folia 20 ultima. Epigraphe, a viris aliis aliter translata, monet solummodo, quo tempore folia postrema addita sint, scilicet anno Chr. 1246 in loco Pharech. Fuit tum liber proprius Rabban Pauli monachi Turabdinensis ex pago Cafarsalta. Dignus est Codex, qui accuratius examinetur. Nam videtur vocalibus animatus; lectiones quoque insignes exhibere dicitur et lacunas aliquot Simplicis supplevisse. Iacobitarum coetui, ni fallor, addicendus est [2]).

Etiam bibliotheca Heidelbergensis Romam postea translata possedisse dicitur codicem N. T. antiquissimum teste Rutgero Spey Bopardino; fuit fortasse ille, quo usus est Tremellius sua in editione, ut infra videbimus. De eodem aliquoties Fr. Iunius loqui videtur (cf. animadv. in Bellarm. controv. p. 449.).

Codices supra dicti omnes sola Evangelia continent, quibus unus tantum accensetur ab Adlero, qui pericopas ex Actis et epi-

---

sagt, dass dies Evangelienbuch gefertigt sei im Jahre 945 (a. Chr. 634) am 24. des Conun im Kloster Beth-Hale bei Damascus zur Zeit des Patriarchen Iohann von Antiochia. — Herzog August erhielt die Handschrift i. J. 1666 als ein Geschenk der Dankbarkeit von seinem Bücher-Geschäftsträger Ath. Kircher in Rom."

1) B. Orient. II, 222.

2) Cf. Irmischer, diplom. Beschreibung d. Mss. d. Erlang. Bibl. Hottinger diss. de transl. Bibl. p. 575. Opitii Syriasmus p. 13. 14. Murr, memorab. bibl. publ. Norimb. vol. III p. 38—44 (ubi specimen additum est scripturae).

epistolis Paulinis selectas circulo anni in ecclesiis recitandas exhibet, et multo sequioris aetatis est (a. 1041) in monte nigro, in suburbio Antiochiae scriptus [1]).

Accedunt his codicibus alii quidam nostra aetate Londinum allati partim ex Nitria partim ex Mesopotamia, qui accuratius nondum descripti sunt.

VII. Codex quattuor Evangeliorum, qui antiquitate modo recensitos omnes superare dicitur, utpote saeculo quinto assignandus, cuius textum modo edendum curat Curetonus typis talibus, qui litteras codicis ipsius accuratissime repraesentent [2]).

VIII. Inter codices Richianos ex Mesopotamia allatos exstat M. S. Novi Testamenti Syriaci, quod esse dicitur anni 768 (cf. I. Rich, Syriac. Mscr. app. III. pag. 306. 745. sq.) [3]).

Addi possint codices alii minoris auctoritatis et aetatis dubiae. Ita inter codices Assemanianos, nunc Vaticanos recensentur (Maii nova collectio Tom. V.) cod. CCLXVI (Assem. 9.) Novum Testamentum saec. VII., cod. CCLXXIII. (Assem. 16.) quattuor Evangelia saec. VII., cod. CCLXVII. (Assem. 10.) N. T. saec. VIII. etc. Item catalogus bibliothecae regiae Parisiensis Tom. I. p. 54. multos exhibet codices versionis N. T. Syriacae (Cod. XII—XXXII), qui partim antiqui esse videntur. Codex XVIII. scriptura Estrangelo exaratus, omnes N. T. libros continet praeter Apocalypsin. Codex XXXII. membranaceus, olim Colbertinus, charactere antiquo scriptus, exhibet lectiones Evangeliorum et Epistolarum etc. etc.

Exstant igitur versionis nostrae codices satis multi admirandae vetustatis. Eadem fere omnium ratio est, quam esse diximus codicis I. Nitriensis. Forma plerumque est quarta, sed maioris moduli, membrana fortis, litterae nitidissimae, partim magna cura exaratae, formae antiquae Estrangelo dictae, cuius speci-

---

1) Cf. catal. bibl. reg. Paris. I. pag. 59.

2) Videsis Zeitschr. d. deutsch. Morgenl. Gesellsch. vol. III. pag. 361. ipsius Curetoni verba de codicis editione, et eodem in libro pag. 397. Bernsteinium eandem rem tradentem. Cf. Allgem. Liter. Ztg. 1846 Nr. 203. sq.: „Es finden sich darunter an 40 Manuscripte, Theile der Peschito des neuen Testaments enthaltend, mehrere aus dem 6., einige wie es scheint aus dem 5. Jahrhundert; darunter die Evangelien und die Briefe Iacobi, Petri, Ioannis, Iudae nach der Philoxenianischen Version."

3) Monasterium Rabban Hormuz non procul distans a Mosula habuit quingentos antiquos libros mss.

mina praebent Adlerus et Blanchinus. Quattuor duntaxat Evangelia in his codicibus leguntur, foliis plus minus ducentis comprehensa. Tituli Evangeliorum duobus verbis continentur, Evangelium Matthaei etc. Capitum divisio facta est secundum Ammonii et Eusebii canones, qui haud raro in margine notati sunt. Differt tamen capitulorum numerus ab eo, qui codicum Graecorum est. Matthaeus habet capita 426, Marcus 290, Lucas 432, Ioannes 271; in Graecis autem codicibus sectiones Evangeliorum sec. Ammonium et Eusebium sunt Matthaei 355, Marci 236, Lucae 342, Ioannis 232. Capita nova linea incipiunt. Addita est Evangelio epigraphe. In cod. Florentino consignata sunt etiam commata brevia, ܦܣܘܩ̈ܐ dicta, puncto rubro inter se divisa. De punctorum ratione infra sermo erit.

In exornandis editionibus versionis N. T. Syriacae codicum illorum nullus factus est usus. Quotquot autem inspexerunt eos et examinarunt, uno ore testantur, reperiri diversitatem fere nullam a textu Simplicis edito. Praecipue Adlerus locos varios contulit codicum variorum neque multum excedere ait variantes lectiones orthographiae et particularum diversitatem. Idem Wisemanus memorat. Praebuit Adlerus specimen variarum lectionum in libro saepius laudato ex cod. Nitr. I.; vix una et altera reperitur diversitas, quae sensum vel levissime immutet.

Variantes lectiones Cod. Guelpherbytani Brunsius collegit in Repertorii Eichhorniani voll. XV. et XVI. Sane huius codicis est aliqua diversitas. Nihil tamen dubito, pauca si excipias quin ille ad textum Graecum aliquo modo conformatus sit [1]). Nulla fere est a textu vulgari discrepantia, nisi quod omittat codex pauca verba, quae in Graeco non leguntur, vel addat omissa vel ordinem verborum restituat. Quae fere omnia manum emendatricem produnt. Ex. gr. Marc. IX, 14. Pesch. ܒܥܝܢ Cod. ܕܪܫܝܢ Gr. *συζητοῦντας*. vs. 19. Pesch. ܥܡܟܘܢ Cod. ܠܘܬܟܘܢ Gr. *πρὸς ὑμᾶς* et alia. Brunsio ipsi suspicionem movit, quod ubi codex a textu edito discedat, semper fere facit cum textu

1) Codex Guelpherbytanus fuit Iacobitarum, prope Damascum saec. VII. exaratus. Illo tempore versio Philoxeniana iam multis probata erat atque ex illo tempore animadvertitur Iacobitarum studium, textum Simplicis conformandi cum textu Graeco. Vid. infra.

Graeco et codice Coloniensi, cuius variantes lectiones ut infra videbimus nihil aliud sunt nisi correctoria textus Syriaci facta ad textum Graecum et Latinum. Sunt perpauca eaque levissima, in quibus concordat codex cum versione Persica contra textum editum (ex. gr. Matth. XXII, 18.; XXVII, 23.) atque ne in his quidem locis eius auctoritatem tanti haberem, ut ad eum Simplex nostra emendaretur. Observantur etiam in hoc codice aliquot orthographiae proprietates; ex gr. pro ܡܡܠܘܢ legitur ܡܢ ܡܠܘܢ, neque participia et pronn. separ. unam in formam contrahuntur. Quantum igitur facta est hucusque codicum illorum collatio, miro modo evincitur textus forma probatissima et aequabilis.

Codices fere omnes modo recensiti erant olim Iacobitarum, saec. VI. et sequentibus in oppidis et monasteriis Mesopotamiae et Syriae litteris nitidissimis exarati. Neque id mirum est, quod Iacobitarum potissimum libri in Europam translati sunt. Etenim qui in Nitriae deserta confugerunt ibique in monasterio Mariae Deiparae sedes fixerunt, Monophysitae erant et codices attulerunt ex Iacobitarum monasteriis; deinde plus omnino commercii fuit ecclesiae occidentali cum Iacobitis quam cum Nestorianis, qui interioris Asiae tractus incolebant. Neque tamen saecc. V. VI. et VII. discrimen statuendum est inter Scripturam Iacobitarum et Nestorianorum, quum eadem textus Syriaci forma fuerit tum locorum ubique, in Mesopotamia, Perside, Syria et Armenia, tum inter varias Christianorum partes et haereses. Postea quidem exortae sunt varietates scripturae, pronuntiationis, pericoparum, de quibus infra dicendum erit. Textus tamen ipse adeo conformis et prorsus idem erat apud Nestorianos et Iacobitas, ut exempli gratia codex Nestorianorum Vaticanus XVI. (apud Adlerum Nestorianus I.) aliquo tempore Iacobitam possessorem habuerit.

Sunt tamen Nestoriani saepius accusati textus biblici corrupti et adulterati, quare accuratius hac de re inquirendum est [1]). Primum Nestoriani libros N. T. eos tanquam canonicos accipiunt, quos versio Syriaca Simplex exhibet neque Theodorum Mopsve-

---

1) Cf. Assem. III., 2. pag. 236. sqq., Adler l. c. de codicibus Nestorianorum.

stenum sequuntur, qui epistolam Iacobi repudiavit, quare non Nestorianorum sed antiquae versionis vitium habendum est, quod epp. Ioannis II et III, Iudae, Petri II et Apocalypsis apud illos non leguntur [1]). Porro in synodo Diamperiensi [2]) in India orientali habita a. 1559 sedente Romae papa Clemente VIII. Christiani S. Thomae, qui sectam et instituta Nestorianorum sequuntur, accusati sunt, quod locos quosdam N. T. ad dogmata Nestorii accomodaverint. At vero in locis notatis omnibus nihil peccaverunt Nestoriani, unum si excipias; etenim partim vitia et varietates sunt non Nestorianorum sed versionis Simplicis, partim a Vulgata solummodo discedunt, textu Graeco consentiente. Qui restat locus a Nestorianis depravatus, est Hebr. II., 9, cuius in lectione Nestoriani et Iacobitae in diversas ita abeunt partes, ut hic ipse versus utriusque sectae

---

1) Illud sane discrimen observatur inter Nestorianos et Iacobitas, quod hi cum Graecis arctiore vinculo coniuncti etiam illos libros agnoverunt, qui in textu Graeco, non in Simplici leguntur, quum illi repudiaverint Apocalypsin et epistolas supra dictas. Nam quod Iunilius tradit, ut a Paulo Persa Nisibenae scholae alumno instructus erat „de Ioannis Apocalypsi admodum dubitatur apud Orientales" de Nestorianis intelligendum est. Cf. Haevernick, lucubrationes crit. ad Apocal. spectantes. Regim. 1842. Progr. Pentecost. — De V. T. Canone Nestorianis accepto consulas Adlerum: Uebers. s. Krit. Reise pag. 103. sq. Codex V. T. Nestorianus insignis exstat in Bibl. Vaticana, de quo conferendus est Wisemanus l. c. pag. 139. In codicibus hic librorum ordo observatur: 1) Pentateuchus ܟܬܒܐ ܕܐܘܪܝܬܐ. 2) Liber integer Iudicum: Ios. Iud. Sam. (et Regum) liber Regum filiorum Israelis (Chron.). Sapientia. Proverbia. Siracides. Coheleth. Ruth. Canticum Iobus. Hist. Susannae. 3) Liber Prophetarum; in quo Ieremias cum Threnis, Ezechiel et Daniel cum additamentis post Malachiam leguntur; annexa est historia Beli et draconis. 4) Psalmi. — Esra, Nehemiae et Estherae liber desiderantur. In libro Iosuae c. I, 8 — c. II, 7 desunt commata 18. Ebediesus Sobensis in catalogo librum quoque Iudith, Tobiae et Baruchi recenset, sed in Codd. non leguntur. — Versio Simplex libros canonicos solos praebuisse videtur; sunt libri apocryphi apud Nestorianos fortasse ex Mar Abae versione additi, ut apud Iacobitas ex Hexaplari.

2) Sanxit in hac synodo Alexius Menesius Lusitanus, archiepiscopus Goae, ut Christiani illius regionis codices vers. Syr. ad vulgatam Latinam corrigerent. La Croze hist. Christ. etc. l. III. pag. 285. ed. Gall. Mansi, Conc. coll. nova T. VI. pag. 23. sq. — Praeter libros in Simplici desideratos taxantur loci Luc. X, 1, discipuli LXX pro LXXII; Matth. X, 13. doxologia, quam Vulgata omittit. I. Ioan. III, 16. amor Christi pro Dei. Act. XX, 28. Christi pro Dei. Hebr. II, 9. I. Cor. V, 8.

Schibboleth vocari possit. Legunt enim Nestoriani ܗܘ ܓܝܪ ܣܛܪ ܡܢ ܐܠܗܐ ipse enim excepto Deo (sine Deitate) pro omnibus gustavit mortem [1]). Quae tamen lectio proculdubio in textu Graeco primum inventa est, quum χάριτι θεοῦ facile corrumperetur in χωρὶς θεοῦ. Ita legere Nestorianos monet etiam Theophylactus; idem Nestorianis obiicit Bar-Hebraeus [2]), hanc lectionem Nestoriani ipsi, Sabariesus presbyter et Iesuiabus metropolita Nisibenus [3]) adversus Iacobitas et Melchitas defendere student. Sed Iacobitae et ipsi hoc in versu propriae lectioni favent; legunt enim ܗܘ ܓܝܪ ܐܠܗܐ ܒܛܝܒܘܬܗ ipse enim Deus gratia sua gustavit mortem, quasi in Graeco legissent non θεοῦ sed θεός. Eadem lectio in editione Viennensi, a viro Iacobita et in usum Iacobitarum facta, reperitur nec non in aliis N. T. Syriaci editionibus. Tremellius ex M. S. Heidelbergensi lectionem Nestorianam recepit, eumque ed. Paris. min. et Hutterus sequuntur. Novissima editio Londini procurata ordine verborum mutato habet: ܗܘ ܓܝܪ ܒܛܝܒܘܬܗ ܐܠܗܐ. Auctoritas codicum ad hanc lectionem prolata est nulla; sumpsit eam ni fallor editor ex codice Bar-Salibaei, in quo locum illum eundem ad modum reperiri monet Ridleius, qui ܕ omissum esse putat ante ܐܠܗܐ. Codex vero Bar-Salibaei minime fidem lectionis genuinae et antiquae, sed correctoriam ubique manum prodit, ut infra videbimus. Quid hoc loco antiquitus Simplex habuerit, vix investigari potest, nisi codices antiquiores epistolam ad Hebraeos continentes consulantur [4]). In loco

---

1) In paraphrasi Arab. cod. IV. apud Adlerum Nestoriana lectio ita explicatur: „Ipse in sua humanitate praeter divinitatem suam, quam (sc. humanitatem) veluti maiestatis suae velamen assumpserat, pro omnibus hominibus gustavit mortem." Lect. χωρὶς θ. primus affert Origenes.

2) Assem. II. pag. 290. Theophylactus ad l.: „Οἱ δὲ Νεστοριανοὶ παραποιοῦντες τὴν γραφήν φασι, χωρὶς θεοῦ . . ἵνα συστήσωσιν, ὅτι ἐσταυρωμένῳ τῷ Χριστῷ οὐ συνῆν ἡ θεότης."

3) Id. tom III. pag. 304. 543. Cf. Kuinoelii comm. ad l.

4) Maronitarum lectionem neglexi conferre, quo tempore editio eorum in usum facta in manibus erat. Nestoriana lectio ex textu Graeco variato in Syriacum translata videtur. Iacobitarum lectionem antiquam habeo, exstant enim alia dogmatis Patripassianorum vestigia, ut infra videbimus. Legit interpres θεὸς pro θεοῦ, quae fuit facillima erroris causa. Arabs Erpenii habet: „Ipse pro singulis mortem gustavit ex gratia

hoc perdifficili dubitationem iam iniecit interpreti particula ὅπως, cuius loco habet: ܗܘ ܓܝܪ; etiam quod sequitur χάριτι θεοῦ vix intellectum est a plurimis. Nestoriani eam, quae in Graecis aliquot codicibus exstabat, lectionem (χωρὶς θεοῦ) dogmati ipsorum maxime faventem lubenter exceperunt; imo vero ex hac ipsa lectione totam Antiochenae scholae theoriam esse pronatam quispiam diceret. Iacobitae altera ex parte Deum ipsum esse passum sacrae Scripturae aliquo loco demonstrabant.

Accedit alter locus Act. XX, 28., ubi quae in Graecis exemplaribus lectionis diversitas est, eadem in Syriacis reperitur. Vulgo enim legunt: ut pascatis ecclesiam Christi, quam acquisivit suo sanguine. Sabariesus presbyter Nestorianus [1]) monet, Iacobitas legere ecclesiam Dei. Hoc de versione Heracleensi intelligendum esse iudicavit primum Assemanus, sed correxit opinionem, postquam in codice Syriaco Vaticano XXI. ecclesiam „Dei" reperit. Fuit codex proprius olim Iacobitarum fuitque ni fallor haec rerum conditio, ut Nestoriani omnes legerent „Christi", Iacobitarum alii codices „Christi" exhiberent alii „Dei", quam Graeci textus lectionem genuinam et veram habemus.

Nestorianorum scripturam prorsus eandem esse quae est antiquae versionis Simplicis, aliis quoque testimoniis probatur. Etenim praeter antiquos illos codices ex Mesopotamia advectos exstant in Europae bibliothecis alii multi recentioris aetatis, qui Nestorianorum erant. In his Nestorianorum codicibus capita integra contulisse se testatur Adlerus (pag. 33.) cum versione Simplici, neque tamen ullas nisi forte orthographiae discrepantias animadvertisse [2]).

Ex his omnibus probatur, textum versionis Simplicis satis sibi constantem et stabilitum fuisse saecc. V. et VI.; etenim tum ipsi codices, qui illis saeculis in Mesopotamia scripti aetatem tulerunt, tum posterioris temporis et Iacobitarum et Maronitarum et Nestorianorum et Melchitarum scriptura eundem omnino textum

---

Dei." Citat Ephraemus versum nostrum Op. Syr. I. pag. 76.; sed verba priora omittuntur.

1) Assem. III. pag. 543.

2) Bar-Hebraeus citat variantes lectiones Nestorianorum. Has accurate in codice Bar-Hebraei contulit Wisemanns nec unquam invenit punctorum et apicum discrepantiam excedere, excepto uno forsan et altero loco, in re nullius momenti. l. c. pag. 141.

tanta constantia proponit, ut in versione Syra locus non datus sit recensionibus, quales in textu Graeco primis iam saeculis exstitisse dicuntur. Ad hanc codicum conformitatem efficiendam primum conduxit, quod plerique codices in monasteriis viris peritis recitantibus vel certe ex probatis exemplaribus summa cura et diligentia scribebantur; deinde quod iidem codices saepius a clericis et monachis legebantur et examinabantur. Huc accedit, quod Ephraemi iam tempore excitatum erat anxium circa litteram Scripturae studium, laudanturque satis multi Syrorum, qui totum fere N. T. memoria tenuerint. Floruit etiam in scholis, ecclesiis et coenobiis tale docentium et discentium commercium, ut si quae textus discrepantiae exstiterint, eae neque observationem effugere neque temporis consuetudine inveterascere potuerint. Denique silentio non praetereunda est ea quae in Oriente semper viguit linguae, sermonis vitaeque conformitas. Etenim eius regionis Christiani magnam partem Iudaei fuerant, cum Iudaeis disputare coacti sunt, Iudaeorum scholas vicinas habebant atque ita assuefacti sunt, Scripturae sacrae voces sanctas et inviolabiles habere ipsasque fere litteras numerare.

Erat autem iam saec. V. et VI. N. T. Syriacum, maxime Evangeliarium innumeris exemplaribus per totum fere Orientem divulgatum plurimisque ecclesiis publico usu sacratum. Syrorum monachi multi in Armeniam se contulerant, ibique monasteria condiderant [1]; contra Armeniorum iuvenes Edessam et Alexandriam mittebantur ad linguam Graecam et Syriacam ediscendam [2]. Armenii occidentales Graeco sermone utebantur; in provinciis ad orientem sitis Persae vetuerant usum linguae Graecae, quare Armenii illi N. T. in versione Syriaca legebant, priusquam propriam versionem nacti sunt. Qui versionem Armeniacam scripsit Mesrobes, omnia omnino opera ecclesiastica reperit lingua Syriaca conscripta [3]), quae a plebe non intelligebatur. Ipse ex

---

1) Neumann, Versuch einer Geschichte der arm. Literatur pag. 22.

2) Eusebius Chron. ed. Venet. Vol. I. pag. XII. — Moses Choren. III, 50. „Mesrobes et Isaacus, Armeniae apostoli, in Mesopotamiam ad urbem Edessam viros dimiserunt, ut quaecunque ibi sanctorum patrum scripta reperissent, in nostrum sermonem converterent.“ — Theodori Mopsuesteni scripta a Nestorianis Syriace, Armeniace et Persice versa sunt. Vid. Baronium ad A. 435 ex Liberato.

3) Neumann l. c. pag. 32.

Graeco Biblia traduxit, fuerunt tamen, qui Armeniorum Scripturam ad Syriacam conformatam esse putarent [1]. Apud Persas linguam Syriacam summo in honore fuisse, Persarum iuvenes scholam Syrorum Edessenam frequentasse, Syros quoque plurimos, qui Nestoriani partibus favebant, in Persidem relegatos Syrorum litteras in remotissimas Asiae terras propagasse, supra monuimus. Evangeliorum versio Persica Simplicis filia est, et ipsa Syriaca versio in Arabia, in insulis, in India publico ecclesiarum usu adhibita est. Postea et Arabica versio [2] facta est ex Syriaca; Nestorianorum episcopus quidam ab ipso Chalipha iussus est vertere Scripturam in linguam Saracenorum. In Syria occidentali lingua Graeca vulgaris erat; sed monachi postquam ad fidem etiam homines agrestes, pagos et vicos converterunt et in desertis montanisque regionibus monasteria condiderunt, Syriacam versionem attulerunt in Coelesyriam, in Libani montes, in deserta Palaestinae et Arabiae, denique in Aegyptum et Libyam. Exemplo sit Alexander monachus († 428) [3], qui exstructo ad Euphratem coenobio per viginti annos quadringentis monachis praefuit, qui quattuor linguis distincti erant, Latini, Graeci, Syri, Aegy-

---

1) Ex vers. Syr. ortae Arabicae complures. Armeniacam N. T. ex eodem fonte profluxisse post Simonium putavit Michaelis. V. T. Armeniacum ad Syriacum conformatum esse, Bar-Hebraeum testem laudavit Waltonus, sed quo iure videas apud Wisemanum pag. 142. V. T. translatum esse Armeniace ratione habita vers. Syriacae, ipsorum Armeniorum nonnulli tradunt. Cf. Neumann l. c. p. 37.

2) Syrum sequitur Arabs Erpenii in Epistolis et Actis, in Evangeliis Persa. Cf. Michaelis, curae in Act. App. §. II.

3) Acta Sanct. Bollandi, Ianuar. pag. 1024. Quam vulgaris et recepta fuerit monachis Psalmorum recitatio, satis constat. Antonius monachos legere iussit N. T. et Psalmos. Iulianus Saba (Theodor. hist. relig.) in regione Osrhoenorum celeberrimus fuit, ad quem multi congregati sunt monachi. Ea in regione monet Theodoretus urbes magnas esse et populosas, sed partem alteram esse inhabitabilem. Ille igitur praescripsit monachis multam et assiduam precationem et Davidis Psalmorum cantationem. Canones Rabulae praescribunt: „Monachi Psalmos discant et moniales etiam cantica. Recitent Psalmos die nocteque. Monachus, qui unum dumtaxat Psalmum novit, eundem in omnibus orationibus repetat." Edessae chori virorum et virginum Psalmos in ecclesia canebant. Cf. etiam Ephraemum de Psalmo. Opp. Gr. tom. I. Ex Oriente cantum ecclesiasticum in Italiam pervenisse, notissimum. Armenii quoque accentus musicos habent, quos eodem tempore quo litteras (saec. V.) accepisse videntur.

ptii. Hos in octo choros partitus est, ut alacriter et assidue canerent et psallerent Deo laudes. Idem Alexander, quum Trophimum ei coenobio praefecisset, Palmyra atque Antiochia lustratis Constantinopolim se recepit ibique monasterio iterum condito e tribus nationibus elegit Romanos, Graecos, Syros, numero trecentos monachos, qui in sex choros distributi assiduam hymnodiam obirent.

Cap. IV.

Textus sacri forma in codicibus variis maxime Nestorianorum.

Ut in ecclesia Romana textus versionis vulgatae pro authentica Scriptura habitus est, item apud Nestorianos versio Syriaca Simplex V. et N. T. auctoritatem nacta est genuinae et indubitatae Scripturae. Atque quo magis Nestorianorum haeresis ab ecclesia occidentali abscissa proprii regiminis forma stabilita est, inhibitoque Syrorum cum Graecis commercio consuetudo linguae Graecae abolescere coepit, eo magis versio Syriaca proprio Marte apud Nestorianos constitit. Neque enim in historia Nestorianorum quod sciam compertum est, operam dedisse viros doctos, ut textum Syriacum N. T. cum Graeco conferrent et conformarent; neque aliae unquam versiones apud Nestorianos communem in usum receptae sunt neque omnino dubitatum est de textus recepti probatissima forma. Versio Simplex maximis efferebatur laudibus; habebatur ea ipsa quae primis temporibus apostolica auctoritate scripta sit; vocabatur non solum antiqua, sed sacra et beata. Quodsi vero dubia nulla movebantur de versionis authentia interpretationisque veritate et integritate, eo plus conferebatur studii et operae in textum versionis ab omni erroris et varietatis labe purum et immunem conservandum. Vidimus supra, codices antiquissimos fere omnes sola Evangelia exhibere. Idque ex historia ipsa ut omnino ecclesiae antiquae, ita maxime Nestorianorum probatur, Evangelia magis in usu fuisse quam Epistolas et locum primum obtinuisse in ecclesiastico ritu omniumque veneratione. Scribebantur Evangelia in unum volumen summa cura et fide, praecipue quae usui ecclesiarum et monasteriorum destinata erant. In codicibus ante annum Christi octin-

gentesimum exaratis scriptura Estrangelo dicta reperitur, tum vero minusculis characteribus codices describi coepti sunt, quos Nestoriani ad hunc usque diem adhibent quique a reliquis Syris Nestoriani s. Chaldaei dicuntur. Scripturae exemplum Adlerus praebet tabula III. Nestorianorum codices satis multi recentioris aetatis in bibliothecis asservantur [1]). Cf. Adler l. c. pag. 20. sq. Haud pauci Novi Testamenti Syriaci libros omnes continent. Dividitur autem totum N. T. corpus in partes tres: Evangelia, Acta Apostolorum, quibus additae sunt Epistolae catholicae, Epistolas Paulinas. Singuli libri in capita distributi sunt, quorum numerus usque ad finem totius N. T. producitur. In Evangeliis numerus capitum repetitur tum a primo Matthaei, tum vero ab initio sequentis singuli Evangelii, ita ut Matthaeus capita contineat XXII, Marcus XIII, Lucas XXIII, Ioannes XX, totusque sit numerus capitum LXXVIII. Acta Apostolorum et Epistolae catholicae XXXII capita constituunt, Epistolae autem Paulinae XLVIII, ep. ad Hebraeos VII, unde totius N. T. capitum numerus prodit CLXV. Numerus in margine notatus. Habent vero Nestoriani non solum propriam et singularem capitum distinctionem, sed etiam in lectionibus publice per anni circulum recitandis a ceteris ecclesiis recedunt. Auspicantur annum ecclesiasticum in dominica quarta ante nativitatem Christi et cuique dominicae assignata est lectio quaedam Evangeliorum. Quae quidem lectiones plerumque in margine notatae sunt, ex. gr. in initio Evangelii Matthaei in margine legitur: Pericopa in dominicam ante Nativitatem. Exstant etiam codices, qui seriem lectionum continuam exhibent, ex. c. codex apud Adlerum Nestorianorum quintus, cuius titulus est: Liber S. Evangelii adorabilis distinctus in pericopas diebus Dominicis et diebus festis et in commemoratione sanctorum recitandas secundum ritum Musulensem [2]).

Haec tamen externam solummodo formam spectant, nullam

---

1) Romam Nestorianorum codices plurimi allati sunt ex India, quo tempore Romanorum praedicatores illa in terra maxime Malabaria sedes fixerant. — Etiam Schaafio ex Malabaria codex M. S. dono missus est, quum ipse editionis suae exemplar eo ablegasset.

2) Ex saec. IX. coeptum est, maxime Lectionaria et Liturgias describere. Biblia iam soli recitationi et ecclesiastico ritui servire videbantur. Quare ex illis saecc. reperiuntur Lectionaria plurima Nestorianorum, Melchitarum, Iacobitarum, Maronitarum.

constituunt textus ipsius varietatem. Orta tamen est textus varietas ex manca Syrorum scriptura et grammaticae varietate. Si variantes conferas lectiones ab Adlero ex codice Nitriensi primo collectas (l. c. pag. 8. sq.), eas fere omnes vix excedere reperies discrepantiam orthographiae et grammaticae. In nonnullis vocibus accuratior est codex lectione vulgata, sic Matth. II, 6. scribitur ܐܝܣܪܐܝܠ, ubi Schaafius habet ܝܣܪܝܠ; tum vero mater lectionis deest in codice, ubi in textu recepto scribitur [1]). Pro ܕܐܢ ܠܐ in codice scribitur ܕܠܐ, pro ܢܡܘܠܐ c. VI, 30. ܢܡܘܠ et similia. Varietas maior est in syllabis finalibus; femininum genus personae secundae scribitur sine Iud finali. Grammaticae varietas porro in eo conspicitur, quod accusativus nonnunquam scribitur vel cum vel sine Lomad (c. V, 5., VII, 3. etc.), quod pro statu constructo c. V, 8. in codice legitur ܠܕܟܝ̈ܢ et alia. C. IV, 2. Schaafius habet ܐܝܡܡܝܢ, codex ܝܘܡܝܢ. — Inter variantes has lectiones sunt paucae, in quibus codex Guelpherbytanus a Brunsio collatus cum codice Nitriensi facit. Omnino optandum esset, ut ex antiquissimis codicibus accuratius examinatis varietas lectionum ederetur certas ad classes distributa; etenim quae in Evangeliorum editione a Birchio procurata variantes lectiones versionis Simplicis in notis allatae sunt cura Adleri, vix multae sunt magnive momenti. Reperiri in codicibus varietatem aliquam lectionum, dubitari nequit; argumento sunt Adleri et Brunsii collectiones, argumento est etiam nota marginalis nonnunquam in recensione Karkaphensi et versione Philoxeniana [2])

1) Ioh. Ern. Gerhardus l. c. p. 48.: „Litteras Ebraeorum quiescentes ו י א vocales quondam, hodierna quum vocalium figura abesset, repraesentasse, censent multi iique excellentissimi viri philologi; eandem in Syriaca lingua gessisse provinciam litteras quiescentes ܝ ܘ ܐ sed additis punctis solitariis, arbitratur vir in rebus his indagandis sui nominis Lud. de Dieu. Caussam hanc esse nos putamus, cur in Cod. nostro memoratae litterae toties omittantur, ubi editis in Codd. additae, et invicem inserantur, ubi reliqui non exhibent. ܫܠܡܘܢ plerumque sine Iud scriptum, sed Matth. VI, 29. ܫܠܡܘܘܢ cum Vaw. Hebraicam punctationem sequitur Cod. etiam in nomine Φαρὲς Matth. I. cuius syllabam primam cum Revozo scribit.“ Cf. infra, quae de recensione Karkaphensi dicentur.

2) Ex. c. Matth. XXVIII, 5. ad vocem Ναζαρηνόν in marg. Philox. legitur: In tribus exempll. Graecis et in uno Syriaco antiquiore non invenitur.

obvia, quae in aliis versionis Simplicis exemplaribus aliter legi monet. Verumtamen in universum tenendum est, miram quandam adesse in antiquis codicibus consonantiam, ita ut omnes, quibus facultas fuit codices antiquos inspiciendi et examinandi, consentiant, reperiri discrepantiam fere nullam a textu edito et recepto, si orthographiae varietatem excipias et scribarum errores [1]). Inde regula critica efficitur fundamentalis, ut textus Simplicis in Novo Testamento quoad consonantes intactus maneat et probatissimus habeatur, nisi antiquorum codicum auctoritas aliam lectionem afferat et confirmet [2]). Tanta enim est textus recepti cum codicibus non solum antiquis sed etiam Nestorianorum recentioribus conformitas, ut ipse Adlerus, vir eximiae doctrinae, seduceretur quandam textus editi cum Nestorianorum recensione conspirationem statuere, quamvis editio Viennensis a Iacobita Iacobitarum in usum excusa sit. Probatur autem Syrorum circa textum sacrum diligentia accuratissima [3]) ea re, quod simili modo atque Iudaei suam habent Masoram; etenim non solum textum in capita et lectiones cum proprio titulo dispertiunt, sed etiam commata numerant uniuscuiusque libri. In fine codicum Karkaphensis recensionis exacta habetur enumeratio, quot ܦܬܓ̈ܡܐ in unoquoque libro tam V. quam N. T. legantur (Wisem. p. 203.). Eodem modo I. E. Gerhardus disput. II. de N. T. Syr. refert, codici

---

1) Wisem. l. c. pag. 139. sq. Adler krit. Reise: „Varianten finden sich fast nur in den Partikeln und Coniunctionen.“ Idem de verss. etc.: „In paucis quidem quae evolvi locis nullam ab editione Viennensi discrepantiam reperi.“ Vid. supra pag. 146.

2) Bernstein Syr. Stud. Z. d. M. G. vol. III. fasc. IV. pag. 396.: „Die P'schittho des N. T., welche wiederholt herausgegeben und nach Handschriften verbessert worden ist, liegt uns in einem verhältnissmässig bessern Zustande vor, obschon auch sie aus besonders ältern Handschriften noch vielseitig wird gereinigt und verbessert werden können.“ Duo tantum vir doctissimus affert exempla scripturae, quae ipsi corrupta videatur Act. XX, 15. ܠܣܘܣ, ubi legendum sit ܐܣܘܣ et Apoc. XXI, 19. ܣܬܟܝܕܘܢܣ mutandum in ܣܐܟܝܕܘܢܣ.

3) Codex recens scriptus cum exemplaribus probatis accurate conferebatur, ne scribarum errores residerent. Ita certe explicat Ewaldus vocabulum ܒܝܘܢ saepius in codicum epigraphe repertum. Wisem. hor. Syr. pag. 164. Ea omnino valuit consuetudo inter Syros et Graecos, ut libri descripti correctoribus traderentur.

Evangeliorum, qui Altdorfi servetur, masorethicam observationem calci subnexam esse, qua numerus sectionum (ܨ̈ܚܚܐ) 72, lectionum (ܩܪ̈ܝܢܐ) 234, commatum (ܦܬ̈ܓܡܐ) 9963 notetur. Secundum Ewaldum in codicibus Nestorianorum numerantur Evangeliorum sectiones 78 et commata 9863 (Abhandlungen zur oriental. Literat. pag. 57.). Suspicor in Gerhardi citatione errorem inesse et eundem esse utrobique numerum restituendum [1]). Acta Apostolorum et Epistolae catholicae continent 32 sectiones et 4149 commata; Epistolae Paulinae autem sectiones 55 et 6463 ܦܬ̈ܓܡܐ. — Numerus capitum consonat cum eo, quem supra ex Adlero proposuimus. Distinctio in ܦܬ̈ܓܡܐ reperitur iam in Cod. Flor., sed nescio, num eadem sit quae Nestorianorum. Est omnino hoc vocabulum notionis variae et singularis; videtur autem haec mihi huius distinctionis ratio statuenda. Legebatur Scriptura in ecclesiis magna cura et arte, ut omnino inter Orientales ars quaedam sonore, rite et clara voce recitandi antiquitus exculta esse videtur. Quemadmodum igitur Graeci N. T. στιχηδὸν scribere coeperunt, simili modo Syri textum breves in versus distinxerunt, qui facile continenti, non intermisso spiritu a lectoribus recitari possent [2]). Puncto rubro consignabantur, ut apud Graecos στίχοι partim nova linea scripti partim puncto diremti sunt. Vix dubito, quin consuetudo illa στιχηδὸν scribendi ab Orientalibus accepta sit. Primum enim στιχηρῶς exarabantur libri V. T. poetici: Iobus, Psalterium etc. et in N. T. Acta et Epistolae. Numerabantur στίχοι, ut Iudaeos antiquitus puto numerasse commata librorum sacrorum. Pependerunt autem στίχοι tum ex orationis sensu ac mente tum ex rhythmicis legibus, ut Orientales so-

---

1) De Codice Altdorfino mihi parum constat. A viro Maronita emtus est et Iacobitarum olim fuisse videtur, discedit autem et in numero capitum et in ratione publicarum lectionum ab editione Viennensi. Accuratissime punctis animatus esse videtur, maxime in Nominibus propriis, attamen non dignosci potest ex Gerhardo, cuiusnam generis sit haec punctatio.

2) ܦܬ̈ܓܡܐ (cf. Gesenium in Thesauro) vocabulum Persicum habetur: mandâtum, inde sententia brevis et omne omnino verbum. In poësi hac voce versus significantur. Est eiusdem notionis, qua Graecum στίχοι, qui et ῥήματα dicuntur. — Sicut Hebr. פתאם a rad. פתע derivatur, nescio, possitne vox Syriaca item Semiticae originis esse.

lent et versus et sententias multis intervallis in particulas minutissimas distribuere. Numerus *στίχων* non multum discedit a numero ܦܬܓܡܐ. Numerantur enim Evang. Matthaei *στίχοι* ,βφ Marci ,β, Lucae ,βχ, Ioannis ,βτ, quorum summa est 9900 (Syr. 9863). Actorum sunt *στίχοι* ,βω; Pauli epp. quattuordecim ,ετ. Cf. Millii Prolegg. n. 1030. Stichometria ad Euthalium Alexandrinum refertur; ut Ammonii et Eusebii canones, ita Euthalii *στίχους* Syri probasse videntur, nisi Euthalium putaveris secutum esse inventionem Syrorum.

In maxima illa, quam diximus, textus Syriaci aequabilitate consonantes si spectas, dubia plurima relicta erant in vocalibus. Atque hoc quidem loco industria Syrorum laudanda est, qua textus sacri ambiguitatem omnem tollere studuerint. Eam enim, quae est litterarum et Hebraicarum et Syriacarum ratio ambigua, dubia minimeque perfecta, compensarunt tam exacto et curioso vocalium systemate, ut nesciam admireris tam subtilem curam an rideas. Iam exploratum est nostris temporibus, ex puncto Syrorum diacritico progerminasse paulatimque completum esse systema vocalium, quod in libris sacris non Syrorum solum sed etiam Iudaeorum postea adhibitum ad nostrum usque diem permansit. Punctum illud diacriticum iam Ephraemi tempore in codice sacro adhibitum fuisse inde verisimile est, quod ad Genes. XXXVI, 24. (T. I. pag. 184.) ita scribit: „Attinet scire nos huc usque ܢܛܡ̈ܐ invenisse in utroque Testamento neque ܢܛܡ̈ܐ, uti putarunt nonnulli imperitorum (ܐܝܟ ܣܡ ܡܢ ܠܐ ܡܠܦܢܘܬܐ). Erat igitur vox in Bibliis distincta aliquo pronuntiationis signo. De huius puncti usu vario et accuratissimo nec non de punctis Syrorum vocalibus ex puncto diacritico formatis primus mira sagacitate atque iudicii subtilitate scripsit Hupfeldus; deinde Ewaldus multis et variis Syrorum codicibus examinatis [1]) accuratissime exposuit systema vocalium et antiquum et recentius. Codices antiquissimi, scriptura Estrangelo exarati, adscriptas non habent vocales, voces autem aequivocas puncto diacritico distinctas, ita tamen, ut in aliis manuscriptis saepius, in aliis rarius reperia-

---

1) Hupfeld, Stud. und Krit. 1830. 37. Ewald: Abhandlungen zur orientalischen und biblischen Literatur. 1. Thl. Göttingen 1832. Idem: Zeitschr. f. K. d. M. vol. 1. 2. 1837. 39.

tur [1]). Peal et Pael in verbis, item in nominibus, pronominibus, particulis etc. pronuntiatio fortior aut levior, elatior aut obtusior ex ratione ut simplicissima ita rectissima distinguuntur varia puncti diacritici positione [2]). Grammaticae, orthographiae et critices studia hac in re coniuncta erant. Erant etiam viri docti, qui indices contexerent vocabulorum similium seu aequivocorum, quae iisdem consonantibus scripta vocalibus tantum et signis diacriticis discernuntur. Eiusmodi librum scripsisse fertur Iosephus Huzita, scholae Nisibenae rector circa a. 580. Eodem modo Eudochus sive Eudoxius presbyter Melitinensis scripsit opus quod inscribitur: distinctio vocum scriptura similium, sensu differentium, quae per puncta distinctiva noscuntur et discernuntur. Si quae relicta fuerit scripturae ambiguitas, subveniebat traditio firma et fixa, quum libri N. T. in ecclesiis scholisque assidue tractarentur. Omnem enim operam impenderunt, ut ad normam probatam et regulam antiquam textus publice legeretur, cuius sententiae singulae ipsaque verba in scholis accuratissime explicabantur [3]). Eum ad finem adscripserunt nonnunquam theologi docti textui sacro, maxime V. T. glossas, quibus voces minus usitatas consuetis redderent et exponerent [4]); omnino tractabantur Biblia a monachis et viris litteratis summo semper studio, ita ut tam usitata et crebra fuisse videatur Bibliorum apud Syros in usu et ore omnium recitatio, qualis vix reperta sit aliam apud gentem. Singula quaelibet pericopa commentariis, tractatibus, homiliis et carminibus exposita est deque minimis rebus quaestiones subtilissimae promotae sunt. Inde sequitur, ut similem rerum conditionem apud Syros fuisse statuamus, qualis apud Iudaeos valuit; scripturae ambiguitas prorsus suppleta est publicae lectio-

---

1) Cf. in Blanchinii Evangelistario quadruplici T. II. exemplum scripturae.

2) Praeter Hupfeldum et Ewaldum cf. Isenbiehl, Beobachtungen über den Gebrauch des syr. p. d. bei den Verbis. Götting. 1773. (Schultens) Institt. Aram. pag. 28. 29. Punctum diacriticum vide ex. c. adhibitum in epp. Ignatianis a Luretono editis.

3) Cf. scholia Ephraemi et Iacobi Edesseni.

4) Roediger de Arab. librorum V. T. historicorum interpretatione pag. 43. 80. Sic Ananiesus bar Saruschvai, episcopus Hirtae, scripsit quaestiones in textum Scripturae et vocabularium cum interpretationibus. Gesen. de Bar-Alio etc. pag. 9.

nis doctrina et traditionis regula accuratissima et constanti. At vero idem quod apud Graecos Alexandrinos et Iudaeos Babylonicos atque Tiberiadenses cognoscitur studium, linguae normam definiendi et scripta antiqua accentuum signis animandi, hoc igitur grammaticae acuratissimaeque scripturae studium iis saeculis apud Syros quoque invalescere et augeri coepit, quibus Syrorum gens atque lingua primum a Graecis deinde ab Arabibus deturbari videbatur. Quae fuerit inter Iudaeos et Syros his in rebus studiorum societas, commercium et aemulatio, detegi nondum potuit; vix tamen dubitatur, quin eodem fere tempore et simili modo a Iudaeorum doctoribus et Masorethis puncta vocalia textui sacro apposita sint, atque in Syrorum codicibus loco puncti diacritici vocales paulatim adscribi coeperunt, ad quas formandas puncta duo vario modo composita sunt. Quo tempore et ubinam haec vocalium signa inventa sint, quos habeant auctores, incertum est. Neque vero eum tantum ad finem adscripta videntur, ut ambiguitas orationis tollatur, sed potius ut textus sacer rite et sine ulla vacillatione in ecclesiis ad eandem pronuntiationis normam lectitari possit. Sunt maxime Nestorianorum codices summa haud raro elegantia scripti, in usum ecclesiarum sive monasteriorum destinati, in quibus omnia vocalium et accentuum signa maxima cura textui sacro apposita sunt [1]. Tanta autem est reverentia textus ab antiquis traditi, ut punctum diacriticum etiam in recentioribus codicibus servatum sit neque raro antiquioribus litteris etiam nostra aetate libri sacri a Syris scribantur. Sed tanti momenti est haec punctationis quaestio, ut paulo accuratius nobis tractanda videatur.

De

1) Cod. Syr. XV. Parisinus: Codex N. T. ex recensione Nestorianorum, Constantinopoli Parisios allatus, a. 1217 scriptus in monasterio Mar Gabruni prope Telam in Beth-Zabde. Ewald pag. 57. Apud Adlerum vide codd. Nestorianorum I. et V., exemplar scripturae tab. III. et IV. Adde Ewaldum, Weitere Erläuterungen der syr. Punctation aus syr. Handschr. Z. f. K. d. M. II. pag. 210. sq.: „Alle mir bekannten Cdd. übertrifft an genauer, vollständiger und schöner Ausführung des ganzen Punctationssystems eine überaus prachtvolle Abschrift der Peschito-Evangelien (v. J. 1546) welche die Bibl. der röm. Propaganda besitzt. Man muss sie sehen, um sich einen Begriff von den Muster-Exemplaren zu machen, nach welchen die gewöhnlichen Abschriften genommen wurden. Alle Arten von Zeichen sind neben den schönen grossen Buchstaben aufs vollständigste und deutlichste ausgeführt.“

De punctatione vocalium et accentuum.

Haec ni fallor in universum punctorum ratio statuenda est. Ubi vix erat de pronuntiatione dubitandum, in vocibus brevioribus et maxime usitatis, etiam posteriores Syri uno puncto utebantur ex. c. ܡܠܟܐ et ܡܢ. Porro litterae ܘ et ܝ apud Syros etiam magis quam apud Hebraeos pro loci varietate tum consonantes tum vocales erant [1]), quare suffecit, puncto adscripto notare, ܘ esse ū, ܝ esse ī legendum [2]). Litterae ܝ semper punctum subscriptum est, sed litterae ܘ multis in codicibus supra appositum est, ubi fortiori accentu legendum, infra autem, ubi accentu minore. Si autem littera non aderat, quae vocalis naturam habet, duo puncta componebantur (ܡܫܚܠܦܢܐ) ‐̇‐, ‐̣‐, ‐̤‐ figura ipsa tres sonos indicantia, sonum altiorem s. superiorem (Zekofo); sonum medium s. firmum et rectum; sonum suppressum, inferiorem, graviorem. (Punctorum figura declinata cum scriptura Syrorum cursiva, celeriori omnino convenit). Puncta Zekofo vario modo componuntur ‐̈‐ ‐̇‐ ‐̈‐ neque quod sciam discrimen inter has formas compertum est. Puncta inferiora ‐̤‐ ab initio et Chebozo et Rebozo significarunt, ut videre licet in lectionis exemplo, quod Hanebergius praebuit ex codice aliquo Nestorianorum (Zeitschr. d. D. M. G. III, 2. p. 241). Ut autem vocales i et e distingui possent, figurae ‐̤‐ et ‐̤‐ sibi oppositae sunt. Sunt etiam codices, in quibus e per ‐̤‐, i per ‐̣‐ scribitur. De diphtongis taceo. Iam patet, quomodo et Arabum punctatio simplicior et Iudaeorum illa omnium accuratissima ex his Syrorum formis originem duxerint [3]).

---

1) Nomen ܝܫܘܥ secundum Hanebergium Nestoriani pronuntiasse videntur: Ischu. Ubi in scriptura non punctata indicabatur, Iud non consonantis sed vocalis naturam habere, adscribebatur Olaph, ex. gr. pro … (vid. supra cod. Nitr. I.), ܐܝܠܘ etc. Omnino docet Codicum antiquiorum collatio, maxime ad nomina extera recte pronuntianda saepe adhibitas esse litteras ܐ, ܝ, ܘ loco vocalium, unde etiam factum, ut aliis in exemplaribus eaedem additae, in aliis omissae sint. — Chirek magnum nonnunquam Hebraeis dicitur מלא יוד, Schurek מלא וו, Kibbutz חסר וו.

2) Ewald, Zeitschr. I. p. 211.

3) Arabibus satis fuit, tres sonos distinguere linea superiori (‐َ‐) linea inferiori (‐ِ‐) et signo ‐ُ‐, quod ortum videtur ex littera و. Re-

Iudaei enim simili modo litteris ו et י punctum addebant (וֹ . וּ . ־ִי), utebantur autem eodem puncto etiam, ubi hae litterae non aderant, ita ut punctum superius semper Cholem, punctum inferius Chirek notaret. Ceteras ad vocales significandas non placuit Iudaeis Syrorum ratio duo puncta vario modo componendi, quum quantum fieri posset, puncta subscribere mallent. Posuerunt igitur duo puncta (בֵ) ut sonum Zere (ē) exprimerent, lineolam autem (בַ) quae Patach esset. Sed insuper sonorum aliquot mutationes scriptura consignandae erant, scilicet ĕ breve, (בֶ) quod alio loco ae legendum est; porro a saepissime protrahendum erat (בָ) quae forma similem sonum brevem (ŏ) repraesentare potuit. Nam ubi בָ ā vel ŏ, ubi בֶ ĕ vel ae legendum sit, facile cognosci potest. Denique u breve formarunt בֻ, quod idem signum u longum valet, si littera vocalis ו deest.

Etiam nomina vocalium conveniunt apud Syros, Arabes et Hebraeos. Nomen Petocho omnibus est commune, significans sonum principalem, qui aperto ore profertur; ܙܩܦܐ (cf. infra Hebr. הַגְבָּהַת קוֹל) sonum altum, superiorem, ܪܒܨܐ et ܪܒܨܐ (sensu ut forma similes) sonum gravem, depressum, inferiorem significant [1]). Plane simili modo apud Hebraeos צֵרֵי et חִירֶק oris aliquam compressionem sive angustiam indicant dentiumque stridorem et linguae adhaesionem; alterum nomen minus usitatum שְׁבַר plane convenit cum Arabica voce كَسْر fractio, diremtio oris. Maiorem etiam oris clausuram קִבּוּץ et ܥܨܐ exprimunt (שׁוּרֶק συρισμός); denique ضَمّ (constrictio) et קָמֶץ, voces sensu similes, sonum dicunt obtusum, obscuriorem, labiis fere clausis

spondent tres litterae: ا, ى, و. Arabes Kufici sunt puncto usi, quod superne vel in media littera vel infra positum tres sonos significabat. Cf. Hupf. Stud. u. Krit. 1830. p. 796.

1) Traditio Arabum refert, Abulasvadem scribae perito praecepisse, ut, ubi os aperiret, supra litteram, ubi frangeret, infra litteram, ubi clauderet, ante litteram punctum adscriberet. Silv. de Sacy Memoir. de l'acad. d. inscr. L. p. 323. sq. Magis placet Zekofo et Rebozo de soni elevatione et suppressione, quam de punctorum loco superiore s. inferiore intelligere (cf. infra Eloio et Tachtoio). Vocales nomen acceperunt vel de oris apertura vel de sono acuto et gravi.

ex gula protusum [1]). Hebraeum חוֹלֶם (etiam מְלֹא פוּם dictum) os plenum, altius apertum est (cf. Hupfeld, hebr. Gramm.).

Satis cuique ita perspicuum est, quomodo punctatio Syrorum accuratissima orta sit ex puncto diacritico, quod Grammatici primum vel supra vel infra formam aliquam ambiguam posuerant, ut pronuntiatio vel plenior et fortior vel levior, tenuior, facilior indicaretur. Eo deinde progressi sunt, ut grammaticae formae ratione non habita ipsa pronuntiatio sive vocalium varietas punctis significaretur, ita ut plane phoneticam rationem puncta sequerentur. Sed etiam in consonantibus nonnullis distinguenda erat pronuntiatio fortior et durior a molliori et tenuiori; iterum igitur puncto utebantur vel supra vel infra litteram apposito (ܩܘܫܝ et ܪܘܟܟ). Apud Hebraeos respondet Dagesch lene, quod mediae litterae insidet (cf. etiam Mappik et Raphe). In codicibus multis maxima cura et diligentia puncta haec adscribuntur, haud raro colore rubro, ut facilius a punctis vocalibus distinguantur. De punctis Ribui et lineolis Mehagiono et Marhetono, item de linea occultante non huius loci est, uberius disserere; puncta Ribui grammaticas formas distinguunt; lineae illae ad consonantis alicuius diversam pronuntiationem pertinent. Ita omnis demum scripturae ambiguitas plane sublata est et vocalium varietas non minus quam aliquot consonantium pronuntiatio diversa accuratissime punctis notata.

Iam transeundum est ad a c c e n t u s. Puncta vocalia a Syris parva dicuntur, accentus puncta maiora, Rucoch, Kuschoi et Ribui habentur pro mediis. Est etiam forma accentuum multo maior et crassior in codicibus quam punctorum vocalium. Syri sententiae finem puncto insigniunt. Ubi autem sententiae plures unam in periodum s. sententiam maiorem coalescunt, ita ut protasis oriatur et apodosis, quae et ipsae iterum duas in partes dirimi possunt, Syri sententiam tripartitam s. quadripartitam etiam tribus quatuorve signis disponunt. Puncto enim addunt aliud punctum, quod ex obliquo vel superscripserunt vel supposuerunt (.·—, ·.—); denique duo puncta adhibuerunt aequalia (:—). Ita orta sunt signa quattuor, quae radices omnium accen-

---

1) Elias Levita testis est, doctores Tiberiadenses Kamez pronuntiasse sono aliquo inter a et o medio, magis ad o inclinante.

tuum a Bar-Hebraeo dicuntur: ܥܠܝܐ (.·—) Eloio, ܬܚܬܝܐ (·.—) Tachtoio, ܫܘܝܐ (:—) Schevaio et ܦܣܘܩܐ (.—) Posuko. Quorum rationem idem ita describit [1]), ut protasis longior claudatur signo Tachtoio, dividatur per Schevaio; apodosis autem claudatur Posuko et distribuatur per Eloio, quoties id iubeat sensus. Quare ab initio sententiae ad finem omnis orationis progressus distribuitur et componitur primum per Schevaio (:) quae excipit Tachtoio (·.—); deinde per plura Eloio (.·—) quae sequitur in fine sententiae Posuko, punctum unum, cuius loco ubi pausa maior indicanda est, quattuor puncta .:. ponuntur [2]).

Haec quidem interpunctio logices regulas bene sequitur, quare non mirum est, quod Bar-Hebraeus refert, Graecos et Syros Grammaticos inter se disputare de accentuum (punctorum) inventione. Etenim eandem prorsus sententiae alicuius maioris distribuendae proponit regulam, Graecos grammaticos secutus, Isidorus Hispalensis hisce verbis (Origg. I, 19.): „Ubi in initio pronuntiationis necdum plena pars sensus est et tamen respirare oportet, fit comma id est particula sensus et vocatur subdistinctio ab eo, quod punctum subtus id est ad unam litteram accipit. Ubi autem in sequentibus iam sententia sensum praestat, sed adhuc aliquid superest de sententiae plenitudine, fit colon mediamque litteram puncto notamus et mediam distinctionem vo-

---

1) Cf. Bar-Hebraei gramm. metr. p. 86.: „Eloio cadit in mediam sententiam et Pur'ono (apodosin) si tam longae sunt, ut in legendo spiritum praecludant; Tachtoio in media sententia locum habet ante Pur'ono (et huic accidit, ut etiam interroget); Zaugo (Schevaio) inter membra orationis mensuras possidet, nunquam autem locum habet in Pur'ono; Pesuko in fine orationis sedet."

2) Huius interpunctionis specimen videre licet in epistolis Athanasii editis ab Curetono. Conferas porro ad punctorum rationem observandam versionis Simplicis V. T. editionem Londinensem. Maxime in prophetis et libris poeticis interpunctio et accentuatio satis accurata est. Ex. causa Ies. LV, 4. singulo cuique verbo appositus est accentus. Punctatio vocalium viam quasi mediam ingreditur; punctum enim diacriticum adhibetur, sed nonnunquam signa quoque vocalium composita et diphtongi. In nominibus exteris vocales ad formam Graecorum effictae apparent, qua de re infra dicendum erit. Suspicor, ad Iacobitarum codices procuratam esse editionem V. T. Londinensem. Editio quoque N. T. Viennensis satis multa habet puncta.

camus, qui punctum ad mediam litteram ponimus. Ubi vero iam per gradus pronuntiando plenam sententiae clausulam facimus, fit periodus, punctumque ad caput litterae ponimus et vocatur distinctio i. e. disiunctio, quia integram separat sententiam." Progreditur igitur oratio per tria puncta a. — a· — a˙, punctum inferius, medium, superius.


Sed addit Bar-Hebraeus, veram punctorum notionem nonnisi viva voce tradi et auribus accipi posse, quia signa nonnunquam sint melodiarum sive artis cuiusdam recitationis solennis. Dicuntur enim in universum ܢܝ̈ܫܐ ܡܫܘ̈ܚܬܢܝܐ i. e. signa, quibus oratio bene componatur omnesque eius partes rite definiantur et ad leges numerosae declamationis distribuantur, nam ܡܫܚ est comparare, componere, metiri, dimetiri [1]). Sed aliquoties sunt etiam ܢܝ̈ܫܐ ܪ̈ܢܝܢܝܐ signa melodica, musica et pertinent ad ܪ̈ܢܝܐ ܕܡܩ̈ܠܬܐ [2]). Radix ܪܢܝ significat autem vocis declinationem, inclinationem, unde nomina derivata ad cantum et melodiam referuntur [3]). Atque haec sonorum modulatio, quae fit aut ele-

---

1) Cf. Bar Hebr. l. c. de accentibus vers. 54.: ܘܪܘܚܐ ܒܡܫܚܠ ܗܘ̈ܦܟܐ ܕܡܐܡ̈ܪܐ ܡܢܐ ܡܫܘ̈ܚܬܐ.

2) In Bar Hebr. gramm. metr. ܡܫܚܠ ܢܩ̈ܫܬܐ. Quod vocabulum optime illustratur ex loco I. Cor. XIV, 9. ubi Graeca: εἴτε αὐλὸς εἴτε κιθάρα ἐὰν διαστολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ redduntur Syriace: ܐܘ ܦܘܪܫܢܐ ܠܐ ܢܬܠܘܢ ܒܩܠ ܡܫܚܠܐ ܠܡܢܓܢܘܬܗ.

3) Hupfeldus optime accentus dixit: Exponenten des rhythmischen Verhältnisses. Ille omnino de-accentuatione tulit iudicium verissimum. Ewaldus l. c. p. 105.: „Der Zweck der Accentuation ist, das richtige und schöne Lesen eines Ganzen nach dem Sinn und Umfang des Satzes zu bestimmen; sie ist nicht bloss eine Interpunction im Sinne unserer Sprachen, sondern die Vorschrift einer rhythmischen Declamation. Für die heiligen Bücher zunächst bestimmt hat die Accentuation im Syrischen wie im Hebräischen zugleich diesen umfassenden Zweck, in das Einzelne und Feinste einzugehen und es nach der Vorschrift schöner Declamation zu regeln." Cf. Chr. Ben. Michaelis de cantillatione in textibus sacris in diss., qua ritualia quaedam codicis sacri ex Alcorano illustrantur §. XV. I. D. Michaelis, Argumenta contra antiq. punct. Hebr. in examen vocata pag. 89.: „Immo in eo plane nostras linguas superant orientales, dum non simplicem modo sensum, sed et ἐμφατικωτέρως dicta, quae nos contentione quadam

vatione vocis aut declinatione, ipsa accentuum figura indicata videtur, ita ut puncta accentuum scalam quandam forment et comparanda sint cum notis musicis . Nam in recitatione sententiae longioris procurrit pronuntiatio bona et iucunda primum per sonos paulo altiores sed aequabiles (Schevaio), descendit deinde (Tachtoio), assurgit iterum, donec ad sonum fundamentalem in fine sententiae recedat.

Haec recitationis et cantilenae cuiusdam ratio maxime locum habuit in lectione Bibliorum, ut omnino punctatio et vocalium et accentuum exercebatur in Scripturis et officiis ecclesiasticis. In Evangeliis autem sententiae plerumque sunt brevissimae et rhythmo facili numeroque non ita ponderoso absolvuntur, quare puncta supra dicta vix adhiberi poterant. Sed erant alia puncta minoris ponderis et ambitus, punctum superius et inferius, quae non copulantur cum puncto media in linea posito, sed verbis ipsis adscribuntur hunc in modum ·— ‒̣ —̇. Punctum superius nomen habet ܙܘܥܐ (commotio) apud Syros orientales ܪܡܙܐ (nutatio, nictatio) (Bar-Hebr. N. 30.) punctum inferius dicitur ܡܫܟܢܐ (inclinatio). Illud in intonatione valere pro dimidio Eloio monet Bar-Hebraeus, hoc esse dimidium Tachtoio. Illud igitur haec signa voluerunt, ut ab initio sententiae vox commoveatur et quasi solvatur, ad allevationem in altum et suspensum se accingat, deinde vero ante finem inclinetur. Haec signa in antiquissimis codicibus fere sola conspiciuntur. Ubi vero textus in ܦܘܣܩܐ distinctus est, sententia igitur in multas particulas decisa, quae ipsae punctis maioribus separabantur, accentuatio invecta est multa accuratior, ut reperitur in codicibus recentioribus; primum enim sententiae et elocutiones per distinctivos maiores in particulas minimas distribuuntur, deinde singulorum verborum ratio et vicissitudo punctis notatur ad recitationem accuratissimam, legitimam, bene compositam. Ubi in aliquo verbo elevandum erat voce vel declinandum, ubi inhibendum vel aquiescendum, porro utrum corripiendum sit an pro-

---

vocis aut actione corporis praesentes significamus, absentes in ipsis lectorum oculis possunt defigere."

longandum et mora aliqua insistendum, etiam ut sermo per verba varia coordinata sono aequabili protrahatur, omnia haec propriis signis notabantur (cf. ܡܓܘܪܐ — ܢܘܪܐ). Ita demum factum est, ut simili modo atque in textu Hebraeo quodlibet verbum accentu notaretur. Lectoris munus erat Biblia et officiale accurate secundum accentus recitandi; nam accentus omnes certum quendam sonum notabant. Convenisse puto hanc Syrorum recitationem cum recitationis arte, ut hodieque apud Romano-Catholicos exercetur, quam si notis musicis depictam habes, eam simili modo procedere invenies atque accentuationem Syrorum. Neque haec recitationis ratio a Scripturis prorsus aliena est. Psalmi ad instrumenta musica canebantur; prophetae primum ad cytharam ediderant eloquia sua. Inest etiam historicis libris musica quaedam, rhythmus et numerus, atque quam aptae sint narrationes Evangeliorum et Actorum ad recitationem canoram, vel satis cuique ex aurium perceptione probatum est. Constat, cantum ecclesiasticum ex Oriente advectum esse. Armenii quoque, qui saec. V. ineunte alphabetum formarunt, eodem tempore accentus suos accepisse videntur, de quibus Schroederus (Thes. p. 246.) conferendus, qui signa musicalia vel supra lineam vel in ipsa linea hymnis apposita indicare ait tum intervalla tum sonorum mensuram et pausas, iuxta quae hymni sacri (ex. c. Oda Mosis Ex. XV.) rite decantentur. Sunt numero sedecim. In Graecis quoque codd. cantillationis signa reperiuntur (Montfaucon, Palaeogr. 229.). De Iudaeorum cantilena in synagogis usitata vide Hupfeldum Stud. u. Krit. 1837. p. 863.

Erat tamen recitatio Syrorum rhetorica magis quam plane musica, id quod maxime patet ex iis accentibus, qui affectum quendam indicant, quo sententia vel verbum aliquod pronuntiandum sit. Ubicunque enim inesset sententiae lamentatio quaedam, querela flebilis, ibi accentus positus ܡܒܟܝܢܐ ex. gr. Ier. IV, 30., forma similis Tachtoio; verbo, quod est mandantis, iubentis additur ܦܩܘܕܐ (is, qui mandat ex. c. ܙܠ) qui idem adhibetur, ubi res variae et abscissae cum affectu enumerantur ex. c. Rom. I, 30. Quod verbum stupentis est, admirantis, dehortantis cum indignatione, id afficitur accentu ܟܠܝܐ (ܟ̈ is qui retinet, cohibet). In formula precationis locum habent ܡܬܟܫܦܢܐ et ܡܫܐܠܢܐ

(ܒ݁) Matth. VI, 9, in benedictione accentus ܝܗܒ ܛܘܒܐ punctum verbi primis litteris super positum (Ps. XXXII, 1.); punctum particulae interrogativae superscriptum dicitur ܡܫܐܠܢܐ, item in particula demonstrativa, quae *δεικτικῶς* dicta est ܡܚܘܝܢܐ; ubi praeter opinionem pausa fiat, ponitur ܡܦܣܩܢܐ (Posuko, ubi accentus minor exspectabatur)[1]. Quanta industria haec accentuatio facta sit in libris sacris, patet vel ex uno exemplo, quod affert Bar-Hebraeus, accentum ܡܒܠܣܢܐ a Syris Iacobitis semel tantummodo adhiberi Gen. XLIX, 9. loco illo celeberrimo, ubi vox ܝܗܘܕܐ hoc accentu signata sit, ut blanda voce syllaba prima legatur[2].

Recte si iudico, non prorsus spernenda sunt haec Syrorum studia. Viguit in Oriente ars quaedam lectoris, quae et grammaticam et rhetoricam complexa est. Atque revera Biblia tanta scripta sunt simplicitate, ut ad intellectum plurimum faciat, si quis vero aptoque animi sensu legerit. Etenim ut scripturae genus non verba proponit, quae plana et perfecta pronuntiationis ratione animata sint, sed lectori relinquit, ut litteras quasi nudas ipse induat et expleat aptis vocalibus, eodem modo Scriptores Sacri plenum sensum, animum totum vix aperiunt, sed ut lector ipse inter legendum et considerandum afficiatur latente anima, fervore et spiritu, innuisse et exspectasse videntur. Neque voces singulae, quibus scatent Biblia, ut הִנֵּה, *ἰδού* et similia ita negligenda sunt, ut nostri omnino moris est, quod Syri rectissime observarunt. Porro transitus et connexus sententiarum plerumque solo fere accentu et vocis variatione indicari potest. Huc aliquo modo spectat, quod Epiphanius de pondd. et menss. dicit: „*Καὶ πρῶτον μὲν δεῖ εἰδέναι φιλολόγον*,

---

1) Conferendus est locus celeberrimus Ps. XCV, 7. היום אם בקלו תשמעו, ubi voci תשמעו praeter consuetudinem appositus est Sillukus.

2) Hunc accentum Bar-Hebr. monet Graece appellari ܦܐܪܟܘܛܘܢܘܣ, de qua voce dubitat Ewaldus. Est totus ni fallor *παροξύτονος*, nam proprium est huius accentus, ut syllabae primae apponatur. Ceterum in illo verbo conspicuum est, Syros litteris ܐ, ܝ, ܘ maxime Graecis in vocabulis pro vocalibus usos esse.

πόσα τυγχάνει ἐν ταῖς προφητείαις μέρη. Εἰς δέκα γε διήρυνται θεωρίας αἱ προφητεῖαι, οὕτως περιέχουσαι· διδασκαλίας, θεωρίας, προτροπάς, ἀπειλάς, ὀλοφυρμούς, θρήνους, εὐχάς, ἱστορίας, προῤῥήσεις." Decem signa respondere ait idem, in exemplaribus quibusdam adscripta. Etiam de Samaritanis monet Morinus, vir in MSS. Samaritanis versatissimus, occurrere notas apud illos quae interrogationum, exclamationum, ironiae, indignationis etc. videantur signa esse, quae tamen nec in diversis codicibus nec in eodem codice constanter observentur, sed modo hac modo alia figura usurpentur, modo plane omittantur.

Quae autem omnino est humanae mentis artisque perversitas, ut quae summa sunt et divina, negligantur, minima quaeque ambitiose et cum superstitione tractentur et explodantur, ita et Syri vix multum a Rabbinorum scrupulositate et scurrilitate abscedunt. Delectantur enim eiusmodi ludibriis Syri, ut contendant ex. gr., Gen. I, 1. vocem ܐܠܗܐ accentu Tachtoio instructam esse ad innuendam sententiam, Deum se humiliasse quum mundum crearet, et quae sunt eius generis similia. Omnia omnino verba accentu praedita erant in Bibliis atque tam artificiose nonnunquam distinctum est inter accentus similes eorumque vicarios, ut scholarum certamina et disputationes accentuum discrepantiae procrearent. Vix iam opus est, demonstrare convenientiam accentuationis Hebraicae cum Syriaca nostra. Etenim quattuor punctis maioribus respondent Hebraeorum distinctivi maiores; Tachtoio claudit sententiam priorem ut apud Hebraeos Athnach; dirimuntur autem segmenta minora per ב֔ ב֕ ב֒ ut apud Syros per Eloio et Schevaio. Quemadmodum in sententia brevi apud Syros tria verba signantur .ܒ ܒ݂ ܒ݁, simili modo apud Hebraeos בֽ ב֑ בּ, ut maxime fit in Psalmis in hemistichio secundo breviori. Habent accentus etiam vicarios suos ut apud Hebraeos ita apud Syros. Ne coniunctivi quidem prorsus desiderantur apud eosdem; ubi enim verba duo (in Graeco unum vocabulum formantia) copulanda sunt, sub finem prioris punctum infra apponitur, quod dicitur ܡܚܝܕܢܐ is qui unit, copulat (Bar-Hebr Nr. 24. 25.).

Quare aucta auctoritate punctationis Syriacae propterea quod Hebraica ab illa repetenda est, quaestio vix vitanda de eiusdem antiquitate. Monet Ewaldus, perfectam punctationem,

tum vocales quod attinet tum accentus, non reperiri in codicibus, qui saec. XII. antecedant. Sed magnopere erraverit, inde si probare quis voluerit, punctationem ipsam ante illud tempus non fuisse apud Syros. Etenim dubitari non potest, quin saeculo quinto vel sexto systema punctationis universum absolutum fuerit. Cuius rei haec sunt argumenta. I. Saeculo quinto Syri abierunt in Nestorianos et Iacobitas sive Syros orientales et occidentales. Quae in scriptura et accentuatione utrisque communia sunt, ea omnia habenda sunt pro antiquis. Tanta autem est consonantia inter grammaticam, ut de rebus tantum minutulis ambo partes discedant et ea est exemplarium uniformitas, ut tanquam insolitum quid moneat Iacobus, Ies. I, 4. in exemplaribus Edessenis accentuationem vulgarem (Iacobiticam) reperiri, in Nisibenis (Nestorianorum) occurrere accentum extraordinarium Rohto [1]). — II. In margine codicis recensionis Karkaphensis (de qua infra dicetur) occurrit vox ܡܫܐܠܢܐ, quae punctum semicirculum (?) significat, in textu appositum verbo, quod interrogative legendum est. Occurrit etiam nomen ܙܥܛܢܐ, quod Wisemano obscurum (qui ܙܥܛܬܐ scribit). Habes nomina accentuum in Cod. saec. X. In Cod. Guelpherbytano, qui est saec. VII, puncta accentuum haud pauca observantur (Poqudo, Goruro nec non accentus aliquot compositi). — III. Bar-Hebraeus de nonnullis accentibus sententiam profert Thomae Charklensis et Iacobi Edesseni (utpote Iacobita laudat nonnisi scriptores Iacobitarum); ergo saec. VI. exeunte accentuum et figurae et nomina et notiones fuerunt. Quid vero, quod exstat Iacobi ipsius grammatica in cod. manusc. bibl. Vaticanae, quae agit de personis, generibus, partibus orationis, tandem de punctis ܡܛܠ ܢܘܩܙܐ (Bar-Hebr. ܢܘܩܛܐ) [2]). Iacobus ipse quibus de punctis agat,

1) Simile est discrimen apud Iudaeos inter lectiones orientales et occidentales.

2) Wiseman. p. 32. Utinam accuratius Iacobi tractatum de punctis nobiscum communicasset Wisemanus! Loqui autem Iacobum de punctis Syrorum vulgaribus inde patet, quod Wisemanus pag. 183 monet: scimus, Iacobum puncta haec (quae ex unius alteriusve puncti positione sonum designant qualiaque adhuc hodie in libris tam manu exaratis quam editis conspiciuntur) ut aequivoca et erroribus obnoxia reiecisse et alia induxisse. Plura de Iacobo infra.

accuratissime exprimit, dicens: ܡܛܠ ܕܫܡ̈ܗܐ ܩܪܝܢ ܣܘܪ̈ܝܝܐ ܠܢܘܩܙ̈ܐ ܐܡܬܝ ܕܥܠ ܡܠ̈ܬܐ ܣܝܡܝܢ ܘܐܝܟ ܦܫܝ̈ܛܐ ܘܡܪ̈ܟܒܐ ܗܘܝܢ ܐܪܒܥܝܢ ܘܫܒܥܐ ܫܘܚܠܦܝ ܢܝ̈ܫܐ i. e. quippe „nomina“ vocant Syri puncta, quando supra verba ponuntur, et sive simplicia sive composita quadraginta et septem sunt varia signa. Miror, quod Wisemanus in translatione habet XVII signa. Enumerat Iacobus haec signa omnia in capite, quo data opera de iisdem tractat, ubi dicit, ex his praesertim pendere gravitatem et elegantiam s. expolitionem, quae sit in lingua. Eadem phrasi utitur antiquior Thomas Diaconus, cuius tractatum de punctis et interpungendi ratione sequitur Iacobus. Reperiuntur haec in codice celeberrimo, qui recensionem quoque Karkaphensem exhibet, ab Assemano B. O. II. p. 499. numero XXII. inter eos signato, quos Andreas Scandar ex Oriente attulit, nunc Cod. Vat. CLIII [1]). Satis vulgarem fuisse consuetudinem punctationis, probatur ex loco Moysis Aghelaei (a. 550), quem integrum infra proferemus, ubi dicit de versionibus suis Patrum Graecorum: „Si quid in syllabis aut in punctatione (ܣܘܡ̈ܟܗ [2])) peccatum erit, prudentes lectores decet errata legendo corrigere.“ Singulari tamen cura exercebatur punctatio in Bibliis atque erat hoc ipsum proprium munus et officium eorum, qui ܡܩܪ̈ܝܢܐ lectores periti modulationis dicebantur. Ita monet Bar Hebraeus, accentum Maschlemonuto traditum esse a lectoribus scholae Persicae, quo tempore illa Edessa depulsa sit (a. 488.); de alio accentu ipse frustra interrogat lectorem veteranum. Etenim sonus vocisque variatio, qua vel hoc vel illud recitari debeat, accurate ab illis docebatur et artis cuiusdam summam perfectionem in eo collocare solebant, ut Biblia publice omni qua deceat gravitate et elegantia legerentur. Schola illa Persica magna gaudebat fama; illuc Persae venerunt, ut Syrorum linguam profundissimam discerent; Syri igitur ipsi linguam suam ita tum

1) Codici annexus est etiam tractatus Epiphanii de punctis; de ponderibus et mensuris et de significatione litterarum alphabeti. Cf. Cod. XXVIII. ap. Assem. II. p. 502., qui continet Epiphanii librum de linguis et characteribus.

2) Idem verbum habes ap. Bar-Hebr. in gr. metr. pag. 5. vers. 30.

tractarunt, ut etiam alienigenis praecepta eius traderent. Quam ad rem opus erat grammatica. Eandem in urbem Syri divites ac nobiles filios suos delegarunt eum ad finem, ut linguae Syriacae pronuntiationem legitimam, elegantissimam ediscerent. Quare errare in eo non videmur, quod prioribus iam saeculis in scholis Syrorum grammaticam floruisse putamus. Neque Bar-Hebraeus ulla veritatis specie tradere potuisset, disputare inter se Graecorum et Syrorum grammaticos de accentuum inventione, nisi ad tempora eam memoriae antiquissimae retulisset.

Iam videas, quid inde redundet ad Hebraicae punctationis probandam antiquitatem. Timide quidem et verecunde in campum descendimus aleae plenum, in quo, mehercle, quot quantique viri desudarunt. Quare neque animum inducimus ad amussim omnia vocare et in tuto liquidoque posita relinquere, sed potius eam proferemus sententiam, quae postquam apud arbitros et auctores certissimos sollicite rem inquisivimus, consentanea nobis et probabilis videatur. De scripturae Semiticae ambiguitate non est, quod moneamus. Quare ars quaedam erat non solum scribendi, sed etiam legendi et proprium lectoris munus. Iam ante exsilium Babylonicum illi, qui סֹופֵר dicebatur, etiam officium demandatum erat, quae scripta erant, rite legendi. Baruchus, Ieremiae amanuensis, סֹופֵר dictus, postquam scripsit, et ipse legit librum a Ieremia ipsi dictatum (Ier. XXXVI, 10. 20.); in templo proprium erat conclave Scribae, ubi si quid legendum et ex Lege quaerendum fuit, Principes se congregasse videntur. In exilio Babylonico ars litteraria aucta est. Erant diversae gentes in imperio Chaldaeorum et Persarum coniunctae. Exteris et alienigenis etiamsi Syriace callebant, in legendo opus erat magistro. Quare Daniel et socii non solum linguam sed etiam ספר Chaldaeorum docentur. Maxime Esra hoc nomine excelluit. Etenim appellatur c. VII, 6. סופר מהיר et in ipso Artachsastae diplomate ornatur titulo: ספר דתא די אלה שׁ׳ גמיר (c. VII, 10. 12). Qua in gente in emtionibus, diplomatis etc. cautum est sigillis, testimoniis, Ier. XXXII, 10. sq., nonne putas, ibi curam quoque adhibitam esse, ut scripturae ambiguitas tollatur? Iam ad locum Nehemiae procedamus vexatissimum c. VIII, 8. Memorabile est, quod eadem vox מפרשׁ legitur Esr. IV, 17., ubi Rex Persarum scribit, epistolam sibi lectam esse מפרשׁ.

Fuit igitur terminus technicus, qui certum quendam legendi modum significabat, et adfuerunt Regibus scribae, qui et mandata ipsius scriptis consignarent et epistolas praelegerent. Revera opus maxime erat lectione distincta (מפרש) [1]) ut scripturae ambiguitate remota, ex linguae peritia, prout locus et ordo flagitaverint, tum voces variaeque formae rite distinguerentur tum sententiae partes probum ad sensum et sermonis elegantiam componerentur. Notissimum est, prout in Talmude versus explicetur, (cf. Buxtorfii Tiberias ed. sec. pag. 33.) מְפֹרָשׁ זה תרגום: וְשׂוֹם שֶׂכֶל אלו הטעמים: וַיָּבִינוּ בַּמִּקְרָא זה המסורת. Sane tria haec postulantur in Legis perito et scriba, primum ut sensum probe intelligat et clare proponat; deinde ut textum in legendo apte dividat suas in partes, denique ut singulas voces recta ratione pronuntiet. Sed de vocibus טעמים et מסורת res dubia est. Talmudistarum alii aliud hoc loco ponunt et Talmud Babylonicum discedit ab Hierosolymitano. Ubi Talmud Hieros. טעמים, ibi Babyl. habet פסוקים, a quibus distinguuntur deinde פיסוקי טעמים. Glossa R. Salomonis non dubitat quidem, explicare verba per accentus et puncta vocalia, sed Targumistarum ipsorum hac de re discrepantia monet, ut accuratius rem examinemus. פסוק טעמים occurrit etiam in illo loco, ubi quaeritur, liceatne accipere שכר פסוק טעמים, ubi glossa: pro eo quod docet punctationem et accentus. Et iterum alio loco legitur: Quare non abstergunt sordes manu dextra sed sinistra? Raf Nachman dixit: propterea quod ostendit ea טעמי מקרא של תורה. Id omnino negari non potest, טעמים apud posteriores fuisse accentus, qui dictionis cuiusque naturam et sensum ut sapor cibi indicent; sed quae sit genuina et primaria notio quaerimus. Posteriori tempore componuntur vulgo הניקוד והטעמים, puncta et accentus, sed priscis temporibus punctorum vocalium nulla est mentio. Tantum tria haec laudantur, utpote consuetudinis priscorum propria פסוקים — טעמים — מסורת. Ad vocem טעמים conferenda videntur

---

1) Ad vocem פרש cf. Dav. Kimchi: מנקדי הניקוד שמו הפרש וג׳ punctatores posuerunt discrimen inter praeteritum et participium in Niphal etc. Apud Arabes ipsa cantillatio تَرْتِيل dicta est a رَتَّل distinguere. Apud Syros ܦܘܫܩܐ consuetum est de distinctione sonorum et vocalium. Cf. Bar-Hebr. gramm. metr. Prooem. v. 34.

ההכריעים et ראשי הפסוקים [1]). Ni fallor, haec rerum ratio statuenda est. Ex Esrae temporibus Talmudistae repetunt consuetudinem *τοῦ* תרגום; eodem tempore eam curam in textum adhibitam esse asserunt, primum ut in פסוקים i. e. versus distribueretur, deinde ut versuum partes quoque minores, praeponderantes, versuum subdivisiones notarentur, denique ut ope Masorae lectio singularum vocum definiretur, versusque et litterae textus numerarentur. Certissimum omnino est, ex Esrae temporibus operam multam posuisse Levitas et scribas in textu sacro eiusque publica lectione et interpretatione. Tempore Talmudis de lectione vera s. simplici et de vera interpretatione non ambigitur, cuius traditionis constantis et firmissimae principia ne dubitemus ad tempora Esrae referre. Sed iam quaeritur, utrum traditione orali an signis quibusdam lectionem Scripturae docuerint atque quo tempore quoque modo orta sit accentuatio illa et punctatio, quae nostrorum codicum est. Id nemo inficias ibit, qui accuratius linguae Hebraicae indolem perspexerit, Masoretharum operam ex verissima subtilissimaque linguae observatione et cognitione promanasse. Postquam Ewaldus interiores linguae sensus gustusque aperuit, Hupfeldus autem rhythmicas leges explanavit, abunde liquet vel minimis in rebus Masorethas secutos esse eam, quae ipsius linguae est in formandis flectendisve vocibus, rationem et naturam. Viget autem in punctatione et accentuatione lex quaedam ponderis et libramenti (Dichotomie, Hauptton und Nebenton, Gleichgewicht und Gegengewicht) atque hac ipsa via ponderandi, dividendi, opponendi et componendi leges inventas esse puto accentuationis simul et punctationis. Pendet revera flexionis et formarum doctrina ex accentu et varia pronuntiatione (Umlautung und Ablautung). In voce מלך habes tria elementa; ubi accentum in syl-

1) Ad vocem טעם cf. locutiones in Esra obvias: שום טעם, בעל טעם. Respondere aliquo modo videtur Syr. ܦܬܓܡܐ. Liceatne, Rabbinicum פריגמא ab hac voce derivare? Ad vocem ההכריעים cf. Buxtorf., clavis Masorae c. VI. הכריע pp. est ponderis gravitate depressit, inclinavit lancem trutinae. — Doleo, quod numerus *τῶν* Pethgome in Psalmis notatus non est a Wisemano; suspicor, numerum Pethgome Syrorum, Pesukim Hebr. et *στίχων* Graec. non multum differre. In Talmude Psalmorum versiculi numerantur 5896. Buxt. Tiber. p. 43.

laba priore ponis, fit Nomen (מֶלֶךְ מַלְכָּה,) sin in syllaba ultima, est Verbum (מְלַךְ). Verbum clara voce si effers, est Perfectum, si sono superiore, strictiore s. arctiore est Infinitivus, Imperativus. Imperfecto praeformantur, Perfecto afformantur pronomina. Ubi in Perfecto medio in sermone (cum ו) accentum profers in syllabam ultimam, habes Futurum; retracto accentu ex Imperfecto fit Aoristus. Vocali graviore, densiore formantur Participia קוטל–קטול. Acue, condensa, fortiorem redde syllabam primam, et habes Verbi notionem frequentativam; extendas syllabam posteriorem vocali ־ִי, et causativa est significatio. Item in Nominibus est forma levissima, est et media et gravissima (מֶלֶךְ — דָּבָר — עוֹלָם). Ex vocali eius syllabae, quae habet accentum, pendet pronuntiatio syllabae antecedentis (Vorton) atque nova iterum lege mutantur vocales propter accentus sententiarum. Quare ex accentu et sonorum modulo consistit grammatica et legitima pronuntiatio. Ergo ubi primum accentuatio inventa est et leges rhythmicae observatae, facile etiam eo perventum, ut ad leges quasdam principales omnis revocaretur variatio formarum [1]). Quare Hupfeldum acu rem tetigisse puto, a vocibus פסוקים et טעמים exordium sumentem; nam ex distinctione sententiarum revera sese effudit punctatio universa. In libris historicis versus distincti sunt, sed in libris poeticis minora commata, quae idem fere valent quod Graecorum στίχοι, Syrorum ܦܣܘ̈ܩܐ. Ubi semel distinctum est in sententias, maxime in libris poeticis pronuntiatio rhythmica caesuras novas, pausas, interstitia et hiatus induxit atque coeptum est, versus secundum leges rhythmicas in caesa et segmenta distribuere in usum pronuntiationis congruae et elegantis. Etenim universa punctatio servit recitationi publicae et solenni. Quare ex פיסוקי טעמים originem duxisse puto פיסוקי הנגינות atque denique ipsa puncta הניקוד והטעמים (cf. glossa R. Salomonis Buxt. Tib. p. 34.). Atque id ipsum probatur Bar-Hebraei dicto, accentuationis universae quasi radices et elementa fuisse accentus illos

---

1) Bene in libro Sohar scribitur: „Non est litteris potestas inclinare in hanc partem vel in illam absque punctis. Litterae omnes sunt ut corpus sine anima, quum adveniunt puncta, tunc constituitur corpus in statura sua.“ Et alio loco: „Litterae sunt dictiones absque gustu (טעמי) et absque motu (תנועי).“

quattuor: Eloio, Tachtoio, Schevaio et Posuko [1]). Nam hac interpunctione distincta sunt membra sententiarum secundum leges rhythmicas atque inde factum est, ut per puncta superiora, inferiora et media omnis demum et vocalium et accentuum diversitas notaretur. Atque id sane admirandum est, quomodo Syrorum et Hebraeorum grammatici pronuntiationis leges, vocis in legendo flexiones, sonorum in declamando mutationes, oris denique in loquendo positiones accuratissime observaverint et punctatione sua ipsis oculis spectandas praebuerint. Ni fallor, rhythmicae leges ab Orientalibus prius observatae sunt quam grammaticae [2]). Ubi autem observatum est, quomodo in recitando vox per accentus sententiam universam ad leges ἄρσεως et θέσεως ordinet et dirigat, perrexerunt Grammatici ad similes sonorum leges (soni altioris et profundioris, fortioris et levioris) etiam vocalium varietatem revocare. Quam ad rem primum usi sunt puncto superiore et inferiore [3]), quae ei vocis syllabae s. litterae apposuerunt, cuius pronuntiatio aut altior fiat aut inferior, fortior aut levior. Denique ex puncto diacritico vocales formatae sunt, quum oris in pronuntiando officia varia grammatici animadverterent; atque ita demum vocalium puncta rationem plane phoneticam secuta sunt, sicut simili progressu accentuatio, quae primum logica fuit et rhythmica, in cantillationem et modulationem abiit, usque tandem aberravit in cantilenam.

Quo tempore Syri puncto diacritico uti inceperint, dubium est. Accentuationis initia, ut modo diximus, pervetusta videntur. Omnino viguit apud Orientales, sensus acerrimus legis rhy-

---

1) Ita patet, quomodo טעמים postea accentus ipsos significaverint. In V. T. Syriaco Londinensi fere oculis conspicere licet, quomodo punctatio et vocalium et accentuum orta sit ex quattuor his principiis .· — ·. — : — · Recte igitur dicuntur accentus illi quattuor ܦܘ̈ܣܩܐ, ex quibus ceteri omnes quasi rami derivati et propagati sunt, ut grammatici Syri docent.

2) Cf. Hupfeldus: „Die Empfänglichkeit der alten Kalligraphie für die leisesten Regungen des Rhythmus zeigt sich etc.“ Stud. und Krit. 37. pag. 849.

3) Cf. locutiones Latinas: altius intendere vocem; soni altiores, acutiores; voces inferiores, vox ima.

rhythmicae [1]), et quae aurium sermonisque facultas erat, flectere et modulari verba per accentuum et sonorum varietatem, eadem a grammaticis rectissime observata et ad regulam revocata est. Ea tamen studia eamque artem, quam proprie grammaticam dicimus, ad Orientales pervenisse putaverim a Graecis, quare punctum diacriticum, quod grammaticas formas distinguit, tum demum adhibitum mihi videtur, ubi Graecorum disciplina Syrorum aemulationem excitavit. Grammaticae studia, quae Alexandriae floruerunt, etiam in Mesopotamia tractata sunt. Seleucia asylum litterarum artiumque Graecarum a veteribus dicitur. Primis post Christum saeculis grammat'ca Graeca ubique cognita erat. Quare coeptum est illo tempore in Syrorum scholis, etiam Syriacae linguae leges et formas in ordinem quendam digerere; Persas Epiphanius dicit Edessam venisse, ut Syrorum profundissimam linguam in schola eius urbis celeberrima discerent. Ut autem Alexandrini grammaticam exercuerunt in Homero [2]), ita Syrorum et Hebraeorum grammatici linguae, pronuntiationis et interpretationis leges maxime in Bibliis exposuerunt. Inter Iudaeos primi Babylonii litteras Graecorum excepisse dicuntur. Quanta deinde scholarum fama et frequentia fuerit primis post Christum saeculis inter Hebraeos non minus quam

---

1) Cf. locum Hieronymi pag. 48. laudatum: „Si forte erraverimus in accentu, in extensione et brevitate syllabae vel brevia producentes vel producta breviantes, solent Iudaei irridere nos etc.“ Iacobus Edessenus in punctorum doctrina linguae et gravitatem et elegantiam sitam esse dicit (ܦܣܝܩܘܬܐ ܘܡܪܝܪܘܬܐ ܕܡܠܬܐ).

2) Praeter Alexandriam Pergamum, Rhodus, Ephesus sedes erant grammaticae. Cf. Rumpel, die Casuslehre, pag. 12.: „Das characteristische und der wahre Fortschritt dieser Epoche (der Alexandriner) beruht in der grammatischen Praxis, wie sie sich als Grundlage für die gelehrte Erklärung und Kritik der Schriftsteller, vor allen des Homer ausbildete. Diesen grammatischen Bemühungen haben wir die diplomatisch und grammatisch bewährten Texte der alten Autoren zu danken.“ Cf. etiam Bernhardy, wissenschaftl. Syntax der griech. Sprache pag. 27. de Apollonio. Inter libros grammaticos usitatissimos antiquos a Pachomio abbate recensentur tractatus *Σωφρονίου πατριάρχου*, *Ἰωάννου γραμματικοῦ τοῦ Χάρακος*, *Σεργίου ἀναγνώστου Ἐμεσινοῦ εἰς τὰ Αἰλίου Ἡρωδιανοῦ*, *Θεοδωρήτου* etc. (Rumpel l. c. pag. 17.), unde patet, quanti grammatica habita sit in Oriente et quibus a viris exculta.

Syros, satis inter omnes constat [1]); quare quum Syri saeculo sexto et septimo perfectum punctorum systema habuerint, cuique verisimile erit, non multo post accentuationem Hebraicam factam esse. In Talmude quidem nulla fit „punctorum“ mentio; at vero פיסוק טעמים quod dicitur, comprehendere mihi videtur universam pronuntiationis doctrinam [2]), aeque atque Hieronymus vocales nominat accentus. Hieronymi exemplar vocales non habuisse facile concesserim, ut omnino nefas putabatur, punctis Biblia instruere; vix tamen Hieronymus de accentibus ut solet locutus esset, nisi compertum habuisset, Hebraeos per accentus i. e. puncta varietatem pronuntiationis in scholis docere [3]). Bi-

---

1) De scholis Hebraeorum in Babylonia vide Fürst, Cultur-Gesch. etc. pag. 63. sq. Magistris celeberrimis maxime Nahardeae adfuerunt vel octingenti discipuli. Artes mundanae summo studio ad normam Graecorum tractabantur.

2) טעמי תורה in glossa R. Salomonis explicantur: נגינות טעמי מקרא בין בנקד בין בהגבהת קול i. e. accentus Scripturae tam in punctatione quam elevatione vocis. Memorabilis etiam locus Megillae c. 4. fol. 32 a.: כל הקורא בלא נעימה וג׳, qui legit scripturam sine modulatione etc. Auctor libri מאור עינים ad Talmudis locum in Neh. VIII, 8: „Non est dubium — ait — quod locutiones illae inclinant magis ad credendum, intentionem Talmudistarum fuisse de figuris accentuum simpliciter et non de sono duntaxat.“ Vix potuit grammatica et punctatio doceri, nisi notas accentuum adhibuerint οἱ γραμματεῖς, licet nefas habuerint, Biblia ipsa iisdem instruere.

3) Loci Hieronymiani satis vulgati sunt, in quibus „pro varietate accentuum“ idem verbum vario modo verti dicit, ex c. ad Ierem. I. שקד si varietur accentus, et nucem significat et vigilias. Accentus apud Hieronymum idem significat quod טעמים, postea נקוד וטעמים, Syr. ܢܘܩܙܐ. Phrasis „declinato accentu“ respondet Syriaco ܢܩܝ. Omnino termini grammatici conveniunt inter Syros et Hebraeos (v. supra נעימה). Hieronymus fortasse Graecis vel Latinis litteris ex doctrina Rabbinorum sibi notaverat, prout textus Hebraeus legendus sit, ut factum erat in Origenis Hexaplis. Etiam quod dicit: „Hebraei in medio vocales non habent“ punctorum rationem innuere mihi videtur, quamvis id derideat Hupfeldus. Neque deridendum est, quod Buxtorfius monuit, cavisse sibi Hieronymum, ne Hebraeorum omnia exponeret. Audias Hieronymum se defendentem adversus Rufinum: „Mihi non licebit, disputare de verbis et in commentariorum opere Latinis docere, quod ab Hebraeis didici? Nisi enim et prolixum esset et redoleret gloriolam, iam nunc tibi ostenderem, quid utilitatis habeat magistrorum limina terere et artem ab artificibus discere, et videres, quanta sylva sit apud Hebraeos ambiguorum

bliorum exemplaria ipsa tum demum punctis exornata esse videntur, quo tempore etiam Talmudem litteris consignare amplius non dubitarunt Iudaei, id quod suadet systema punctorum ipsum accuratissimum et ex Syriaco derivatum. Ceterum non video, cur Rabbinorum traditio spernenda sit, doctores Tiberiadenses textum biblicum punctasse. Ita ex. c. Aben Esra scribit: „Ad punctatores (המנקדים) quod attinet, est eis mos punctandi Scheva sub Thau. Et sic est mos sapientum Tiberiadis, כי מהם היו אנשי המסרת ומהם קבלנו את כל הניקוד." Idem alio loco (ad Ex. XXV, 31.): „Et vidi codices, quos inquisiverunt (שבדקום) sapientes Tiberiadis et iuraverunt quindecim ex senioribus illorum, quod consideraverint omnem vocem, omne punctatum (נקידה), omne plenum et omne defectivum et tamen est Iod in תיעשה." Et plane ad veritatem tradidisse puto Aben Esram (Area Aromatica c. 26.): „Quum licuit Legem ore traditam describere, eodem tempore necessitatis etiam causa licuit similiter docere figuras punctorum et accentuum scribendo (בכתב), quum antea eos praeceptor doceret et ostenderet discipulis (מודיע לתלמידו)."

Redeundum est ad Syros. Studia grammatica maxime floruerant Edessae in schola Persica. Sed post exterminatos primum Persicae scholae doctores et alumnos, deinde omnes omnino

---

nominum atque verborum." Et alio loco: „Quodsi Demosthenes in una littera fecit exprimenda, ut a cane rho disceret, tu in me criminaris, quare homo ab homine Hebraeas litteras didicerim?" Item: „Audio praeterea te quaedam de epistola mea philosophice carpere et hominem rugosae frontis adductique supercilii Plautino in me sale ludere, quod Barrabam Iudaeum dixerim praeceptorem meum." De loco Clementis Alexandrini dubito, utrum de V. T. textu Graeco an Hebraeo agatur (Strom. l. III. p. IV. pag. 529. ed. Potter): „*Οὗτοί εἰσιν οἱ κατὰ τὴν ἀνάγνωσιν φωνῆς τόνῳ διαστρέφοντες τὰς γραφὰς πρὸς τὰς ἰδίας ἡδονάς, καὶ τινων πρωςῳδιῶν καὶ στιγμῶν* (accentuum et punctorum) *μεταθέσει τὰ παραγγελθέντα σωφρόνως τε καὶ συμφερόντως βιαζόμενοι πρὸς ἡδυπαθείας τὰς ἑαυτῶν.*" Agitur de lectionibus *ἔκ τινων προφητικῶν περικοπῶν.* Dubius est etiam locus Philonis (de nomm. mutat. ed. Colon. pag. 816.): „*Ὑπονοεῖν ἄξιον, ὅτι μέρη τῶν ὀνομάτων ἢ συλλαβὰς ἢ γράμματα οὐ φωνήεντα μόνον ἀλλὰ καὶ ἄφωνα* (vocales et consonantes) *αὐτὸς* (Moses) *προςετίθει καὶ μεθήρμοζε.*" Sermo est de nomine *Ἀβραάμ* et *Ἀβράμ.*

Nestorianos et Orientales [1]), condita est schola Nisibena, in qua saec. V. VI. et VII. fundamenta esse iacta putamus eius pronuntiationis, quae ex illo tempore apud Nestorianos invaluit. Biblia summo studio tractabantur [2]). Quum quarti et quinti saeculi scriptores maxime V. T. libros commentariis illustrassent, coeperunt etiam Novum Testamentum libris multis interpretari. Narses, scholae Nisibenae rector, cythara dictus Spiritus Sancti, commentarios scripsit in V. T. [3]). Eius aequalis Barsumas, episcopus Nisibenus, edidit ܬܘܪ̈ܓܡܐ i. e. homilias in Evangelium diei currentis soluta numeris oratione. Narsetis discipuli Ioannis Beth-Rabanensis quaestiones laudantur in V. et N. T. Eodem fere tempore Mar-Abas patriarcha, qui Nisibi linguam Syriacam, Graecam vero Edessae didicerat, totum V. T. ex Graeco transtulit in Syriacum idemque commentarios edidit in utriusque Testamenti libros [4]). Post Narsetem Hananus Adiabenus floruit, scholae Nisibenae magister, qui ei canones dedit (Assem. III, 1. pag. 82.) multosque commentarios scripsit (ex. gr. in Marcum et epp. Pauli), quorum tamen pars magna repudiata est propterea quod Theodoro Mopsuesteno contradixerat. Tanta enim erat huius auctoritas apud Nestorianos, ut hanc ipsi legem sancirent: „Sententiae omnium nostrum, episcoporum orien-

---

1) Asclepius, episcopus Edessenus (522) expulit monachos orientales eorumque sodales, quod videlicet Chalcedonense concilium respuerent. Illi igitur monachi ܕܕܝܪܐ ܪܒܐ ܐܦ ܡܫܡܗܐ ܕܡܕܢ̈ܚܝܐ ܕܐܘܪܗܝ monasterii magni et celeberrimi Orientalium in urbe Edessa — Monophysitae erant, de quibus conferas Dionysium narrantem Assem. I. pag. 411.

2) Cf. supra pag. 124. 128. Narses „lectionem" et scientias docuit. Lectori iterum conferendam commendo epistolam Symeonis Beth-Arsamensis, unde cuique facile patebit, tunc temporis Edessae congregationem et academiam fuisse virorum eruditissimorum. Scholae illius alumni plurimi episcoporum et magistrorum munera nacti sunt in Perside.

3) Narses in cantico supra laudato Christum maxime eam ob causam celebrat, quod genus nostrum i. e. naturam humanam ad culmen Deitatis pertulerit. Sapienti sat.

4) Vide supra pag. 130. Simplex antiqua V. T. canonicos tantum libros continuit. Sed ex illo tempore inter Nestorianos partim reiecti nonnulli et libri apocryphi inserti.

talium fundatae sunt super fidem patrum trecentorum decem et octo; in expositione autem scripturarum sanctum Theodorum sequimur.“ Et alibi: „Commentariis Commentatoris magni omnino inhaerendum; qui vero iis quoquo modo repugnaverit aut aliter senserit, anathema sit“ (ibidem pag. 84.). Erant autem iam pridem commentarii Theodori translati in sermonem Syriacum ab Iba Edesseno[1]) (+ 457) necnon Aristotelis scripta a Cuma et Probo. Hananus octingentos discipulos habuisse fertur. Eodem tempore Paulus Nisibenus, Mar Abae discipulus, scripsit commentarios in Scripturam (ܦܘ̈ܫܩܐ) et Babaeus Archimandrita. Patet ex his omnibus, illo tempore litteras apud Syros ita excultas fuisse a tot tantisque viris, ut Nisibena schola recte academia dici possit omniumque disciplinarum magistra. Iam vero, si fides habenda sit Bar-Hebraeo, ad Iosephum usque Huzitam[2]), Hanani successorem, servata est Edessenorum legendi consuetudo[3]); ab illo autem vel inducta vel restituta, ut mavult Assemanus, communior et antiquior ratio Chaldaeorum. Nestorianos per a legisse, quae Iacobitae efferunt per o, ex ipsis eorum codicibus probatur. Legitur enim in quibusdam codicibus ex. gr. ܡܰܠܟܘܬܐ[4]), neque dubium, quin in vocibus ܠܥܳܠܰܡ, ܐܰܠܳܗܰܢ etc. vocalis (ܰ) apud illos per a legenda sit. Idem vel clarissime patet ex punctationis specimine, quod Hanebergius (Z. d. D. M. G. III, 2. pag. 241.) proponit, ex. c. ܗܘܰܘ; scribiturque Petocho, ubi secundum Maronitas Zekofo exspectares ex. c. ܦܰܬܟܪ̈ܶܐ. Eadem pronuntiationis diversitas apud Hebraeos observatur et Arabes. Etiam vix fines circumscribi possunt eius regionis, in qua alterutra pronuntiatio familiaris fuit. In Mesopotamia, Syria Antiochena et Damascena antiquis tem-

1) De Aristotele Bar-Hebraeus in Chronico pag. 59.: „Commentarii in Aristotelis libros, qui a Graecis et adhuc a Syris atque Sarazenis optimi habentur.“

2) Magnam doctrinae laudem ille assecutus est editis mille nongentis tractatibus. Dictus est ܚܙܝܐ i. e. videns, propheta.

3) De Iacobitarum pronuntiatione τοῦ Olaph finalis cf. Barsalibaeum in praef. in Matthaeum ap. Assem. I. p. 379.

4) Ewald Abhandlungen pag. 78.

poribus ubique puto viguisse pronuntiationem Chaldaeam. Eam enim ad rationem Syriacas voces notarunt Iosephus (Ἀσαρθά, Bezetha etc.), Plinius (Nahar Malcha), Hieronymus (Elain, Essaitha), Epiphanius (Sabitha)[1]), Theodoretus (Adamtha), Eusebius Emesenus[2]), alii. Sed supra (pag. 48.) vidimus, apud Phoenices fuisse aliam pronuntiationem ad sonos obscuriores declinantem, quare non mirum, quod apud Syros in Libano et Antilibano habitantes eadem ratio viguit. Sed ni fallor etiam in Armenia simile quid statuendum est; cf. nomina גוזן (Gazene), הורמני, חבור et Plinius scribit, Tigrim superiorem vocari Diglito (l. VI, 31.). Addas nomen montis Tauri (טורוא in Ionathanis paraphrasi). Quare iam ita statuendum videtur, in regionibus montanis Phoeniciae, Syriae superioris et Armeniae eam pronuntiationem locum habuisse, quae inter Syros Edessena dicitur. Porro linguarum variarum historia probatur, sonos clariores et altiores temporis abusu obscurari, quare apud Syros simili modo saec. quarto et quinto pronuntiatio declinasse videtur ad serioris temporis rationem[3]). Ita in paraphrasibus posterioribus nonnunquam vocalis o loco a legitur (נופעין, אפורשי vid. Dietrich l. c. pag. 5.). Schola Edessena paulatim eandem in legendi rationem abiit, quum Nisibenae scholae rector, Iosephus Huzita antiquum morem retinendum esse censeret. Ex illo igitur tempore scholarum discrimen ortum est inter Syros. Alias regulas Edesseni secuti sunt, alias Nestoriani s. Syri orientales. Etiam in punctatione librorum diversitas observata est. Distinguebantur exemplaria Edessena et Nisibena. Accentuatio fere iam absoluta fuisse videtur, quo tempore duas in partes itum est; sed in vocalium appositione maior apparet differentia. In Iacobitarum libris vocalium signa omnino non sunt ita multa; punctum diacriticum adhibetur; ubi ambiguitas flagitaverit, pun-

---

1) Epiph. de pondd. et menss. sub finem. Eadem vox legitur in Etymologico Gudiano. Cf. Dietrich de serm. Chald. proprietate pag. 8., quem Epiphanii locus fugisse videtur.

2) Ad Genes. XIX, 13.: „Σηγώρ — ἀλλαχοῦ δὲ ἡ γραφὴ Σώγορα καλεῖ, ὁ δὲ Σύρος Ζάαρι καὶ Βαλά.

3) De vocali Zekofo singularem tractatum olim scripsit Dan. Schwenterus. Cf. ex antiquioribus Danzium, Gr. Hebr. pag. 45. sq. Eiusdem aditum Syriae reclusum. Pfeifferum, Exotica N. T. (dubiis vexatis annexa).

cta composita maxime ܒ݂, rarius ܒ݁ adscribuntur; sed apud Nestorianos punctatio accuratissima exculta est, ut supra vidimus.

Sed audiamus Syrorum ipsorum aliquem scriptorem, doctrinae laude suo tempore clarissimum de hac pronuntiationis discrepantia canentem. Bar-Hebraeus in grammatica metrica (ed. Bertheau p. 3.) de differentia vocalium monet, secundum sermonem principalem Syriaco-Edessenum vocales quinque cognosci, Petocho (a) Zekofo (o) Rebozo (e) Chebozo (i) Ezozo (u); orientales vero, filios veteres Chaldaeorum vocales Petocho et Zekofo eodem sono (a) proferre, cum Petocho autem litteram duplicare, unde apparet Zekofo a longum, protensum apud illos fuisse, Petocho autem a breve [1]). Porro scribit Bar-Hebraeus, orientales diphtongum au legere per o (ܬܘܪܐ), neque vocem ܠܘ legere „non" neque vocem ܟܐܦܐ per Chebozo sed Rebozo. Quare iam haec fuit Syrorum orientalium pronuntiatio, ܒ a ut Hebraeorum Patach, ܒ, ā (Kamez), ܘܒ ō (Cholem) ܘ ū (nun, ut placet etiam Berthavio) ܠܒ ē. Inde lucem accipiunt, quae supra de punctis ܘ, ܘ et ܘ, ܒ et ܒ ex ipsis codicibus protulimus. Sed apud Nestorianos quoque accuratam pronuntiationem antiquam in oblivionem iam venisse innuit Bar-Hebraeus, quum moneat, puncta (ܢܘ̈ܩܙܐ) eos permulta ponere, in sermone autem nunquam distinguere et alias etiam vocales praeter quinque illas numerare, quarum mentionem fecerit Iacobus Edessenus (cf. Iacobi locum supra laudatum). Chaldaeorum systema complectebatur igitur vocales plures ut illud Hebraeorum. Fatetur ipse Bar-Hebraeus, orientales, quos ܡܕܢ̈ܚܝܐ appellat, filios veteres esse Chaldaeorum, eorum igitur pronuntiationem esse antiquissimam. Tamen propter nomen Zekofo, quod in sonum o (clarum et altum) quadrare magis videtur, quam in vocalem a, opinio Bar-Hebraei aliquam veritatis speciem accipit, in Edessena schola viguisse

---

1) De duplicatione litterae post vocalem Petocho satis obscura sunt, quae scribit Bar Hebraeus, neque Berthavium rem absolvisse puto. In syllaba composita littera sequens duplicari non potuit, sed in syllaba aperta illam legem viguisse apud Chaldaeos, satis constat, ita ut Allaha, schemaiia, kaddischa etc. legerint (Paddan, *Χαῤῥαν*, *Σαῤῥα* etc.).

morem Syrorum occidentalium. Statuamus igitur, saec. IV et V. in schola Edessena declinasse pronuntiationem ad sonos eos, qui postea probati sunt Syris omnibus occidentalibus; Iosephum Huzitam autem in schola Nisibena antiquum Chaldaeorum morem in Oriente nunquam plane abrogatum restituisse. Iosephus enim patria erat Huzita, ergo Chaldaeus, Orientalis. Quod postea apud Iacobitas vocalium numerus diminutus est et grammatica mutata, maxime factum est ob invectas Graecorum formas, ut infra videbimus.

Altera inter Iacobitas et Nestorianos differentia haec est, ut illi terminationem femininam pers. 3. in Verbo servent, Nestoriani autem eam corripiant. Id in antiquissimo codice (apud Adlerum III.) ipsa manu Iacobitae cuiusdam monitum est [1]). Postea et ipsi Iacobitae syllabas has finales scripserunt quidem sed non legerunt (Bar-Hebr. gramm. metr. cap. II. v. 179 — 185.: „de eo, quomodo verbum sing. et plur. par sit sono non figura scriptionis" v. 186 — 196.: „de eo, quomodo par sit verbum quod ad masc. referatur et ad feminam sono non figura scriptionis"). Eadem in codicibus diversitas obtinet, vide supra pag. 155. In versione quoque Philoxeniana scribitur in plerisque codicibus illud ܝ finale, in codice autem Bar-Salibaei omittitur [2]). Hottingerus non dubitat, quin Syri ut alia multa hanc vocales quasdam ulteriores absorbendi consuetudinem ab Arabibus mutuati sint. Sed simile quid in plurimis linguis temporis successu factum videmus. Vocales ܝ et ܘ in Verbo finales olim non otiosas fuisse, etiam Wisemanus ex punctatione Karkaphensi probavit (pag. 193.), sed omnes paulatim Syrorum partes denique abiecisse videntur syllabas has postremas.

Saeculo VIII. abolescere coeperunt apud Nestorianos litterarum studia. Quae enim saec. VIII. et sequentibus ex Nestoriarorum castris prodiit satis larga librorum seges, in iis

1) Nota marginalis: „Omnia nomina fem. gen. scribuntur cum Iud, in singulari sine punctis, in plurali cum duobus punctis." Item: „In exemplis nostris Iacobitarum exprimitur Iud in fine verbi fem. gen., non vero apud Nestorianos." Cf. etiam Kypkii recensio codicis Ms. Syro-Arabici Regiom. 1746. p. 4. de forma ܩܛܠ ommisso finali ܘ sive ܝ.

2) Cf. White tom. I. in annotationibus.

maxime tractatur commendatio monasticae vitae et ecclesiasticorum rituum expositio [1]). Sic a Iesuiabo Adiabeno compositum est Nestorianorum breviarium s. divinum officium ܦܢܩܝܬܐ (πίναξ) s. ܦܢܩܝܬܐ ܕܚܘܕܪܐ tomus circuli dictum, eodem fere tempore quo Ananiesus monachus Paradisum scripsit, librum in omnibus Orientis monasteriis receptum et celebratum [2]). Eadem omnino incessit studiorum ratio, quae in Europae monasteriis medii aevi fuit; historia ecclesiastica scribebatur legendorum et martyrologii forma; in Biblia catenae colligebantur ex scriptis patrum; divina officia onerabantur et obscurabantur canonibus et institutis recens inventis, et quae olim emicuerat in intellectu simplicitas et sobrietas, in vita gravitas, in studiis alacritas, in litteris dignitas, obfuscabatur indies ea omnium rerum perversitate, quam qui sanae est rationis gaudetque veritate, non potest quin fastidiat. Neque tamen prorsus abrogata sunt litterarum biblicarum studia, in minutiis eo acrius excitata, postquam rerum medullam amiserunt. Biblia quanta cura, qua litterarum venustate et gracilitate, quam accurata punctorum observatione Nestoriani postea transscribere soliti fuerint, videre licet ex codice elegantissimo illo in bibliotheca Propagandae Romae servato. Neque enim de sententiis, sed de verbis, neque tam de verbis, quam de verborum formis solliciti disputarunt inter se Iacobitae et Nestoriani, atque intelligerentne Evangelia vix curantes, inquisiverunt quo accentu hoc illudve verbum Scripturae insigniendum et publice recitandum sit. Atque id quum necessitate quadam evenire soleat, ut qui omnia nescio qua subtilitate distinguere et definire voluerint, tandem caligine se ipsos obruant suisque telis irretiant, idem grammaticis accidit Nestorianorum (nec non Iudaeorum), ita ut posteriores saepenumero dubitaverint, quid sibi voluerint doctores antiqui. Ex Nestorianis scripsit grammaticam hodieque in M. S. superstitem inter alios Elias episcopus Nisibenus (c. a. Chr. 1000), cuius tractatus

1) Post Iosephum Huzitam scholae Nisibenae praefuerunt Mar Abas, Paulus, Iesuiabus Arzunita, Abraham Cheddadi, Hananus, Iesuiabus Gudalensis et Adiabenicus, de quibus consulendus Assemanus in Tom. III.

2) Assem. l. c. pag. 146. Codd. Vat. CCCLXXII—VII. Maii coll. nova t. V.

Ioannes bar Zugbi (1200) grammaticae suae inseruit [1]). Ita ipse incipit Elias grammaticam suam, ut memoret, Hebraeos, Syros, Persas, Aethiopes, Arabes, alias gentes non habere litteras, quae sufficiant ad expressionem dictionum; id ergo grammaticam supplere, ut punctis signisque diacriticis scriptura repraesentet accuratam et legitimam linguae formam. Quare agit ille de litteris quae moventur et de quiescibilibus, de litteris radicalibus et servilibus, de asperis et lenibus, de litteris quae occultantur, quae invicem permutantur, de punctis, quae pluralem numerum indicant, de pronuntiatione litterarum etc. Agit etiam Elias de nominibus punctorum discernentium, quae magna dicuntur, i. e. de accentibus. Et alii grammatici laudantur a Ioanne bar Zugbi, Iesudenah episcopus, Achudemes, Ioannes medicus. Ipse quidem Ioannes bar Zugbi grammaticam disposuit ita, ut de orationis elementis, de nomine, verbo etc. singulis capitibus quaereret [2]). Scripti sunt etiam commentarii in difficiliores voces in Scriptura et patribus obvias; Ioannis bar Phincaie laudatur opus ܦܘܫܩ ܡ̈ܠܐ inscriptum, i. e. expositio vocum S. S. [3]). Latet vero grammatica Nestorianorum partim in scriniis et monasteriorum cubilibus, partim sui ipsius in oblivionem venerat eo tempore, quo scriptis mandabatur. Etiam in Lexicis, quae illo tempore scripta sunt, ratio habetur locorum Scripturae. Lexicon dictum est (Gesenius de Bar Alio pag. 14.): Explicatio vocabulorum usitatorum [4]) Syriacorum Graecorumque et

---

1) Assem. l. c. pag. 307. 265. Exstat huius grammaticae M. S. in cod. Syr. Eccheli. 27., qui et alios tractatus continet ad grammaticam pertinentes.

2) Assem. I. pag. 578.

3) Assem. III, 1. pag. 190. Ananiesus monachus scripsit de significatu et usu vocum difficiliorum apud patres. Ib. pag. 146. In codice 27. Ecchell. exstat tractatus exhibens distinctionem vocum scriptura similium, ex quo Assemanus hoc dat specimen: ܬܪܫܝܫ lapis albus et splendens; ܬܪܫܝܫ urbs et portus Sinarum. Bar-Hebraeus grammaticae metricae subiunxit tractatum de vocibus aequivocis ordine alphabetico, qua de re alios multos Syros auctores tum Nestorianorum tum Iacobitarum scripsisse dicit, Iosue bar Nun, Honain medicum, Isaacum filium, Iosephum Huzitam et Eudochum Melitinensem.

4) ܡܫ̈ܬܡܫܢܝܬܐ Gesenius vertit: vocabula usitata (?). In Lexico Ca-

vocabulorum peregrinorum varii generis, quae reperiuntur in libris, difficilium in facilia, Graecorum in Syriaca, Syriacorum in Arabica etc. Post saec. XII. evanuit prorsus Nestorianorum doctrina et disciplina. Bennatibus Nestorianus, Bar-Hebraeo aequalis, patriarchas Nestorianorum redarguit, quod eruditionem ecclesiasticam negligerent. Ebediesus Sobensis fere ultimus est inter Nestorianos, eruditionis fama clarissimus (St. Evod. Assem. catal. Catholicorum pag. 49. sq.). Quare quo tempore Nestoriani cum ecclesia Romana foedus inierunt, ne ea quidem reperta est apud illos facultas, ut libros suos artesque antiquas satis exponere potuissent.

Cap. V.

Textus sacri forma quae fuerit apud Iacobitas.

Inter codices Richianos, nunc Museo Britannico traditos recensitae sunt a viro doctissimo, Sam. Lee, Arabicae linguae apud Cantabrigienses professore, versiones biblicae Nestorianorum et Iacobitarum. Mirandum sane est, quod quamvis tot Nestorianorum et Iacobitarum codices in bibliothecis satis diu latuerint, tamen ad nostra usque tempora non dubitationes solum sed errores viguerint de varia textus sacri forma apud Iacobitas et Nestorianos. Wisemanus primus nebulas plane dissipavit. Idem omnino est Iacobitarum et Nestorianorum textus. Alia tamen est studiorum biblicorum historia, alia quoque textus forma externa apud utrosque. Atque de his nunc nobis agendum est.

Nestoriani, nulla prorsus cum Occidentalibus iuncti societate suisque legibus indulgentes, quum textus N. T. Graeci nulla fere habita ratione versionem antiquam Simplicem in omnibus authenticam haberent, id tantum curarunt, ut quomodo linguae Syriacae genio aptum et concinnum videbatur, textum sacrum accuratissime vocalibus accentibusque animarent. Longe

---

stelliano vox ܡܩ̈ܦܣܬܐ redditur: Coagmentationes syllabarum, pronuntiationes articulatae ac distinctae. Adiectivum est: utilis, necessarius etc. — De Lexicis, quae hodie apud Maronitas circumferuntur, vid. Z. d. M. G. vol. II. fasc. 3. p. 374.

vero aliter Iacobitae. Edessae semper floruit lingua Graeca; qui Antiochiae et in Syria occidentali vivebant, homines quasi bilingues Graecis litteris non minus vacabant quam Syriacis [1]). Tanta apud illos non erat versionis reverentia, ut textui originali eam praetulerint; sive rectius ut dicam, Biblia Graeca sequebantur, nam in V. T. versio LXXviralis pluris habita est quam textus Hebraeus. Ita factum est, ut quod omnium erat Syrorum studium circa litteram sacram accuratissimum, apud Iacobitas non tam in versione antiqua acquiesceret quam in versionem alteram eamque exactiorem, imo vero exactissimam elaborandam inclinaret. Suasore Philoxeno, Monophysitarum chorago, urbis Mabug s. Hierapoleos episcopo a Polycarpo chorepiscopo Novum Testamentum cum Psalmis ex Graeco iterum translatum est in Syriacum (a. 508.), quae versio vulgo Philoxeniana vocatur [2]). Exstat in multis codicibus manuscriptis, neque tamen ea, qualis a Polycarpo scripta est, sed recognita et notis aucta a Thoma [3]), qui originem ducens ex urbe Heraclea in

1) Aegyptios nunquam Graecitatis colorem plane assecutos esse, monent scriptores veteres. Sed Syrorum tanta erat linguae Graecae peritia, ut fere origine Graeci esse viderentur. Omnino fuit Syrorum magna linguarum facultas.

2) Vetus Testamentum ad fidem versionis Graecae translatum est ut videtur a Paulo Telae episcopo. Cf. librum meum de Ierem. vers. Alex. pag. 43. Versio Hexaplaris vulgo dicitur; nam secundum epigraphen libri IV. Regnorum facta erat ex libro, „qui sumtus erat ex opere Heptaplorum i. e. septem columnarum bibliothecae Caesareae Palaestinae. Et collatus est accurate cum exemplari septem columnarum, cui subscripta erant haec: Eusebius emendavi, Pamphilo collationem instituente.“

3) Cf. Bar-Hebraeus in Chron. ap. Assem. II, 334.: „Thomas Heracleensis, coenobii Taril monachus, qui a puero litteris Graecis excultus postea Mabugi episcopus fuit; exagitatus autem a Domitiano Melitinensi in Aegyptum profectus est habitavitque Alexandriae in sacro Antonianorum monasterio, ubi memorabili diligentia sacrum Evv. codicem et reliquos N. T. libros admodum exacta et accurata emendatione restituit post primam versionem Philoxeni studio elaboratam.“ In eo errasse videtur Bar-Hebraeus, quod Thomam episcopum dicit Mabugi, quum Germaniciae fuerit prope Mabugum. Porro non silentio praetereundum est, quod de Thomae et persona et aetate omnino ambigitur. Cf. Assem. II, pag. 91. sq. 411. White in editione Philox. et I. D. Michaelis Einl. pag. 421. Ex epigraphe versionis Charclensis vulgo traditur facta esse versio Thomae a. 616, a quo non multum discedit auctor anonymus vitae Tho-

regione Palaestinae, dein functus aliquod temporis episcopi munere Germaniciae prope Hierapolim, postremo Alexandriam in monasterium Antonianorum se recepit, ubi versionem Philoxenianam ad tria exemplaria Graeca accuratissima et correcta contulit „eorum in usum, ipse ut ait, qui diligant quaerantque utilem et exactam divinarum scripturarum integritatem nosse et custodire.“ Id factum est a. Chr. 616; versio Polycarpi exinde Charclensis s. Heracleensis dicta [1]). Edita est sub nomine versionis Philoxenianae tomis quattuor a viro strenuo et doctissimo, I. White ex codicibus Ridleyanis (Oxonii 1778). Polycarpus et Thomas [2]) Graecum exemplum presse secuti verbum de verbo reddiderunt tantamque suo in negotio adhibuerunt curam et diligentiam, ut fere singulam quamlibet particulam expressam et conservatam reperias verborumque collocationem retentam, ita ut ipsissimam Graeci textus imaginem ܡܦܩܬܐ ܫܪܝܪܬܐ pro-

---

mae apud Assem. II. pag. 91. Sed Bar-Hebraeus iam suspicionem movit, ubi Mar-Abam Nestorianum tradit cum Thoma Edesseno Biblia vertisse et cum eodem Alexandriam se contulisse, videaturne idem esse hic Thomas qui Thomas Charclensis. Illo tempore (c. a. 530.) Thomam, Germaniciae episcopum, vixisse ex Dionysii Chronico constat. Quare I. D. Michaelis statuit versionem Philoxenianam a Thoma emendatam esse Alexandriae anno fere Chr. 530., iterum autem collatam a. 616. a viro alio (qui fortasse et ipse nomen Thomae Syris admodum vulgare gessit). Cui sententiae id favet, quod in versionis epigraphe in nonnullis codicibus legitur: I t e r u m collatum est a. 616. Omnino huius epigraphes magna est in codicibus varietas et perturbatio. Cf. locum Moysis Aghelaei pag. 191.

1) Cf. Bernstein, de Charclensi N. T. translatione Syriaca. Vratisl. 1837.

2) Thomam Philoxenianam versionem non contulisse solum cum exemplaribus Graecis sed in aliam plane formam retulisse, probat Wisemanus ex fragmentis paucis Philoxenianae versionis pag. 178. Polycarpus liberius verterat, Simplicem, ubi potuit, secutus, Thomas plane rigorosus fuit in eo, ut Graecam litteram in omnibus sequeretur. Tamen et Thomas rationem ubique habet vers. Simplicis, quae ܦܫܝܛܬܐ dicitur; vel tales diversitates, ubi Simplex singularem, Thomas pluralem habet, notantur in margine. Conferendus est de vers. Philoxeniana Storrius (observationes super N. T. verss. Syr. Stutg. 1772), quem librum doleo frustra quaesivisse. Multum disputatum est de vers. Charcl. obelis et asteriscis, quos alii ex collatione Simplicis alii ad codices Graecos referunt. Nescio an ad vers. Philoxenianam deferri possint, quam Thomas emendavit.

ponat. Quare si Philoxenianam cum Simplici conferas, haec quidem liberior est non tam verba quam sententiam exprimens, sed consuetudini sermonis Syriaci accomodatior, elegantior et intellectu multo facilior; illa enim tam servilis est in repraesentanda Graeci textus vera et accuratissima effigie, ut sexcenties Syriacae linguae leges et genium violet et novo quodam barbarae linguae charactere expressa vix intelligi possit nisi ex textu Graeco, quem vult interpretari. Quare recte omnino iudicarunt viri docti, maiorem esse huius versionis utilitatem ad rem criticam, quam ad librorum sacrorum expositionem et linguam Syriacam discendam; etenim restitui fere potest ex ea textus Graecus eorum exemplarium, quae tanquam sui temporis correctissima Thomas secutus est. Hanc vero curae fideique superabundantiam merito si vituperes in Thoma, est tamen eo laudandus, quod non diligentissimum solum, sed etiam prudentem in universum et Graecae linguae satis peritum interpretem se praestiterit, idem fere inter Syros in N. T. prosecutus, quod Aquila in V. T. inter Iudaeos. Haec autem versio, etiamsi erroris convicti sunt [1]), qui in sacris publicis hac versione Iacobitas uti contenderunt, nacta tamen est haud exiguam apud illos famam et auctoritatem, ita ut plurimum transscripta sit et variis temporibus a Iacobitarum doctoribus laudata. Mentionem eius fecerunt Iacobus Edessenus, Bar-Bahlulus in Lex. Syr. et saepissime Bar-Hebraeus in commentariis [2]). Publicis sane in lectionibus nec non in commentariis a doctoribus Iacobitarum scriptis adhibita est versio antiqua, cuius tamen auctoritas di-

---

1) Cf. Wisemanum pag. 108. contra La Crozium disputantem. Assem. B. O. II. pag. 24. Iacobitae cuiusdam locum affert Assemanus, qui Syris omnibus, Melchitis, Iacobitis, Nestorianis, Maronitis versionem Philoxenianam probatam esse ait. Cuius errorem taxans Assemanus, ipse in alterum incidit affirmando, solos Iacobitas versionem Philoxenianam publice legere. Exstant tamen versionis Heracleensis lectiones pro hebdomade passionis in pervetusto et elegantissimo Evangeliorum codice biblioth. Barber., unde nescio an probari possit, fuisse interdum versionem illam in publicis sacris adhibitam.

2) Bar-Hebraeus in horreo mysteriorum exempla Charclensis protulit multa, quorum specimen dedit Bernsteinius l. c., quibuscum textus editus conferri et unde corrigi possit. Omnino in textu versionis Charclensis magna est codicum diversitas, quod etiam Adlerus testatur, qui codices Vaticanos contulit.

minueretur necesse erat altera versione divulgata, quae specie se veritatis fideique maioris commendaret. Versio Simplex ut minus firma et aliquo modo suspecta fieret Iacobitis, id quoque effecit, quod Patrum Graecorum scriptis innumeris in sermonem Syriacum translatis locorum Scripturae plurimorum translatio nova et varians legentibus innotesceret. Sic Moyses Aghelaeus (c. a. 550.) in epistola ad Paphnutium data scribit: „Si quando ex sacris scripturis petita testimonia in hac versione (librorum videlicet Cyrilli Alexandrini) occurrunt, quae Syriacis exemplaribus haud consentiunt, ne animi pendeas; nam in Bibliorum versionibus magnam est reperire discrepantiam idque palam deprehendes si versionem N. T. et Davidis [1]) a Polycarpo ad Xenaiam Mabugensem Syriace elaboratam evolvas, ubi mireris tot varietates, quae in vers. Syr. e Graeca confecta cernuntur. Nos autem qui e sermone Graeco in Syriacum nunc interpretamur, ut erat in Graeco textu, sic reddimus et describi curamus ab hisce fratribus discipulis nostris tironibus, a quibus si quid in syllabis aut in punctatione peccatum erit, prudentes lectores decet errata in legendo corrigere."

Erant autem inter ipsos Iacobitas alii qui ad Graecos inclinarent magis, alii qui plane abhorrerent. Non est huius loci, cum Assemano contendere, utrum Iacobitis an orthodoxis adnumerandus sit Iacobus Edessenus; a Iacobitis inter suos recensetur. Similem autem locum inter Iacobitas occupat ille atque Iosephus Huzita inter Nestorianos. Omnes fere grammaticae, punctationis et interpretationis leges Iacobitis postea probatae a Iacobo Edesseno, librorum interprete dicto [2]), repetuntur.

1) Psalmorum versionem confecit etiam Simeon abbas monasterii Licinii. Assem. II. pag. 83. I. pag. 612. Eiusdem epistola de sua versione exstat in cod. Syr. Clement. Vat. XI.

2) Dubium est, utrum ita dictus sit Iacobus propter commentarios in Scripturam editos an ea de causa, quod libros Graecorum plurimos Syriace vertit. Assem. I. pag. 475. Transtulit non solum Patrum opera multa sed etiam Aristotelis dialecticam, quae apud Severianos et Iacobitas non minore in pretio fuit quam apud omnes omnium aetatum scholasticos et sophistas. Transtulit etiam homilias Severi, unde Iacobitam facile cognosces. Assemanus fatetur ipse, haereticorum eum libros vertisse. Interpres librorum dictus est etiam Paulus, episcopus Edessenus (B. O. I. pag. 409.). ܦܫܩܐ facillime explicatur de Scripturis Sacris cf.

Iacobus, prope Antiochiam natus, postea Alexandriam profectus, Graecam linguam a puero diligenter didicerat [1]). Eum Edessae episcopum constitutum, mox tamen propter disciplinae severitatem exagitatum monachi Eusebonae exceperunt, apud quos per undecim annos Psalmos et Scripturarum lectionem Graecam docuit Graecumque sermonem fere exoletum restituit. Quam ob rem a fratribus in Graecos pessime animatis vexatus in dies, ad magnum Teledae coenobium migravit, ubi annos novem commoratus V. T. libros emendavit (ܬܪܨ) [2]). Edessam deinde revocatus discipulis librisque suis eo transvectis biennio post vitam finivit. Patet, Iacobum doctrinae collapsae restitutorem fuisse, favisse autem vel maxime litteris Graecis. Tanta sane fuit illorum temporum angustia, tantus monachorum contra Graecos vigor furibundus, tot minabantur ubique vitae pericula, ut actum fere videretur de litteris et eruditione. Sed Patres Graecos, quos Nestoriani antea verterant, denuo suorum in usum transtulit Iacobus nec non philosophorum scripta multa Syriaca fecit. Tantopere autem abhorrebant illo tempore Syri a consuetudine inveterata, Graecas voces in sermonem Syriacum recipiendi, ut nimiam multi purgandae linguae operam darent, quibus restitit Iacobus, mediam ipse viam incedens, quum voces Graecas centum annis ante invectas retinendas, in universum autem scriptores classicos Ephraemum, Iacobum Sarugensem, Xenaiam, Isaacum Nisibenum sequendos iudicaret et tam polito orationis genere ipse in libris suis uteretur, ut opera maxime Iacobi factum esse videatur, quod sermo Syrorum dominans (ܡܕܒܪܢܐ ut ait Bar-Hebraeus) dictus et habitus sit Edessenus [3]). Illius tempore arte

Matth. XXVI, 54., Luc. XXIV, 45. Iacobum Biblia vertisse constat, de Paulo infra videbimus.

1) Bar-Hebr. ap. Assem. II. pag. 336.

2) Teleda et Telanessa vici non procul distabant a Gabalis, memorati a Theodoreto in hist. relig. c. 26., apud quos frequentissima monachis Syris coenobia erant iam inde a tempore Ammiani, Eusebii, Eusebonae, Abibii, Heliodori et Symeonis Stylitae.

3) Iacobum contra Puristas disserentem vide B. O. I. pag. 478. — Episcopus Edessenus illo tempore fere principis dignitatem et potentiam habuit, ut liquet ex Chronico Edesseno. Factus est aliquando episcopus Edessenus, qui comes Orientis fuerat. Urbs illa affluebat divitiis. Eccle-

arte ac methodo linguam Syriacam doceri coeptum esse, auctor est Bar-Hebraeus, quando videlicet Saracenis Syriam occupantibus sermo Arabicus vernaculam indigenarum linguam, ut fieri solet, fere everterit. Ad eiusdem circa litteram sacram studia critica et grammatica cognoscenda maximi momenti sunt qui in cod. XXII. apud Assemanum Tom. II. p. 499. asservantur tractatus. De codice hoc accuratius scripsit Wisemanus pag. 175. sq. (vide supra pag. 170.). Exaratus est a. Chr. 980. in coenobio S. Aaron in Sigara ditionis Callisurae. Negat Wisemanus eam, quae primo loco legitur „recensio et punctatio vocum difficiliorum, quae in Syriaca V. et N. T. versione occurrunt", eam igitur recensionem, vulgo Karkaphensem dictam nomen prae se ferre Iacobi Edesseni, sicuti scripserat Assemanus; continet tamen codex Iacobi nomine signatam non solum grammaticam, sed etiam vocum Hebraicarum [1]), quae in V. T. occurrunt, significationem ex recensione Iacobi, porro recensionem vocum difficiliorum, quae in Patrum Graecorum versione legantur et epistolam ad Georgium Sarugensem, in qua lectorem de suis punctandi legibus certiorem facit. Iam hic quaestio oritur de recensione Karkaphensi et de origine eius punctationis, quam Graecam vocare licet; eam dico, cuius puncta vocalia ad normam Graecorum efficta in libris Syrorum editis adhiberi solent. Quaestio sane est caligine multa obtecta, quam nescio num plane abstulerit Wisemanus, qui plura omnino praestitisset, si eadem iudicii sagacitate scripsisset, qua splendet eruditione. Neque vero nobis aliud quoddam sumimus, nisi ut lucis aliquot radios conferamus, quibus viri periti ad rem plane illustrandam adiuventur.

Quum saec. IV. et V. in Syria citeriori lingua Graeca Syriacam plane abrogare visa sit, saec. VI. et VII. vires illa resumpsit. Iacobitae enim ex Syria superiori et Mesopotamia repulsi in Palaestinam et Aegyptum recedere coacti sunt; eodem tempore Graecorum societate fracta Biblia ex Graeco iterum versa sunt in sermonem Syriacum; denique postquam Saraceni

---

siae, baptisteria, monasteria exstructa sunt plurima; etiam aegrotorum et pauperum hospitium hac in urbe aedificatum est.

1) Trium linguarum aeque peritus erat, Hebraeae, Graecae, Syriacae. Cf. Wisem. ex Bar-Hebraeo pag. 184. not. 22. De Iacobi correctorio biblico vid. Journ. des Sçavans. Amstel. 1765. vol. I. p. 67—69.

terram obsederunt, propter affinitatem linguae Arabicae Syriaca facilius servari potuit quam Graeca. Ex urbibus Christiani se receperunt in regiones montanas, monachi a Muhamedanis vexati refugia nacti sunt in locis abditis et remotis. Ita factum est, cum ut Syri ipsi linguam suam purgare studerent, tum ut eorum haud pauci, qui litteris Graecis assueti erant, Syriacas litteras recolere inciperent. Iacobitae et Maronitae a Graecis avulsi sua lingua uti maluerunt. Illo tempore Iacobus Edessenus locum quasi medium tenuit inter Syros illos, qui plane abrogatas vellent litteras Graecas, et Graecos, qui Syriacorum librorum curam gerebant. Graecis autem molestiae et difficultates parabantur manca Syrorum scriptura. Maxime de absentia vocalium querebantur. Etenim punctum illud diacriticum cum ceteris signis efflagitabat accuratiorem quandam disciplinam et cognitionem, lectorum non minus quam scribarum. Quare Paulus quidam Antiochenus rogavit Iacobum, ut alphabetum Syriacum suppleret. Respondit ille, complures alios iam prius id peroptasse, verumtamen ne perirent codices isto imperfecto charactere exarati, a re tam utili destitisse. Misit tamen septem novas vocalium formas. Eas consignavit Bar-Hebraeus in grammatica, nemo tamen quod sciam locum hunc grammaticae legit et publico usui dedit. Coniecit Wisemanus argumentisque probare nititur, septem has Iacobi vocales fuisse vocales Graecas et Iacobum ipsum in libris suis eas adhibuisse [1]). Hanc Wisemani sententiam, licet viri sit in rebus Syriacis exercitatissimi et codicum scrutatoris diligentissimi, vix tamen probare licet has ob causas. I. Assemanus in Bar-Hebraei grammatica Iacobi vocales consignatas vidit, quae si fuissent Graecae nostrae, vix silentio id praeteriisset. Videtur potius tales vocalium formas Paulo Antiocheno Iacobus misisse, quae una cum consonantibus in media voce scriberentur. II. Assemanus ex communi Syrorum recentiorum traditione vocales Graecas refert ad Theophilum Edessenum (┼ 785), qui quum Homeri carmina in sermonem Syriacum verteret, primus Graecorum vocales adhibuerit [2]). III. Quodsi Wisemanus opinioni suae favere putat, quod in co-

1) Iam ante Wisemanum nonnulli vocales Graecas ad Iacobum retulerunt. Ridley de Syr. verss. in Wetstenii libellis crit. pag. 304.

2) Assem. I. pag. 64. 521.

dicibus illis, in quibus Iacobi tractatus et patrum libri ab eodem translati contineantur, vocales Graecae appareant [1]), certissimum tamen est, de punctatione maxime consulendam esse epistolam eam, qua Iacobus punctationis regulas librariis et lectoribus commendat. Hanc epistolam utinam integram nobiscum communicasset Wisemanus! Fatetur ipse (pag. 187.), suspicionem nasci, Iacobum ei praecipue rei operam dedisse, ut vocabula aequivoca punctis supra vel infra positis discerneret, atque haec opinio fit veri simillima nobis ex Iacobi verbis ab Assemano allatis (I. pag. 478.). Efflagitat enim Iacobus a scriba haec:

ܕܢܬܒܩܐ ܐܦ ܒܣܝܡܬܐ ܕܗܠܝܢ ܢܘ̈ܩܙܐ ܘܐܦ ܒܗܠܝܢ ܕܡܬܩܛܪܢ
ܘܐܦ ܒܗܠܝܢ ܕܚܠܦܝܗܘܢ : ܘܬܘܒ ܐܦ ܒܦܘܫ̈ܩܐ ܗܠܝܢ ....

ut attendat scriba in positionem horum punctorum et in ea quae sunt colligata et in ea quae sunt eorum mutationes s. vicarii pro iis positi; et iterum in scholia illa etc. Assemanus quidem ita vertit: „Ut consideret et puncta huiusmodi, quae apposita sunt et quae colligata, quae demum pro ipsis ego substitui etc." Colligata vocare Iacobum puncta ea, quibus circulum diacriticum calamo apposuerit. Vix video, quid de circulo hoc diacritico iudicandum sit. Memini Wisemanum tradere, signum semicirculum positum esse in recensione Karkaphensi pro signo interrogationis s. exclamationis, quod quum Nestorianis plane ignotum sit, induxit fortasse Iacobus. Sed dubito de Assemani interpretatione. Videtur mihi Iacobus loqui de punctis simplicibus, de punctis compositis et de aliis quibusdam signis, quae distinctionis causa accesserint [2]). Utut res se habet, nil Iacobum repe-

---

1) Scribit Iacobus: „Sciant scribae, quomodo scripserimus haec „brioto" et non „birioto" et sciant quomodo eos oporteat punctum apponere et distinguere nomina „birioto" et „berioto" ab iis quae „barion" (inculta) et etiam „baroioto" (externa) etc." Quaerit Wisemanus, quomodo has voces distinguere potuerit Iacobus, nisi vocales apposuerit. Certe apposuit vocales, sed quasnam posuerit quaeritur. In cod. Barberino signa diacritica non adsunt, sed vocales Graecae, in cod. Vaticano autem reperiuntur puncta; puncta igitur apposuit Iacobus, ut ipse scribas iubet ܕܢܣܝܡܘܢ ܢܘܩܙܐ punctum recte apponere; apposuit autem ea puncta, de quibus egit in grammatica, simplicia et composita. Si Maronitae s. Iacobitae postea loco punctorum vocales Graecas in Iacobi operibus posuerunt, id nil attinet ad Iacobum ipsum.

2) Monet Wisemanus, praeter puncta diacritica alia quaedam signa

rio de vocalibus Graecis monentem. Praefigitur haec epistola ܥܠ ܣܘܪܛܐ ܣܘܪܝܝܐ ܘܢܘ̈ܩܙܐ de orthographia Syriaca et de punctis vocalibus tomo II. homiliarum Severi in cod. Nitr. XXXI. (B. O. I. pag. 570.). Secundum epigraphen Severi homiliae a Iacobo translatae sunt a. 701., ergo annis non multis ante eius obitum. Codex hic Nitriensis Wisemano accuratius inquirendus fuisset, nam videtur ex eorum numero esse, quos Moses Nisibenus monasterio Scetensi attulit (vid. cod. XXX.), in quem vix aliae vocalium formae illatae sunt, nisi quas Iacobus ipse posuit, quod minus valet de codicibus recensionis Karkaphensis Vaticano et Barberino. Videtur autem Iacobi epistola illa [1]) omnibus eius operibus praefixa et eadem esse, quae alio loco ab Assemano dicitur epistola ad Georgium Sarugensem. Sed patet ex his omnibus, quantam operam adhibuerit Iacobus, ut orthographiam et punctationem ad regulas certas revocaret. Idem teste Elia Nisibeno grammaticam Syriacam scripsit primus.

De Iacobi curis laboribusque in Biblia impensis non satis compertum est. Veteris Testamenti libros ipse emendavit, ut supra retulimus ex Bar-Hebraeo. Exstat Parisiis codex librorum aliquot V. T. versionis ab Hexaplari diversae, quae in epigraphe tribuitur Iacobo Edesseno et mixta esse videtur ex Simplici et Hexaplari [2]). Item inter codices Nitrienses Londinum

---

adesse in epistola, sed de forma tacet. Quid si Iacobi figurae cognationem aliquam haberent cum punctis Hebraeis? Fuit enim ille linguae Hebraeae peritissimus eiusque tempore Masorethaeum punctatio facta esse videtur.

1) Cf. Wisem. pag. 237.: „Praecipio illis omnibus, qui scribunt libros istos, quos transtuli et composui.“

2) Journ. des Sçavans. 1765. Août. Bugati, Daniel sec. LXX interpp. praef. pag. XI. Sylvestre de Sacy in Eichhornii biblioth. VIII. pag. 588. sq. Brunsius ibid. pag. 94. — De V. T. Syriaco multa sunt dubia. Versionis Simplicis editio nova optanda est. Est pollicitus eam Curetonus ex codd. antiquissimis Musei Britannici. Collatione dignus videtur etiam Nestorianorum codex praecipuus bibl. Vatic. (vid. supr. pag. 148. not. 1.). Nestoriani solam Simplicem sequuntur; unde vero libros apocryphos acceperint nescio. De auctore quoque versionis Hexaplaris res dubia est. Si verum esset, quod de Thoma suspicatus est Michaelis, etiam de Hexaplari versione magis circumspiciendum esse videtur. Mar Abas Edessae una cum Thoma Biblia V. T. transtulisse dicitur ex Graeco. Id eodem fere tempore factum est, quo Edessae clarus fuit Paulus (c. a. 528.),

nuper allatos exhibet unus Iesaiam ex versione Iacobi, fortasse et alios V. T. libros. In Psalmis variantes Iacobi lectiones citat Bar-Hebraeus (Assem. I. pag. 493.). In Novo Testamento Iacobus Simplicem sequitur, utitur autem etiam Apocalypsi, in qua tamen versionem habuisse videtur ab ea quae nunc legitur diversam [1]). Iacobus igitur ut omnino viam mediam ingressus est, ita in V. T. versionem ipse confecit, quae inter Simplicem antiquam et Hexaplarem illam, quae etiam Graeca dicitur, media est; in Novo Testamento autem Simplex tantae erat auctoritatis, ut retinendam eam esse censeret, curam tantum adhibens, ut Nomina propria rectius scriberentur et formae verborum ad grammaticae regulas exigerentur. Etenim in codice saepius laudato (Assem. II. pag. 499.) legitur „Iacobi Edesseni recensio et punctatio vocum (i. e. Nominum propriorum) N. T. iuxta versionem Thomae Heracleensis: scilicet Actuum App., Epp. Paul. et Evangg., ubi in margine Graecis cubitalibus vocibus apposita difficiliora vocabula Syriaca elucidantur [2]).“ Nascitur inde opinio mihi, codicem Erlangensem sequi orthographiam regulasque Iacobi. Iacobus enim inter alia scribi iubet [illegible], non ut

librorum interpres dictus, (qui Severi libros transtulit), de quo Assemanus nescit an idem sit cum Paulo Telae episcopo. II. pag. 47. (Tella Mauzaleth urbs erat Mesopotamiae. B. O. I. pag. 395.). Refellitur tamen haec coniectura ex epigr. Cod. Paris. vers. Hexapl. Cf. Adler de verss. pag. 50., cuius sententiae accedo. — Tertia accedit V. T. versio Iacobi, inter Simplicem et Hexaplarem media s. Simplex ad Hexaplarem recensita et emendata, sed quae vix maioris nominis fuit; nam a Bar-Hebraeo in loco celeberrimo de Bibliorum versionibus (Wisem. pag. 84. et 93.) non recensetur. — Versio figurata merum est Pocockii figmentum.

1) Iacobus (Ephraemi Opp. I. pag. 192.) citat Apoc. XVII. 3—6. Cf. Michaelis, Einl. ed. 4. pag. 415. et quem laudat Storrium de verss. etc. pag. 97.

2) In eodem codice legitur vocum Hebraicarum quae in V. T. occurrunt significatio ex recensione Iacobi Edesseni. Etiam illud ad morem versionis Hexaplaris factum est, in qua nomina Hebraea Amosi, Michae etc. Syriace explicantur. — Monet Wisemanus (pag. 177.), vocabula difficiliora, quae dicat Assemanus, intelligenda esse Nomina propria, quae ut Thomas Syriace accuratissime transscripsit, ita addidit nonnunquam in margine nomen Graecum ipsum. Thomas in transscribendis vocabulis Graecis litteras quiescibiles plane pro vocalibus adhibuit, ex gr. [illegible] Marc. VI, 55.

vulgo fiat ܫܠܡܘ (etenim se scire quid dicat); atque id ipsum notavit de cod. Altdorf. Gerhardus, qui omnino Nomina propria accuratissime ex origine Graeca s. Hebraea punctata exhibeat. Quare quum idem codex multas Simplicis lacunas supplevisse dicatur, accuratius investigandus est, utpote qui contineat versionem Simplicem in Nominibus emendatam, in locis nonnullis correctam, in usum fortasse Iacobitarum sive Maronitarum. Maronitae enim et Melchitae etiam magis quam Iacobitae cum textu Graeco conformare studebant Simplicem.

Iam patet ex his Iacobi studiis (de eius commentariis observatione dignissimis taceo), quae grammaticorum inter Iacobitas curae fuerint in textu sacro. Atque hoc loco agendum videtur de Karkaphensi versione s. recensione, quae viros doctissimos exercuit et vexavit. De ea non multum compertum est, nisi quod Bar-Hebraeus lectiones ex illa promptas paucas refert in Psalmis [1]; deinde in codice saepius laudato legitur Assemano interprete: Onomasticon s. lectiones V. et N. T. iuxta traditionem Karkaphitarum [2]. Correctoria biblica apte dicuntur hae lectiones ab Ewaldo. Est autem titulus Syriacus [3]: ܟܘܪܣܐ ܕܫܡܗ̈ܐ ܘܩܪ̈ܝܢܐ ܕܥܬܝܩܬܐ ܘܚܕܬܐ ܐܝܟ ܡܫܠܡܢܘܬܐ ܩܪܩܦܝܬܐ. Vertit Wisemanus: Libellus punctationis et legendi modi Veteris Novique (Foederis) iuxta versionem Karkaphensem. ܟܘܪܣܐ proprie est compactum aliquid; inde notio oritur in Lexicis obvia quaternio chartarum (cf. Arab. كُرَّاسَة pars libri). Agitur maxime de vocibus ܫܡܗ̈ܐ et ܩܪ̈ܝܢܐ, quae plerumque in librorum singulorum epigraphis repetuntur, ex. gr. ܫܠܡܘ ܫܡܗ̈ܐ ܘܩܪ̈ܝܢܐ ܕܕܘܝܕ ܢܒܝܐ finem habent nomina et lectiones Davidis prophetae (Psalmorum). Wisemanus his vocibus significari putat:

1) Bar-Hebraei loci Karkaphensem citantes primum editi sunt in Polyglottis Anglicanis.

2) Bibl. Orient. II. pag. 499. Codex nunc est Vaticanus CLIII. Codex alter res plane easdem continens quas Vaticanus servatur in biblioth. Barberina; tertium Assemanus in monasterio Scetensi detexit, qui nunc Londinensis est, iterum similem Parisiis exstare testatur Ewaldus.

3) Wisem. pag. 185. 197.

puncta vocalia (vid. supra pag. 171.) et lectiones grammaticae conformes. Dubito tamen de voce ܦܛܠܗܐ, etenim Nomina propria iuxta Graecorum pronuntiationem accurate scripta in cod. Paris. vers. Philox. vocantur ܣܢܘܟܠܐ ܦܛܠܗܐ (Adler, N. T. verss. pag. 56.). Continet autem liber iste maxime Nomina propria accuratius iuxta Hebraeum et Graecum exemplar expressa simulque varias lectiones ex collatione versionis Simplicis, Philoxenianae et Charclensis depromptas. Ipse Wisem. id proprium esse dicit recensionis Karkaphensis, ut textum Simplicis plane retinens in Nominibus tantum et vocibus Graecis deflectat, orthographiam potius Charclensem secuta. Quare de hac versione id statuendum videtur. Simplex antiqua versio tanta viguit auctoritate etiam inter Iacobitas, ut versio Philoxeniana minime eam iure suo ac sede privare potuisset. Atque cuius tandem quaeso utilitatis fuisset versio ea ratione scripta, ut nimiam affectans in litteris fidem, sententias omnemque sermonem plane obscuraret. Remansit tamen apud viros grammaticos studium textum sacrum corrigendi et emendandi, quare qua erant illo tempore maiore subtilitate quam eruditione, in eo acquiescendum esse nonnulli putarunt, ut nomina tantum propria ad Graecam veritatem revocarentur simulque in punctatione regulae grammaticae strictius observarentur. Qua igitur via ingressus erat Iacobus, eadem grammatici posteriores emendare Biblia perrexerunt. Hisce ex studiis originem duxit recensio Karkaphensis, in qua vocales Graecae adhibitae esse videntur. Postquam enim, traditionem vulgarem si sequimur, sub finem saec. VIII. vocales ad formam Graecam effictae primum in Homeri carminibus appositae sunt, facile eo ventum est, ut etiam in Bibliis eadem signa scriberentur [1]). In margine codicis nostri saepius memoratur Theodo-

---

1) Theophilus Edessenus Maronita a Bar-Hebraeo laudatus vixit sub finem saec. VIII. († 791). Homeri carmina elegantissime vertisse dicitur. Nominibus aliquot difficilioribus ille apposuit vocales Graecas. Idem in Bibliis placuit. Codex antiquissimus, in quo vocales Graecae conspiciuntur, est codex Ephraemi (Assem. I. p. 64.), Edessae scriptus a. 861. In illo Nomina propria (Assem. exempla affert ex Hosea) instructa sunt Graecis vocalium signis. Eadem ratio omnino invaluit apud Maronitas et Iacobitas, ut nomina tantum propria et voces nonnullas dubias et difficiliores vocalibus Graecis notarent. Cf. Novum T. ex editione Maronitarum et V. T. Londinense.

sius quidam, Bibliorum corrector et emendator; statuamus igitur, post Iacobum fuisse inter Iacobitas s. Maronitas viros criticos et grammaticos, qui textum Simplicis adornarunt talem, in quo Nomina propria ad versionem Charklensem emendarentur, porro punctatio Graecis vocalibus facta sermonis Edesseni rationem et recentioris grammaticae regulas sequeretur, denique variorum codicum variae lectiones conferrentur. Haec recensio Karkaphensis dicta integra non legitur, sed superstes esse videtur in Psalterio pentaglotto Barberino [1]; deinde excerpta eiusdem leguntur in Codicibus supra laudatis. David enim, monachus monasterii S. Aaron in Sigara monte ex recensione Karkaphensi contulit et composuit voces omnes, in quarum scriptura et punctatione illa a Simplicis textu vulgato recederet, ita ut in margine varias lectiones Simplicis potissimum, sed etiam vers. Philox. et Charkl. nec non variorum codicum lectiones variantes notaret [2]. Ipse in epigraphe monet id factum esse ܒܝܕ ܚܬܝܬܘܬܐ [3] ܕܬܘܪܨܐ ܒܦܘܚܡܐ ܕܡܢ ܠܘ ܙܥܘܪܐ ܠܘܬ ܫܘܡܠܝܐ ܕܬܘܩܢܗ i. e. *μετὰ ἀκριβείας* correctionis, cum collationibus autem non paucis ad perfectionem pulchritudinis s. rectitudinis firmissimae. Haec excerpta cum scholiis margini appositis repraesentant nobis studia critica et grammatica in textu Simplicis inter Iacobitas

---

1) Psalterium illud pentaglottum exhibet textum Aethiop. Syr. Copt. Arab. Armen. Versio Coptica medium locum tenet, scriptor tamen Syrus fuisse videtur. Excellebant Syri, ut saepius diximus, linguarum multarum cognitione. Antoninus Martyr in monasterio montis Sinai tres reperit monachos quinque linguarum peritos: Graecae, Latinae, Syriacae, Copticae et Arabicae.

2) Secutus sum sententiam Wisemani. Ex Bar-Hebraei locis sequi videtur, exstitisse totius Scripturae recensionem, Karkaphensem dictam. Illa frustra quaesita est. Sed illius excerpta esse videntur correctoria haec, de quibus agimus. Tribuit illa Assemanus Iacobo Edesseno. Wisemanus ex epigraphe probare studet, Davidem monachum auctorem esse. Legitur quidem haec epigraphe non in fine libelli nostri, sed totius codicis, tamen et mihi ad excerpta illa respicere videtur. Putandus igitur est David monachus primum excerpsisse varias lectiones recensionis Karkaph., deinde addidisse Iacobi tractatus atque ita librum composuisse, qui rerum grammaticarum et criticarum quasi thesaurus esset. Multis id placuit atque haec excerpta saepe transscripta sunt, quum recensio ipsa in oblivionem venerit.

3) Idem vocabulum legitur in epigraphe versionis Charklensis.

posita. Facta sunt haec excerpta anno Christi 980. Eo tempore Iacobitae se recipere coeperunt in regiones montanas Mesopotamiae et Assyriae, et monasterium illud S. Aaronis in monte Sigara satis inclytum erat illo tempore; nam in catalogo Patriarcharum Athanasius V. et VI. (a. 1003 et 1058) recensentur, monachi olim S. Aaron in Sigara (Assem. II. p. 480.). Quae igitur floruerant studia primum Edessae aliisque in urbibus, hisce in monasteriis continuata sunt quantum licuit per temporum calamitates et evanescentem eruditionis fortunam. Ubi recensio ipsa Karkaphensis orta sit, incertum est. Andreas Muellerus (de Syr. librr. sacrr. verss. p. 40.) nomen refert ad Mesopotamiae urbem ܟܪܟܘܒ (Arab. قرقوب); Assemanus dictam esse putat versionem montanam eam, qua incolae montium (Iacobitae et Maronitae) utantur [1]), Wisemanus ipsum Sigarae montem significari putat. Sed vix ܟܪܟܦܬܐ quod proprie cranium, caput (Golgotha Matth. XXVII, 33., Ioh. XIX, 17.) deinde verticem significat, in universum montem sive regionem montanam designare potest, quare minus si placcat ad urbem eius nominis hanc recensionem deferre, cogitandum videtur de vertice quodam montis, qui proprie Calvaria dictus est. Satis notum est, plurima monasteria condita fuisse in cacumine montis; celeberrimum erat coenobium in monte Edessae, alterum in monte nigro, suburbio Antiochiae etc.

Sunt autem haec praecipue, quae in excerptis versionis Karkaphensis observare licet. I. Primum singularem sequitur librorum ordinem (Wisem. p. 213., Assem. II. p. 499.): in V. T. Pentateuchum et Iosue excipit lib. Iudicum, deinde Iobus, Samuel, David (Psalmi), Reges, Esaias. Prophetae duodecim consueta serie. Ieremias, cuius cum vaticiniis threni coalescunt unum in librum. Accedunt libri apocryphi, Ieremiae oratio, Epistola Baruch, secunda Baruchi epistola i. e. liber Baruch, Ieremiae epistola. Succedit Ezechiel et Daniel, intextam habens orationem et canticum Azariae. Adiungitur historia Beli et Draconis, liber Susannae. — Proverbia s. Sapientia magna, Koheleth et

---

1) Assemanus in Bibl. Vat. Catol. P. I. Tom I. p. 287. recensionem Kark. apud Iacobitas et Maronitas in usu esse dicit. Sane ex illa punctatio orta est Maronitis et Iacobitis recepta.

Canticum. — Liber Mulierum i. e. Ruth, Esther et Iudith. — Finem facit Sapientia Bar Asiro. — In N. T. libri sic ordinantur: Actus, Epistolae catholicae tres, Epistolae Paulinae XIV, Evangelia consueto ordine. Ni fallor, in hoc librorum ordine componendo ratio temporum habita est, ut in V. T. satis perspicitur, cuius in fine extra temporis seriem adduntur: libri tres Salomonis poetici et liber Mulierum. — Libri apocryphi textum illum exhibent, qui editus est in Bibliis Waltonianis depromtus ni fallor ex vers. Hexaplari. II. Distributi sunt libri omnes in capita (ܦܬܓ̈ܡܐ), quorum numerum Bar-Hebraeus quoque observat in commentariis; porro sectiones quaedam notantur, quae nomen ducunt ab argumento, ut promissio Abraham etc.; denique in cuiuslibet libri fine accurate numerus signatur τῶν Pethgome. III. Character litterarum est Chaldaicus, quem dicunt, paululum a scriptura antiqua Estrangelo declinans, qui igitur minime solis Nestorianis tribuendus est. Specimen scripturae praebet Wisemanus. Puncta Ribui, Rucoch et Kuschoi accuratissime posita sunt. Sed loco punctorum vocalium apparent vocales Graecae atque tali forma, ut plane forma Graeca genuina cognosci possit: *A*, *E*, *H*, *O* [1]. Vocalis quinta u non Graeco Ypsilon respondet, sed potius diphthongo *ου*, insidet enim Omikron τῷ Ypsilon. Sed componitur Ypsilon etiam cum a, e et i, quare quattuor vocalibus illis accedunt proprie quattuor diphtongi, *ου*, *αυ*, *ευ*, *ιυ*. Ita legendum esse apparet ܝܘܡܝܢ iaumin, porro ܐܘܟܝܢܐ eukino, ܘܡܠܝܘ vameliu. Vix monendum est, quod eu et iu rarissime obviam veniunt. Sonus Graeco *υ* respondens deest in Karkaphensi; adhibetur tantum ad nomen Graecum ex. c. Συράκουσαι exprimendum. ܟܠ scribitur ubique col, quod etiam Ewaldus in codd. quibusdam observavit. IV. Textus differt a Simplice maxime in Nominibus propriis. Apparent in textu ubique Nomina Charklensia, ex. c. scribitur ܐܝܐܠܒܘܣ etc. etc., lectione vulgata apposita in margine. Sed et aliae pronuntiationis varietates, partim levissimae obviam veniunt, pro ܡܠܟܬܐ

---

1) Vocalis i formam habet *H*, *I* valet *ει*. Conferas alphabetum Copticum. Linguae Hebraicae vix gnarus fuit David monachus, nam librum Iudicum Hebraice dici scribit Schaphte.

(in Simplice) scribitur ܫܡܠܝܐ, Deut. XXXII, 4. varietas conspicitur solius puncti sub voce ܗܘܐ, Eccl. XVIII, 10. in Kark. littera ܬ habet Rucoch, in S. Kuschoi, iterum aliis in locis differunt vocales ܬܬܘܒ et ܬܬܘܒ, ܟܠܗ et ܟܠܗ et quae sunt similia. — Simplex in margine scribitur ܦܫ i. e. ܦܫܝܛܬܐ beata. Nomen Peschito occurrit tantum in notis Theodosii. V. Praeter Simplicem in margine notantur in V. T. ܕܫܒܥܝܢ versio *τῶν* LXX, versio Hexaplaris ni fallor, in N. T. vers. Philox. et Charkl. Sed sunt etiam notae marginales satis multae, quae Simplicis ipsius lectiones variantes afferunt ex codicibus variis. Formula afferuntur: „invenitur“ vel „in codicibus“ vel „alii“. Notas has marginales Wisemanus transscripsit pag. 225. sqq. Plurimum ei, qui haec excerpta fecit, auctoritas valet Theodosii [1]), ex. c. ad Act. XXV, 7. in margine notatur, reperiri etiam ܪܫܐ (pro ܪܫܝܢܐ), sed non esse accuratum, ut notet Theodosius, eo, quod Graecus *αἰτιώματα* habeat i. e. praetextus pravos, accusationes.

Haec ad rem nostram sufficiant. Quae inde sequuntur, maximi sunt momenti ad historiam textus. Videntur enim lectiones omnes, in quibus recensio Karkaphensis a Simplice discedebat, in his excerptis collectae esse putatque Wisemanus, libros aliquot V. T. ideo neglectos esse (?), quia in illis nulla textus varietas observata sit. Agitur maxime de nominibus exteris et accuratissima punctatione. Statuamus igitur, in ceteris omnibus congruisse recensionem illam cum Simplici. Porro patet, Simplicem illo tempore plane instructam fuisse vocalibus, punctis puto, et recensionem Karkaphensem tantum in eo a textu vulgari differre, quod loco punctorum vocales Graecas induxit et nonnullis in vocibus punctationem substituit, quae accuratior habebatur a Ia-

---

1) Ut in nominibus propriis sonus Graecus ne latum unguem quidem mutetur, iubet Theodosius litteras Gomal, Dolath et Beth non indurari, quia apud Graecos nunquam dura sint. Presbyter fuit Theodosius, ceterum nihil de illo compertum est. Iacobitas litteras non duplicasse ut Nestorianos, inde patet, quod Gr. *ἀββᾶ* scribitur ܐܒܐ. Accentuum usus in Karkaphensi parum cognosci potest ex Wisemano.

cobitarum grammaticis. In consonantibus fere nulla est neque in V. neque in N. T. lectionum differentia [1]).

Denique probatur, textum illum, qui a Mose Mardeno Iacobita et Gabriele Sionita Maronita editus et vocalibus instructus est, fere in omnibus convenire cum textu illo, qualis saec. VII. et sqq. a grammaticis Iacobitarum summa cura et industria examinatus, emendatus et probatus est. Ubi in margine codicum varietates notantur, textus editus fere ubique facit cum excerptis nostris. Etiam in punctatione plerumque non eam lectionem, quae saec. X. in Simplici exstabat, sed lectionem Karkaphensem emendatam magisque accuratam textus noster editus profert [2]). Restant pauca quidem, quae apud Iacobitas posteriores mutata sunt: ܟܽܠ pro ܟܳܠ, ܩܪܘܒܠ pro ܩܪܘܒܠ alia id genus, restant omnino tales pronuntiationis et punctationis varietates, quales etiam in editionibus observantur. Sed haec minutula sunt magisque grammaticam spectant, quam textus diversitatem.

Satis inde Iacobitarum studia biblica explorata esse iudico. Simplex tanquam beata, sancta et antiquitate probata interpretatio ut apud omnes Syriacae linguae gentes et factiones ita apud Iacobitas quoque locum obtinuit; tacta tamen erat apud eruditos suspicione, quod minus accurata et correcta esset. Ita medii et fere dubii haesitabant Iacobitae inter versionem antiquam et novam, quum illam seponere nefas videretur, hanc tamen magis probarent, Hexaplarem in V. T., Charclensem in Novo. Quo ex tempore in usum venisse videtur nomen Simplicis [3]); apud Nestorianos enim nulla fuit distinctionis causa; Iacobitae vero, altera versione facta, candem, quam antiquam vulgo et beatam dicebant, nomine Simplicis laudasse simul et vituperasse videntur; revera enim Charklensem si conferas, simplicitate insignis est versio antiqua. Ita innatum fere et proprium

---

1) Varietates vix maiores sunt, quam inter Plur. et Singul., Praet. et Fut., Ethpeel et Ethpaal, Praet. et Partic.

2) Perraro lectio marginalis Grammaticae legibus magis respondet; Hebr. X, 25. ad vocem ܕܩܪܒ posteriori manu adscriptum est, id rectum esse. Cf. Matth. XXI, 2.

3) Aliam sententiam de origine huius nominis infra proferemus. Apud antiquos scriptores quod sciam nomen non legitur.

est Iacobitis studium quoddam corrigendi atque emendandi, quod apud nullos eorum doctores non reperitur. Accessit grammaticae studium, ex Iacobi temporibus excitatum, quod neque Scripturas intactas reliquit. Conferebantur igitur variae lectiones in Simplici V. et N. T. versione; varietas codicum revocabatur ad exemplar quoddam probatissimum; ubi fieri potuit omnia ad regulas grammaticas conformabantur, ad voces exteras rite scribendas Graecorum vocalibus adhibitis.

Ad Iacobum usque Edessa sedes doctrinae fuerat. Sed sub Saracenorum imperio Christianis nulla mox aerumnarum et periculorum requies. Qui rite Christianorum vitam, doctrinam moresque illis temporibus perpenderit, iustas Dei poenas agnoscet [1]. Primum quidem Saraceni mitius Christianos tractare videbantur. Anno 649 Ioannes I. patriarcha iubente Amro, Arabum dynasta, Evangelia e Syriaco in sermonem Arabicum converterat. Sub Abibo, Iacobi successore, Edessenorum calamitas exordium cepit (cf. Series episcoporum Assem. I. pag. 426.). Episcoporum Edessenorum ultimum Dionysius in Chronico recenset Eliam (769) hominem crudelem et flagitiosum. Eo episcopo, Dionysius ait, Edesseni digni erant, non ille dignus Edesseno episcopatu. Tanta omnino ex saec. VIII. imminebat et obruebat undiquaque clades et pernicies, ut qui urbes maiores fere omnes antea impleverant Iacobitae se recipere cogerentur partim in Mesopotamiae regiones montanas partim in Libani et solitudinis recessus. Qui Libanum incolebant, acriter cum Saracenis dimicarunt, sed ipsi

1) Maxime monachorum quanta fuerit simulatio, perversitas, discordia, libido, vix credibile. Unum afferam exemplum. Dionysius in Chronico ad a. 510. haec affert ex Ioanne Asiae episcopo (B. O. I. pag. 409.): „Eo propemodum tempore excogitavit Diabolus in regione Perrhorum errorem quorundam, qui nec panem comedere nec aquam bibere sese iactabant. Quidam igitur ex fratribus, quorum monasteria necdum cognita sunt, et alii Archimandritae eius loci inanem gloriam et novum nomen apud vulgus aucupantes de se ipsis falso praedicabant, quasi panem non comederent nec aquam biberent et a vino abstinerent, Nazaraeorum more; necessitati autem cibi et potus Sanctorum Mysteriorum usu per summam impietatem succurrebant. Eapropter bucellam, quam ipsi conficiebant, diu fermentabant et data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius quam in mysterium corporis Christi, quod in azymis manducatur.“ Hierosolymis disputabant clerici de duabus Christi naturis, quum Arabes ante portas essent.

duas in partes abierunt, quum alii Byzantinis imperatoribus obtemperarent (Melchitae), alii nullam eorum curam gererent (Mardaitae, rebelles) [1]). Mardaitis Ioannes Maro dux factus est et patriarcha, qui ad Romanam ecclesiam propius accessit, querentibus Iacobitis de huius terrae apostasi. Ex illo tempore Christiani Libanum incolentes Maronitae dicti sunt, ecclesiae Romanae semper faventes, tamen cum Iacobitis plurimis in rebus consentientes. Utriusque sectae patriarchae appellant se Antiochenos. Patriarchae autem Iacobitarum Amidam et Marden transfugerunt in Mesopotamiae partem septentrionalem, quae hodieque Iacobitarum sedes est. Quemadmodum enim Nestoriani in montibus Kurdis refugium quaesiverunt, ita Iacobitae ad dextram Tigridis montes prope Nisibin, Amidam et Mardem obsederunt. Haec regio monasteriis referta dicta est Tur Abdin (mons servorum) [2]). Ab Anania quodam, episcopo Mardae et Caphartutae (a. 793.) coenobium illud instauratum est, quod sub eiusdem nomine (Mar Ananiae) alias Zapharanense dictum ad hunc diem patriarchae sedes est. Erat autem ille advena ex coenobio, quod ad latus Callinici situm est, ab ipso Iacobitarum patriarcha Mar Cyriaco accitus. Illo tempore [3]), ut narratur in vita Mar Ioannis (Assem. II. p. 217. sqq.), florente concordia atque pace rerumque copia, collegerunt posueruntque in eodem sancto loco sacros libros omnis generis et congregarunt eos in Beth-Gaza h. e. thesauro coenobii ad utilitatem omnium cuiusvis gradus. Idem coenobium Mar Ananiae instauravit iterum Mar Ioannes [4]), in monte Edessae pri-

---

1) De Melchitarum et Maronitarum origine vide Assemanum I. pag. 507. in vita Ioannis Maronis. De Maronitarum codicibus et punctatione vid. Ewaldum Z. f. K. d. M. I. pag. 211. Inter Codices Vaticanos reperitur numero CCCXCV signatus (Maii nova coll. T. V.): Stephani Aldoensis Antiocheni patriarchae vindiciae gentis Maronitarum. Multa ad historiam spectantia his vindiciis inesse videntur.

2) Hodie Dschebel Tur nominatur, in quo septuaginta circiter monasteria superesse dicuntur. Ritter vol. XI. pag. 440.

3) Eadem aetate Nestorianorum res magnopere in illa regione auctae sunt sub Serguna (a. 755.).

4) Laudatur etiam circa a. 1000. Mar Ioannes ex monte Edessae et Mar Ioannes Maronis, qui profana et sacra eruditione extructus monachos multos in coenobio Sergii in finibus regionis Gubensis sacrarum litterarum cognitione imbuit. Cf. Assem. II. p. 350. ex Chronico Bar-Hebraei.

mum monachus, metropolita Mardae ordinatus 1125., cuius temporibus tanta fuit desolatio, ut in monte Therapeutarum (Tur-Abdin) et dioecesi Mardensi ne unus quidem monachus superesset. Magnam operam dedit Ioannes, ut tantae calamitati mederetur, ne prorsus antiqua Iacobitarum eruditio et disciplina periret. Ipse codicem scripsit Evangeliorum suum in usum; multos porro codices procuravit et plurimum impendit, ut compingeret et uniret (ܕܩܨ̈ܝ ܘܡܚ̈ܡ [ܘܡܚܡ ?]) codices dispersos et diuturnitate temporis laceratos. Scripsit quoque quattuor Evangelia parva auro et argento, quorum unum exemplar in monasterio Ananiae servabatur. Idem monasteria nova condidit multa.

Anno 1171. patriarcha Iacobitarum sedem Amida Marden transtulit. Haud multo post episcopalem dignitatem Amidae nactus est D i o n y s i u s B a r S a l i b i Melitinensis (obiit a. circiter 1207). Eleganti ille sermone Syriaco commentarios scripsit in scripturam V. et N. T. [1]). Usus est commentariis Ephraemi, Chrysostomi, Cyrilli, deinde Mosis Bar-Cephae († 903.), Ioannis Darae (c. 833., Assem. II. p. 218.) aliorum interpretum. Praemittit ad singulos Evangelistas luculentas praefationes, in quibus de gestis Evangelistarum agit et exponit, quando, qua occasione et quo sermone Evangelium conscripserint, quot capita, sectiones, versus, canones, parabolas, miracula et testimonia unumquodque contineat. Scripsit etiam commentarios in epp. Iudae, Ioannis II. et III. et Apocalypsin, describit et illustrat historiam quoque adulterae ex libris Marae episcopi Amidensis et Zachariae Melitinensis sumtam. De eadem historia Bar-Hebraeus scribit hunc in modum: Post illum versiculum: propheta non surget ex Galilaea, repertum est in cod. Alex. caput de muliere adultera. Id enim effecerat Thomae versio [2]), ut

---

1) Expositio in quattuor Evangelia exstat in M. S. Bibl. Vat. Ita incipit: „Absoluta expositione Legis et Prophetarum brevi et conciso commentario ac simplici ubique stilo, ut nostrarum virium modus ferebat, ad N. T. progredimur, Evangelium videlicet et Acta atque Pauli epistolas. Quo in opere eum nobis modum proposuimus, ut ex p r o p r i o i u d i c i o nihil proferamus, sed super praeiacta ab expositoribus fundamenta aedificationem spiritus et animae utilitatem construamus.“ Inter codices Richianos Bar-Salibaei commentarii in Museum Britannicum venerunt.

2) Notat ipse Dionysius in praef. ad II. Petri ep., eam non inveniri nisi in translatione Thomae episcopi.

illae quoque epistolae innotescerent Iacobitis, quae in Simplici desiderantur simulque versuum quorundam mentio fieret, qui licet in Simplici desint, in codicibus aliquot maximae auctoritatis legerentur. Bar Salibaeum et ipsum eodem modo, ut antea de Iacobitis dictum est, correctoriam manum admovisse textui versionis Simplicis, luculentum exstat documentum in codice Bar Salibaei, qui quondam Ridleianus erat. Codices Ridleiani ex Amida urbe, ipsa Bar Salibaei sede, allati sunt, inter quos alter, codex Bar Salibaei a Ridleio dictus, Evangelia continet secundum vers. Heracleensem, Acta et Epistolas secundum Simplicem. Emendationes ex hoc codice Ridleius protulit, unde Bar Salibaei critica cognoscitur. Nonnulla enim, quae desunt in Simplice, in hoc codice adiecta sunt, ex. c. Act. II, 22. *καὶ τέρασι* c. IV, 30. *τέρατα*; c. X, 2. particula coniunctiva; c. X, 22. *δίκαιος*; c. XX, 26. *διό* et alia eiusmodi. Ubi vero redundant quaedam in Simplici, ea omittit B. S., ex. gr. c. VII, 21. *ἐκτιθέντα* P. addit: quum abiectus esset a populo suo, B. S. a matre sua. Neque sola punctorum mutatione contentus est, sed etiam inversione et mutatione litterarum, particularum appositione, formarum et numeri variatione textum corrigere suscipit et Graecae veritati propriorem reddere. En exempla [1]):

I) Vocabula Graeca scribuntur accuratius: Hebr. II, 9. פרהסיא B. S. פארריסיא; Hebr. IX, 11. דיתקא B. S. דיאתיקי [2]).

II) Vitatur diphtongus in fine vocum Graecarum: I. Thess. III, 1. באתינאוס B. S. באתינס; Eph. VI, 12. ארכוס (*ἀρχαῖς*) B. S. ארכאס.

III) Puncta mutantur vocabulorum: Act. XVII, 13. עלתא B. S. עלתא; Rom. IV, 15. עבר B. S. עבר [3]); Rom. VIII, 14. מתדברין (Ethpeel) B. S. מתדברין (Ethpaal); I. Tim. V, 25. עבדא (servi) B. S. עבדא (opera) [4]); Hebr. VI, 16. 17. במומתא B. S. cum punctis plur. Cf. etiam Act. VIII, 23.; XXVI, 12.; I. Petr. III, 3. 8.

IV)

1) In Ridleii libello variae lectiones Hebraicis litteris scriptae sunt, quas retinui.

2) Item Act. XXVII, 16. *Κοῦρα* — B. S. *Κλαύδα*.

3) De punctatione ܥܠܬܐ (ara) et ܥܒܪ (transgressio) ambigitur. Cf. Schaafium in Lexico et varias eiusdem lectiones ad l.

4) Cf. var. lect. ad l. et Philem. 6.

IV) Mutatur Numerus: Rom. XI, 21.; XIV, 16.; Gal. I, 14.

V) Particulae adduntur, Pronomina mutantur: Gal. I, 16. אף B. S. ואף (cf. Philem. 6.); I. Thess. II, 4. איך B. S. איכמא; I. Thess. II, 14. הכן B. S. הכנא (I. Ioh. IV, 11.); II. Tim. II, 16. הלין B. S. הנון; Hebr. II, 9. מטל חשא B. S. מן חשא.

VI) Participii cum Pronomine flexio nonnunquam solvitur: I. Thess. I, 10.; II, 2. 18.; II. Thess. I, 7. Contra I. Ioh. V, 9. pro מקבלין legitur מקבלינן.

VII) Mutatione facili vel inversione conformatur versio cum textu Graeco: Act. XX, 20. לא כסית (?) B. S. בסית; Rom. IX, 28. גזם B. S. גרם [1]); Act. XXIV, 3. שניא (multos annos habitamus) B. S. שינא (in pace); Act. XVIII, 27. חטפוהי (rapuerunt) B. S. חפטוהי [2]) (hortati sunt); Rom. XIII, 9. Peschito praecepta secundum decalogum habet, Bar S. servat ordinem textus Graeci [3]). Eph. I, 19. P. et quae sit hereditas virtutis eius. B. S. quae sit supereminens magnitudo (ירתותא — יתירותא דרבותא). Cf. II. Thess. I, 7. Porro exciderunt vel consulto omissa sunt Act. VII, 45. אף; VIII, 13. הוי; X, 2. הוא post דחל; I. Thess. II. 10. איכנו. Redundat autem I. Thess. II, 2. סברתא ante דאלהא; Act. XIII, 2. Samuel legitur pro Saul.

Patet ex hoc Bar Salibaei codice, item ex eiusdem codice versionis Heracleensis (cf. White in annotationibus ad finem Evangeliorum annexis), quanta fuerit etiam tunc temporis Grammaticorum cura in textu Sacro ab omnibus mendis purgando. Gliscebant adhuc scintillae quaedam antiquae Syrorum eruditionis, quae indies imminuebatur. Unus post Dionysium exstitit Iacobitarum vir doctissimus isque tanta doctrinae mole clarus et spectatus inter suos, ut quum agmen clauderet omnium in se iunxisse videretur veterum famam et eruditionem [4]). Erat tamen ille genere non

---

1) Vid. var. lect. ap. Schaafium s. v. ܓܙܡ

2) Gr. *προτρεψάμενοι.*

3) *Οὐ ψευδομαρτυρήσεις* deest in utroque.

4) Bar-Hebraeum dicimus, cuius post mortem ita queritur frater eius: „Non remansit inter nos, qui extraneo satisfacere posset circa aliquam quaestionem de rebus ecclesiasticis aut de aliqua alia profanarum scientiarum sive facili sive difficili disputatione aut qui scribere sciret epistolam sensatam et dulcem et conditam sicut illas, quas scribebat vir iste, quem ornaverat Deus cognitione omnium scientiarum nostrarum et

Syrus, sed patre ortus Hebraeo, quare dictus vulgo Bar-Hebraeus. Gregorius Abulpharagius natus a. 1226, patria Melitinensis, obiit anno vitae sexagesimo a. 1286, Maphrianus Iacobitarum. Scripsit librum horrei mysteriorum, in quo collegit expositionem et correctam lectionem (ܐܘܨܪ ܐܪ̈ܙܐ) totius Sacrae Scripturae. Latet adhuc in bibliothecarum Manuscriptis hoc Bar-Hebraei horreum, in quo variarum lectionum ubique mentionem facit maxime earum, quas Nestoriani sequantur, quas tamen fere omnes sola puncta vocalia respicere testatur Wisemanus. Sunt potissimum quaestiones grammaticae et orthographicae, in quibus aestimatorem se satis languidum et frigidum praebet vir doctissimus [1]). Ipsum audias de Simplici (maxime V. T.) haec disserentem: „Quoniam vero haec Simplex versio, quae Hebraicae consonat et iuxta Eusebium Caesareensem ab Origine apud viduam quandam reperta est, Syrorum manibus ubique teritur, ipsam licet quassatum fundamentum subieci, ex Graecorum vero h. e. LXXII interpretum versione ad eius confirmationem plura adduxi, Aquilae vero et Symmachi et Theodotionis versiones declarationis non confirmationis causa protuli.“ Affert deinde sententias varias de origine versionis V. T. Simplicis simulque vers. Philoxen. mentionem facit, ut supra monitum est. Dicit autem Bar-Hebraeus Simplicem quassatum fundamentum eodem sensu, quo alio loco (in Grammatica) errores quosdam in ea deprehendi scribit, quibus in grammaticae et rectae orationis leges peccatum sit. Continet enim Grammatica eius integrum hac de re titulum, qua probare studet, versionem τῶν LXX esse Simplici multo exactiorem. Simplicem enim ait esse rudem [2]), versionem LXXviralem accuratam et probatam

---

externarum quique ab anno aetatis vigesimo usque ad ultimum spiritum a lectione et scriptione nunquam cessavit.“

1) Scripsit ipse Bar-Hebraeus grammaticam fusius explicatam (librum splendorum), grammaticae epitomen, quam imperfectam reliquit (librum scintillarum), denique grammaticam brevissimam metro S. Ephraemi succinctam.

2) ܦܫܝܛܬܐ a rad. ܦܫܛ pp. niger fuit, Pa. simpliciter fecit, plane et aperte egit. Inde ܦܫܝܛܬܐ simplex, sincerus, purus, non caelatus admixta tamen notione eius, quod ornamentis careat, commune, promiscuum et insulsum sit. Inde: fatuus, stultus, idiota.

(ܦܫܝܛܬܐ), id quod ratione simul et auctoritate probetur. Et ratione quidem, quia nudi errores in ea reperiantur; auctoritate, quia quae testimonia in N. T. ex V. attulerint Dominus eiusque Apostoli, cum versione τῶν LXX concordent. Arguit ruditatem (ܡܣܟܢܘܬܐ i. e. orbitatem, sterilitatem, inopiam) Simplicis ex eo, quod particulis exornativis (adverbiis, coniunctionibus etc.) plerumque careat. Menda autem, quae vituperat, sunt istiusmodi, ut in Evangelio legatur ܒܝܫܬܗ — ܒܝܫܗ, (sufficit dici malitia sua) pro ܒܝܫܬܐ (ut in Philoxen.) porro ܐܝܬ ܗܘܐ ܪܥܐ (erat pascens grex porcorum) ubi legendum ܗܘܬ et alia [1]). Est plerumque Numerus vel Genus grammaticae regulis non exacte respondens, quam ob rem in Simplicem invehitur Bar-Hebraeus. Ita autem pergit: „Quod autem testimonia in N. T. prolata cum locis quidem V. T. vers. τῶν LXX conveniant secus vero cum versione Simpl., declaratur his exemplis: Evang. ecce virgo concipiet et pariet filium. S. concipiens et pariens. Paulus: ut iustus sis in verbis tuis et vincas, quum iudicant te. Simpl. Psalmorum: ut iustificeris in verbo tuo et vincas in iudiciis tuis. In ep. ad Hebr.: Corpore autem induisti me; Simpl. Ps. aures autem perforasti mihi. Sed et Syrorum sol Ephraem noster sermonem composuit in illud: „Extolletur impius, ut non videat gloriam Domini“, ubi in Simpl. legitur: Domine in altitudine manuum tuarum non vident. Haec autem omissis pluribus, quae afferre poteram, non eo huc congessi, ut gentilibus meis insultarem, sed ut veritatem funditus edocti Simpl. versionem plane exactam esse (ܗܘ ܡܫܠܡܬܐ vide supra pag. 180.) cum ceteris populis non contendant.“ Quam pusilli ingenii criticum praestat se Bar-Hebraeus! In ipsis commentariis variantes lectiones accurate notat, receptas quasdam emendat, voces lectu difficiliores quibus afficiendae sint punctis vocalibus declarat, Scripturae denique sensum concisis verbis enucleat. Ordinem librorum sequitur in N. T. hunc: quattuor Evangelia, Acta, Epp. Iac., Petri et Ioannis, Epp. Pauli XIV. In V. T. utitur Hebraico textu et vers. LXXvirali. Insuper Pen-

1) Graviora sunt menda aliquot ex V. T. allata; sed ne illa quidem maioris momenti et errata potius levia quam vitia dicenda.

tateuchus Samaritanus, in Psalmis vero versio Armeniaca et Coptica, Heracleensis et Carcaphensis recitantur [1]). Singulis fere paginis notantur etiam variae Nestorianorum punctationes [2]).

Atque hic quidem absoluta est Iacobitarum historia litteraria. Quae Bar Salibaei et Bar-Hebraei temporibus reflorescere paululum videbatur Syrorum religio et eruditio, haud multo post penitus exstincta est, quum Mamluki totam Syriam vastarent. Quot tandem illa regio experta est barbararum gentium invasiones, quibus Asiam degeneratam tanquam praedam consumere Divino numine obtigit! Syri quidem Nestoriani satis callide et ambitiose insinuaverant se facetiis artibusque suis apud omnes fere gentes et dynastas, qui Asia potiti sunt; sed ne ita quidem pacem diuturnam et barbarorum gratiam adepti sunt. Iacobitae ex urbibus in vicos reiecti, ex Syria in Aegyptum et Mesopotamiam fugaces, in montibus et monasteriorum arcibus reclusi licet saepenumero disciplinam et religionem [3]) antiquam reformare et restituere susceperint, eousque tandem comminuti et detrusi sunt, ut quae eorum supersunt reliquiae, testes tantummodo videantur excisae et deperditae gentis [4]). Iustas luerunt poenas, quod a recto doctrinae vitaeque tramite declinarant. Quanta fuerit tempore Ioannis Scribae, Iacobitarum patriarchae, (a. 1208.) praesidum monasteriorum temeritas et audacia, ex historia Simeonis (Assem. II. p. 234.) videre licet. Tempore Timuris (1496.) coenobium ditissimum Mar Ananiae calamitate

---

1) Non inepte Wisemanus coniicit, Bar-Hebraeum Psalterium polyglotton habuisse. De Psalterio quintuplici vide Blanchini Evang. quadr. II. pag. DCIV.

2) Assem. II. p. 260. sq.

3) Bar-Hebraeus testis est, historiam libris multis tractatam esse ab Iacobitis. Chronicorum magnus erat numerus, quorum quaedam in libris Mss. adhuc reperiuntur, unde multum ad historiam Asiae explanandam conferri potest. Sed maxime Patrum, Doctorum et Martyrum actis delectabantur Syri, quorum quinque supra centum et viginti numerat Bar-Hebraeus.

4) De Iacobitarum patriarcha prope Marden sedente in monasterio Zapharanensi et de Iacobitarum cultu divino cf. Buckingham, Reisen in Mesopotamien (Berlin 1828.) p. 225. sq. Lingua Syriaca in cultu sacro adhibetur, a plebis captu aliena. Eidem ostensum est exemplar Evangeliorum pretiosissimum.

ita pressum est, ut abbas ipsos officii Sanctorum tomos et Evangelium per anni circulum dispositum vendere cogeretur. Neque multo melior erat Nestorianorum status. Bar-Hebraei temporibus paulo post inclaruit Ebediesus metropolita Nisibenus, qui quasi finem impositurus gentis suae historiae litterariae catalogum scriptorum Syrorum confecit, auctor ab Assemano pereximius dictus et eleganti sermone clarus. Ex illo tempore altum silentium excipit foecundam scriptorum copiam; id unum Syris posteriorum temporum relictum est, ut codices suos et sermonem Syriacum in Europam transferrent, eruditionis omnimodae heredem et venatricem.

Cap. VI.

De editionibus N. T. Syriaci.

Ut primum textus versionis Simplicis editus est, Widmanstadius in dedicatione ad Ferdinandum scripsit, Asiaticos christianos vetere Syrorum lingua alios in vita vulgari alios in Sacris tantum uti, eorumque incredibilem esse multitudinem usque ad finem orbis illius dispersam. Neque id praeter veritatem dictum erat. Simplicem N. T. versionem fontem quasi et principium fuisse constat maximae librorum molis, quae apud Syros multa per saecula congesta est; Syri autem quum omnium fere Asiae gentium magistri fuerint, iure suo dixerit quispiam Asiae litteras, eruditionem, doctrinam omnem ab hac Bibliorum versione repetendam esse. Quam divulgatus fuerit, quas usque ad terras pertinuerit usus versionis Syriacae saec. V. et sequentibus, supra expositum est. Legebatur et tractabatur ubique in ecclesiis, scholis et monasteriis non solum Mesopotamiae, Assyriae, Persidis, Arabiae, Syriae, sed erant etiam, qui Constantinopoli et Alexandriae celeberrima hac versione uterentur. Liturgia Severi Patriarchae Alexandrini a Fabricio Boderiano edita pericopas biblicas exhibet cum Simplici prorsus convenientes [1]). Ex quo

---

1) Cf. Bibl. bibl. ed. Adler.: „Hymnus Zachariae, Mariae virginis, Symeonis, historia Philippi et eunuchi Candaces, Nicodemi historia, nonnulla ex ep. ad Hebr. in hoc libro leguntur excerpta e vers. antiqua Syrorum Simplici.“

tempore Monophysitarum plurimi in Aegyptum secesserunt, Syriaca lingua tam vulgaris facta est et communis, ut Copti Mahometanis terra potitis Evangelium Syriace legerent, deinde in sermonem Arabicum transferrent. Versiones Arabicae partim et Persicae factae sunt ex Simplici [1]. Fertur fama, Caroli Magni tempore in Bibliis Latinis corrigendis emendandisque Syriacam versionem esse collatam. Scribit enim Theganus, correxisse Alcuinum collatis Evangeliis cum Graecis et Syris. Cuius rei etsi alibi non occurrit testimonium, vix tamen prorsus reprobanda videtur. Etenim in Bernardi libello de locis sanctis traditur bibliotheca Hierosolymis fuisse beneficio Caroli Magni conquisita, cuius commercium cum Oriente satis amplum et varium fuit. Accedit, quod Alcuinus in Britannia iis in scholis institutus erat, quas Theodorus, ex Cilicia oriundus, fundaverat [2]. Quodsi vero in Europa versio Syriaca minus cognita erat, tum ob linguae inscitiam tum eam ob causam, quod Syria tota ab ecclesia Graeca et Latina desciverat, eadem in Asia ipsa ad extremos usque Indorum Sinarumque fines pervenit. Emisit quidem in Europam quoque aliquot radios Syrorum eruditio; a Syris enim Arabes instituti et Iudaeis et Christianis auctores facti sunt grammaticae, medicinae, philosophiae ex Graecorum praeceptis recolendae, unde plurimum postea ad biblica studia denuo excitanda collatum est; at vero haec quum remotiora sint, intra Asiae terminos acquiescendum nobis videtur. Utebantur autem versione Simplici primum Nestoriani omnes longe lateque in Oriente dispersi, quorum qui in India degunt, Christiani S. Thomae appellantur [3]. Nestoriani in Assyria et Mesopotamia Chaldaei s. Syri orientales dicuntur, quorum alii cum ecclesia Romana confoederati, alii sui iuris sunt. Iacobitae, quamvis in India quoque et Malabaria sedes habuerint, tamen maxime meridiem versus et ad solis occasum se diffuderunt, ut Nestoriani in Asiae plagis insulisque ad orientem sitis. Monasterium habebant celeberrimum S. Deiparae

1) Cf. de Wette, Einleitung ins N. T. §. 12.

2) Neander, Kircheng. III. p. 47. 306.

3) Cf. Assemani tom. III, 2. cap. IX. et X. pag. 413—614.; Ritter V. pag. 608—615. de Christianis in India, qui Suriani dicuntur. Consulendi sunt etiam Vitriacus hist. Orient. c. 76. 77. Villamontius II, 23. et alii ab Andr. Muellero citati.

in deserto Scetensi. Melchitae primum et ipsi Syriace legebant Biblia, postea prorsus abiecerunt antiquum sermonem, linguae Arabicae assueti. Maronitis denique in monte Libano Arabica lingua vulgaris est; recitatur tamen Scriptura Syriace, addita interpretatione Arabica [1]), atque in monasteriis linguae Syriacae usus et exercitatio nunquam prorsus defecit. Quare vix fuit Asiae regnum, provincia, insula, ubi reperta non sit Syriaca N. T. versio antiquissima.

Saeculo Christi decimo sexto, quod omnium terrarum aditus Europae aperuit, opes undiquaque adduxit atque quod maximum est doctrinae vitaeque renovationem praebuit, hoc inquam saeculo Biblia quoque Syriaca eruditorum orbi primum tradita sunt laetissimoque applausu accepta [2]). Erant quidem ante Iacobitarum, Nestorianorum et Maronitarum nonnulli Romam ingressi, pactum erat cum Orientalibus foedus, datae multorum confessiones [3]), praedicatores et nuntii eo terrarum ablegati, sed nulla adhuc linguae Syriacae familiaritas comparata erat. Itaque primus litteris Syriacis in Europa imbutus est Theseus Ambrosius, iuris consultus (ut Reuchlinus), qui magistros habuit Acurium Iosephum sacerdotem, Mosen monachum diaconum et Eliam hypodiaconum, tempore Leonis X. legatos ex Syria ad concilium Lateranense missos. Quocum Widmanstadio Bononiae congresso anno 1529., Theseus aetate provectus „hospes, inquit ingemiscens, peregrinis his studiis deditus sum annis circiter quindecim eaque sine aemulo ad hunc diem amavi. Utinam obveniat mihi aliquando promto paratoque ingenio vir, qui sermonem hunc Iesu Christi sanctissimi labris consecratum posteris tanquam per manus tradendum — nam aetas mihi prope exacta est — a me accipere velit [4]).“ Nactus est senex ipsum Albertum Widmanstadium I. C., Senatorem postea Regium et Austriae Cancellarium, Syriacarum litterarum promo-

1) Renaudot Liturg. Orient. pag. 69.

2) De editionibus N. T. Syriaci egerunt: Georg. Erdm. Vogtius de vers. N. T. Syr. diss. Ienae 1670. (recusa in Io. Oelrichs Germaniae liter. Opuscc. II. fasc. 5.) R. Simon, Schaafius in praef. editionis suae, I. D. Michaelis in introd. in N. T., Hugius, Hoffmannus in tractatu de Syrorum Scriptoribus (Bertholdt, krit. Journal).

3) Bibl. Patr. IV. pag. 1050.

4) Widmanstadius in praef. ed. Vienn.

torem, qui ita hac de re scribit: „Haec igitur Syriacae Arabicaeque linguae initia tanquam semina in Thesei et Aegidii, clarissimorum hominum ingeniis praestantissimis olim inclusa mihique tradita ingens utriusque sermonis in Christianas scholas tandem aliquando producendi desiderium in me procrearunt.“ Eo autem ipso tempore missus est ab Ignatio Iacobitarum patriarcha [1]) Moses sacerdos ex Mesopotamiae urbe Mardin oriundus, inde Meredinaeus dictus, qui Papae catholicae fidei confessionem faceret simulque Novum Testamentum Syriacum typis excudi curaret. Frustra id exsequi conatus Romae ac Venetiis, forte incidit in Widmanstadium, qui Ferdinando Caesari persuasit, ut ad edendum Evangelium Syriacum impensas praeberet. Ita prodierunt Viennae anno 1561. Evangelia quattuor „Divi Ferdinandi iussu et liberalitate, characteribus et lingua Syra Iesu Christo vernacula, divino ipsius ore consecrata et a Iohanne Evangelista Hebraica dicta, scriptorio prelo diligenter expressa.“ Moses Meredinensis ipse in epistolis ad Masium datis Iacobitam se profitetur [2]); in usum Iacobitarum editio parata est et in pericopas secundum ritum huius ecclesiae distributa [3]). Adeo habetur inter pericopas etiam „lectio de genitrice Dei“ et inscriptum est Evangelium „liber N. T. Domini nostri et Dei nostri Iesu Christi.“ Inde autem veritus Widmanstadius, ne propter locos a Vulgata discrepantes totum opus per calumniam deprehenderetur, in fine operis inter menda typographica etiam addenda vel corrigenda putavit ea, quae in textu Syriaco deside-

---

1) Patriarcha Antiochenus, sed qui in urbe Mardin sedit.

2) Andreas Masius, Ducis Cliviaci consiliarius a Mose didicerat linguam Syriacam, cuius primus inter nostros grammaticam scripsit. Idem confessiones Mosis et Sulakae Nestorianorum patriarchae edidit. Epistolas Masii et Mosis edidit Andr. Müller, Symbolae Syriacae, Berol. 1793. Rogarat Moses Masium, ut ipsum I. I. Faggero commendaret, cuius sumtu rarissimos Syrorum libros advehere velit. Erat Moses vir non maximae eruditionis, animi inconstantis, avari, cupidi.

3) Exemplaria mille excusa sunt, quorum ducenta utrique Patriarchae (Iacobitarum et Maronitarum) dono missa sunt. Lectiones dominicarum et festorum uno conspectu praebet editionis appendix et brevis Widmanstadii tractatus in Polyglottis Antverp. Tom. VI. editus. — Exemplaria huius editionis rara habentur. Reperi eam in biblioth. Halensi et Bonnensi.

rarentur vel aliter legerentur atque in Latino. Desunt autem pericopa de muliere adultera Io. VIII, verba nonnulla Matth. X, 8. et XXVII, 25. — versus deinde Luc. XXII, 17. 18.; I. Ioh. V, 7.; legitur porro I. Cor. V, 8. „in fermento“ et Ebr. II, 9.: „ipse Deus [1].“ Asservatur Viennae [2]) codex, quo usus est Moses Mardensis [3]); est autem minime ille pervetustus, sed Mosis ipsius manu exaratus. Quod Adlerus putavit, Nestorianos codices in hac editione adhibitos esse, error est viri doctissimi, quum Nestorianorum codicibus solis defectus illos tribueret qui omnium Syrorum sunt. — Editio Viennensis utpote princeps et a Syro ipso procurata maximi semper pretii habenda est. Accuratissime operis forma et institutio describitur in Hirtii bibliotheca vol. II. III., ubi conferuntur quoque edd. Tremelliana et Antverpiensis. Capitum et versuum nulla est distinctio, in margine tantum capitum nostrorum numerus notatur. Textus distinctus est more Syrorum in lectiones, propria inscriptione seiunctas. Interpunctio satis accurata est. Vocales plerumque, non semper appositae, formae partim Syriacae partim Graecae.

Quod a parte Romanorum inchoatum est, studio maiore et alacritate exceperunt Protestantes. Tremellius, Iudaeus conversus, Professor Heidelbergensis, Testamentum Novum edidit Syriacum typis tamen Hebraeis descriptum, addita versione Latina (a. 1569.) [4]). Ipse ut erat Chaldaeae dialecto assuetus, ad eam deflexit paululum sermonem Syriacum, defectus supplevit, alia correxit, sicut ipse in titulo editionem suam vocat

---

1) Cf. Biga editionum principum N. T. Syriaci praes. Iac. Christ. Beckio. Basil. 1776. 4. — Hirt, Orient. und Exeget. Biblioth. vol. III. — Bruns, in Eichhornii Repertorio vol. XV.

2) Cod. Lambecii 258. Adler krit. Reise pag. 13.

3) Ad Evang. finem testantur Moses Syriace, Widmanstadius Latine, factam esse editionem e duobus exemplaribus; quorum unum erat Mosis, Mosulae scriptum teste Masio in dedic. Gr. Syr., alterum Widmanstadii idque vel Thesei Ambrosii vel Lactantii Ptolemaei, utriusque enim apographa habuit (Praef. p. 22.). Andr. Muellerus l. c. testatur suo in exemplari edit. Vienn. Mosis propria manu esse notatum in marg. ad Act. XXII, 11., addenda esse verba: prehenderunt me manibus qui mecum erant.

4) Cf. Hirt, Oriental. Bibl. II. p. 289. Bruns in Eichh. Repertor. XV. p. 153 sq. —

plerisque locis emendatam. Hebr. II, 9. exhibet Nestorianam lectionem, quare codex Heidelbergensis, quo ille usus est, postea cum bibliotheca Heidelbergensi Romam translatus, scriptus videtur a viro Nestoriano [1]). Henricus Stephanus Genevae librum excudit. Rationem editionis Tremellianae fere neminem accuratius descripsisse video praeter Brunsium (Eichh. Repert. XV.) [2]). In eo magnopere peccavit Tremellius, quod linguam Syriacam Chaldaizantem ipse formavit, ita ut punctationem ad proprias regulas institueret et Futuri pers. 3. Iud loco Nun praeformaret. In textu emendando usus est libris Mss., sed laborabat nimia cupiditate textum Syriacum cum Graeco conformandi. Non tam studuit textum talem praestare, qualis apud Syros receptus sit, sed versionem Syriacam s. Chaldaicam edere, textui genuino conformem. Laudat saepenumero in notis marginalibus M. S. Heidelbergense. Supplevit editionis Viennensis lacunas Matth. XXIV, 17.; Ioh. V, 20.; VI, 39.; Act. XXII, 11.; Rom. I, 17.; I. Cor. IX, 22. etc.; correxit errata (typographica?) ex. gr. Matth. XIV, 3.; XVI, 22.; Act. III, 5.; Rom. III, 7.; XV, 2.; Hebr. II, 9. Aliis locis fatetur, non posse se lectionem, quam adulteratam habeat, ex M. S. suo corrigere, Matth. VII, 23.; XXII, 23.; Act. V, 41.; I. Cor. XII, 23. Pagina ultima exstant apud illum loci quidam, in quorum scriptura partim peccarint operae, partim codex Viennensis ex Heidelb. sit emendandus, ex. c. Matth. XXVII, 20 ܕܢܫܐ ܠܗܘܢ Heid. ܕܢܫܐܠܘܢ, item Raphel. et Guelpherb. Luc. XIV, 21. ܘܠܡܟܐܒܐ Heid. et Guelph. ܘܠܡܐܒܐ.

Tertia prodiit editio versionis Syriacae ex officina Plantiniana a. 1572. in tomo quinto Polyglottorum Antverp. Textus et Syriacis et Hebraicis litteris consignatus est. Fabricius Boderianus editor in praefatione dicit: „Syrum N. T. contextum a me litteris Hebraeis descriptum diligenter recognovi atque cum vetustissimo exemplari Syro M. S. (a. Chr. 1173) religiose contuli. Illud autem vetustissimum exemplar allatum fuerat ex Oriente

1) Andreas Mueller de hoc codice antiquissimo esse consulendos dicit Rutgher Spey Bopardianum et Iunium.

2) Liber rarus videtur. Exstat in biblioth. Halensi Mariae nomine insignita.

a Postello." Idem [1]) in praef. in Ritual. Severi, M. S. illo se usum esse ait tum in conferendis tum in restituendis quamplurimis locis in ed. Viennensi vel diminutis vel perperam impressis [2]). Idem iterum: „Ceterae epp. Canonicae et Apoc. quamvis exstant apud Syros, tamen et in exemplaribus, quae secutus est Widmanstadius et in antiquissimo Cod. M. S., quo usi sumus, defuerunt." Herbertus Maresius [3]) suspicionem movit, Postellianum hoc M. S. esse codicem Coloniensem, cuius variae lectiones a Francisco Raphelengio collectae in eiusdem officinae editionibus N. T. Syriaci a. 1575. 83. appendicis loco additae sunt. Eundem codicem nunc esse dicunt Bibliothecae Lugdunensis [4]). At vero gravem hic errorem latere puto. M. S. illud Coloniense vix ac ne vix quidem in Oriente exaratum est, id quod luculenter cuique apparebit collatione facta variantium, quas exhibet, lectionum. Sunt videlicet permulta in hoc codice ad textum Graecum, nae inquam ad textum Vulgatum Latinum castigata. En exempla ex Matthaeo: c. III, 16. Pluralem ἀνεῴχθησαν restituit. Nomen „Iesus", aliquoties additum in Simplice, iugulatur c. IV, 19. 21. etc.; c. V, 24. Gr. ἔμπροσθεν Raph. קדם, ubi Syrus habet: super altare; c. V, 42. qui vult mutuari. P. qui mutuatur; c. VI, 25. R. addit Amen, quod legitur in Gr. et L.; c. VIII, 15. P. ܠܗܘܢ R. Singularem scribit αὐτῷ ut Griesbachius quoque et Lachmannus; c. VIII, 25. P. ut suscitarent. R. ad textum Graecum restringit: et suscitarunt; c. IX, 35. cod. Colon. Singularem νόσον in textum Syrum intrudit mutatque verborum ordinem; c. X, 21. P. parentes suos.

---

1) Boderianus addidit versionem Latinam. „Hoc in studio — ait in Praef. — incredibilibus exantlatis laboribus adeo ut bis in morbum summo cum vitae discrimine inciderim, tandem Divini numinis gratia et auxilio octodecim mensium spatio N. T. characteres Syriacos in Hebraicos et sermonis Syr. in Latinum conversionem absolvi." Nonnulli ex Catholicis in Tremellium iurgiis invecti sunt, quasi Boderiani versionem transscripsisset, quod plane fictitium.

2) Scripsit Fabricio Postellus, Syros ex vetere traditione affirmare, Marcum Evangelistam non suum tantum Evang. sed et ceteros N. T. libros lingua patria transtulisse.

3) H. Marsh's Anm. und Zus. zu Mich. Einl. I. pag. 142.

4) Per Nicol. Heinsium codex Coloniensis in bibl. Colbertinam ablatus est, inde Lugdunum (Nr. 1198.).

R. delet suffixum ad normam textus Gr.; item c. XIII, 23. τὸν λόγον sine suffixo; c. XIII, 29. συλλέγοντες. Simpl. quum seligatis. M. S. pro ܢܒܐ scribit ܐܣܪܘ quod vocab. Gr. respondet; c. XIV, 3. P. ܓܝܪ? M. S. cum Gr. γάρ; c. XV, 7. P. Ies. propheta; M. S. prophetam expungit, quod neque legitur in Gr.; c. XVIII, 8. abiicit particulam ܓܝܪ in S. abundantem; c. XVIII, 10. addit in coelis sec. Gr. et L. c. XVIII, 21. ἁμαρτήσει; P. Praeteritum habet, M. S. Futurum; c. XX, 34. additur Iesus; c. XXII, 24. ὑποπόδιον deest in P., additur in M. S. ܟܘܒܫܐ; c. XXIII, 37. πτέρυγας. S. Singularem, M. S. Pluralem proponit; c. XXVI, 29. S. Dei. M. S. patris mei, ut Gr. et Lat.; c. XXVII, 1. additur: omnes; c. XXVII, 30. S. ut solverent, M. S. ut peterent cum Gr. et Lat.; c. XXVII, 40. additur ܐܘ quod respondet Latino vae; in Gr. nulla legitur interiectio; c. XXVII, 42. abundant in S. verba „ut videamus“, delentur in M. S.; c. XXVII, 59. S. et venerunt .. et advolverunt, M. S. Singularem scribit sec. Gr. et L.

Luce clarius est, M. S. hoc Coloniense, cuius varr. lectt. notavit Raphelengius, ad formam Graeci et Latini textus emendatum et castigatum esse; immo textui Vulgatae patrocinatur, quocum nonnullis in locis (cf. supra Matth. XXVII, 40. et Marc. V, 42.) conspirat adversus Graecum. Nihil ergo proficit haec collectio Raphelengii ad textum Simplicis aliquo modo pungendum et commutandum; eum tamen in usum adhiberi potest, ut quibus locis Simplex a textu Graeco et Vulgato discordet, conspectu inde facili cognoscatur [1]).

Est tamen aliud quoddam hic obiter notandum, quod videlicet in Rituali Severi a Boderiano edito, quod textum Simplicem repraesentare supra diximus, notantur variantes quaedam lectiones p. 33. Accipe eas ab Andrea Muellero descriptas: Ioh. III, 2. ἄνωθεν ܡܢ ܠܥܠ; Ioh. III, 4. ܠܥܠ ܠܡܬܝܠܕܘ

1) Editiones illas, quae ad rem criticam nullius pretii sunt, taceo. — I. D. Michaelis notat, in bibl. Weimarensi exemplar edit. Antverp. servari, cui adscriptae sint variantes ex cod. Vierressi (?). — Collatio ed. Viennensis cum Antverp. reperitur in Hirtii bibl. orient. vol. III. a Lindnero facta.

Act. VIII, 12. Spiritus sanctus; Act. VIII, 34. ܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢܟ ܡܪܝ; Hebr. II, 9. ܣܛܪ ܡܢ ܐܠܗܐ (lect. Nestor.). — In Polygl. Antverp. tom. VII. Masii Grammatica et Peculium Syrorum edita sunt et Boderiani Lexicon Syro-Chaldaicum.

Trostius in editione Cothenensi satis eleganti vix adhibuit codices Mss. [1], adiecit autem primus syllogen variarum lectionum. Scorsim deinde prodierunt libri ii, qui in versione Simplici desiderantur. Ludovicus de Dieu Apocalypsin S. Ioannis ex MS. e bibliotheca Iosephi Scaligeri depromto charactere Syriaco et Hebraeo edidit una cum versione Latina additisque notis a. 1627. Quem virum de lingua Syriaca optime meritum secutus est Edwardus Pocockius, editis epistolis quattuor, Petri secunda, Ioannis sec. et tert. et Iudae una ex M. S. Biblioth. Bodleianae 1630. Ita quidem quae deerant in N. T. Syriaco suppleta sunt. Esse tamen minime Apocalypsin et epp. illas eiusdem originis atque indolis cum versione antiqua Simplici, facile cuique, qui versus paucos contulerit, perspectum erit. Omnino non exstant illae in versione Syrorum Simplici Nestorianorum et Iacobitarum. Apud Nestorianos nulla fere earum mentio fit; inter Iacobitas alii ut Bar-Hebraeus in commentariis omittunt eas, alii receperunt. Monet tamen Bar Salibaeus, qui commentariis epistolas illas illustravit, eas non inveniri in versione antiqua, sed in ea solummodo, quam Thomas Charclensis confecerit. Itaque in codicibus omnibus versionis Simplicis frustra quaeruntur. Promiserat iam Moses Mardenus, Widmanstadio teste, se allaturum ex Oriente has quoque N. T. particulas, sed primum detectae sunt in M. S. Maronitarum. Possevinus in apparatu apud Maronitas eas receptas esse refert atque iam tum Latinitate donatas fuisse a Balthasare Etzelio Iesuita; neque minus Scaligeri M. S. Apocalypsin exhibens a Caspare quodam Indo [2] exaratum Maronitarum scripturam prodit. Ex Apocalypsi Geórgius Amira quoque in grammatica testimonium protulit, quod convenit cum textu edito. Sunt enim in Canonem Maronitarum

---

1) Trostium cod. Nestoriano usum esse, putavit Assemanus.

2) Eiusdem manu scriptus Codex, Liturgiam Chaldaeorum continens, exstat in Biblioth. Orphanotrophei Halensis. Caspar Indus alumnus fuit Propagandae.

libri hi omnes recepti; ex epistolis lectiones quoque publicae sumtae sunt, quod non factum est in Apocalypsi. Quare id quidem certissimum, ex Maronitarum scriptura depromtos esse libros illos, de quibus nunc agitur; cuius tamen auctoris sint, plane dubium est. A Mar Aba eos scriptos esse, quem Biblia V. T. Syriace transtulisse supra retulimus, coniicit Assemanus, sed ne iis quidem argumentis exstructus, quae hanc hypothesin intentius examinari iubeant. Ex Bar Salibaei verbis multi Thomam auctorem esse comprobare conati sunt, cui opinioni suffragari primum videbatur aliqua interpretandi similitudo. Ita in Apocalypsi articuli nonnunquam redduntur, suffixa vitantur, verborum etymologia [1]), structura, ordo ac fere numerus diligentissime observatur ita ut vel Thomam vel similem eius interpretem facile agnoscas [2]). Reperiuntur tamen horrenda quaedam vitia, nisi potius inesse putes etymologicum ludibrium et detectam sententiam. Iud. v. 6. *δέσμοις ἀϊδίοις* redditur: vinculis ignotis; Apoc. VIII, 13. *μεσουράνημα* compositum habetur ex *μέσος* — *οὐρά* et *αἷμα* (sed c. XIX, 17. in medio coeli?). Versione Philoxeniana s. potius Heracleensi edita dubitationi locus non relictus est; apparet enim satis magna diversitas. Quare sunt, qui epistolas Pocockianas Polycarpi versionem habeant, quam Thomam correxisse constat. Alii aliter. Accedunt omnino epistolae illae quattuor ad illud interpretationis genus, quod in vers. Philox. conspicitur; tamen non eadem est in illis diligentia et scrupulositas neque sufficiens linguae Graecae peritia. Apocalypsis in versionis Philoxenianae codicibus non legitur; Hugius eam, quam edidit de Dieu, Philoxenianae versionis partem habet [3]).

Neque vero hic praetereundum est, ex illo tempore, Maronitarum collegio Romae collocato, grammaticam Syriacam ita

---

1) Cf. Hug, Einleitung 3. Aufl. I. Thl. pag. 353. Gutbirius Lexico adnexuit spicilegium continens nonnullas dictiones partim peregrinas partim rarius occurrentes, quarum plurimae leguntur in epp. illis quattuor et in Apocalypsi.

2) Apocalypsis in Philoxenianae versionis M. S. Ridleiano non reperitur. Monuit Whitius, reperiri eam in cod. Florentino, cui Thomae nomen subscriptum sit. Sed vide Adlerum de verss. p. 78.

3) Cf. Storrium in l. c. et I. D. Michaelem in Introd. in N. T.

ubique usu receptam esse, quomodo a viris Maronitis, Georgio Amira [1]) potissimum tradita est. Itaque monet Ludovicus de Dieu in praefatione ad Apocalypsin, se relicta Chaldaica Tremellii et Boderiani punctatione in omnibus se applicasse Syriacae linguae regulis, quales ab illis expositae essent, ad quas promulgandas inque communem consuetudinem introducendas multum deinde contulit Syriaca V. et N. T. versio, in Polyglottis Parisiensibus opera et manu Gabrielis Sionitae edita. Emendasse quaedam et variasse dicitur Sionita, qui vocales ubique apposuit et V. T. libros primus punctis instruxit, qua in re utrum codices M. S. an proprium iudicium secutus sit, incertum. I. D. Michaelis [2]) maxime in Apocalypsi reperiri multa ab editione Ludovici de Dieu discrepantia monet neque defuerunt, qui omnino arbitrarium minimeque certum probatumve habuerint hunc Bibliorum punctatorem. Veruntamen in Apocalypsi aliud fortasse M. S. secutus est Sionita in locis quibusdam diversum ab illo, quod de Dieu a se accurate descriptum, sed multis mendis refertum esse testatur; quod autem in punctatione universa non tam suo ingenio indulserit, quam rationem et traditionem antiquam sit secutus, Wisemanus collatis Karkaphensis recensionis partibus comprobavit. Est igitur tenendum, punctationem textus nostri Syriaci esse in universum eam, quam Iacobitae et Maronitae tradiderunt.

Polyglotta Londinensia textum exhibent, ut in Prolegomenis dicitur, non ex propriis iudiciis, sed secundum exemplaria Mss. constitutum. Memorantur etiam in apparatu Waltoni codices, quorum facta sit collatio in V. T., M. S. duo Usserii, alterum Pocockii et aliud ex Bibl. Cantabrigiensi, sed de N. T. altum silentium est. Historia de adultera addita est ex M. S. Usserii vers. Philoxenianam continente, ubi margini adscripta fuit [3]). Proponuntur solummodo in Tomo ultimo variae lectio-

---

1) Georgius Amira in patriam redux Maronitarum patriarcha electus est.

2) Einleit. ins N. T. I. pag. 375. Apocalypsis et epp. quattuor catholicae primum in Paris. Polygl. cum versione antiqua Simplici coaluerunt atque ex illo tempore in omnibus exemplaribus leguntur.

3) In codice Ridleiano historia haec de adultera Syriace versa esse dicitur a Mar Aba a. 522. — Storrius in Cod. Paris. vers. Philoxen. al-

nes textus quoque Syriaci, quas collegerat Trostius. **Gutbirius**, cui duo erant manuscripta, textum a se editum ad M. S. Lugdunensis fidem in veteris, ut ait, punctationis honorem restituit [1]. — Largissimam variarum lectionum segetem praebuit **Schaafius**, qui Nov. Testam. Syr. ad omnes editiones diligenter recensuit. Haec Leusdeni et Schaafii editio tanquam accuratissima ceteris palmam praeripuit. Discessit tamen Schaafius in eo a Leusdeno, ut ipse Syriacam, Leusdenus Chaldaicam punctationem probaret, ut ipse scribit his verbis: „Leusdenus cum Tremellio, Masio, Buxtorfio, Wasero aliisque fere Hebraizantibus et Chaldaizantibus ad Waw terminale 3. pers. plur. masc. Praeteritorum et 2. pers. plur. masc. gen. Imperativorum adscribi volebat vocalem Ezozo, ego cum ipsis Syris vocalem nullam ibi adscribendam esse asserebam. Terminali Iud Pronominis ܐܢܬܝ, Affixorum, Verborum 2. pers. sing. foem., 3. pers. plur. foem. etc. praeponi volebat vocalem Chevozo, in qua ܝ quiesceret: ego et hic Syros imitans nullam vocalem praeponendam esse dicebam. Dein tertiam radicalem 1. pers. plur. Praeter. punctari volebat vocali Petocho, ego ex Syrorum sententia eam litteram sine vocali imprimendam esse aiebam. Simili modo Imperativum Ettaphal Defectivorum prima radicali punctabat ܐܬܬܒܒܘ, Syri punctant ܐܬܬܒܒܘ et alia.“ Secutus est Schaafius praecepta Leusdeni; eius tamen morte intercedente, quum ad versum usque vigesimum cap. XV. Evang. Lucae ventum esset, in sequentibus propriam sententiam servavit. Ipsum textum quod attinet, pro fundamento posuit Schaafius editionem Viennensem; quae tamen quum non omnibus instructa sit vocalibus

---

teram versionem invenit, cui adscriptum erat, non quidem legi hunc locum in Syrorum exemplaribus, sed invenisse eum Abbam Paulum (?) et transtulisse hanc historiam in Syriacum. Et aliae eiusdem historiae versiones exstare videntur. Cf. Bernstein, Syr. Studien. De Bar Salibaeo vide supra.

1) Cf. appendix Lexici Syriaci exhibens variantes punctationes. Bruns in Eichhornii Repertor. XV. Animaverat Guthirius exemplum suum Trostianum vocalibus ex M. S. Constantini L'Empereur. Vid. Rosenmüller, Literatur der bibl. Kritik und Exeg. Thl. III. p. 116. In M. S. illo se reperisse ait reliquias quasdam antiquae punctationis, quae in nonnullis libri vocibus vocumque syllabis apparuissent.

libus neque accurate iis ubique litterae et syllabae appositis, secutus est in punctatione Parisiensem edit. et Londinensem, Gabrielem igitur Sionitam. Textus autem in capita et versus distributus est secundum textum Graecum; ordo quoque librorum ad nostram consuetudinem mutatus; epistolae, quae deerant in Viennensi, Apocalypsis et historia de adultera, a Schaafio et ipso insertae sunt, ita ut a Syrorum exemplaribus satis discedant vulgatae nostrae editiones. Variae lectiones a Schaafio „magno sudore collectae“ neque magni momenti sunt omnes, originem et auctoritatem si spectas, quia non MSS. sed editionum rationem habent neque fere ullam nisi punctationis varietatem afferunt neque tandem ad regulas quasdam et classes dispositae sunt. Etenim id recte de Schaafio iudicavit I. D. Michaelis, maximam spectari in viro diligentiam et curam, non idem ingenii acumen et dexteritatem [1]).

In proprium Maronitarum usum Romae typis congregationis de propag. fide anno 1703. Novum Testamentum excusum est Syriace et Arabice (Carschunice i. e. lingua Arab., litteris Syriacis), duobus tomis, quorum primus „Sacrosancta Iesu Christi Evangelia“ alter „Acta App., epistolas catholicas et Pauli“ continet. Textum ex codice Bibliothecae collegii Maronitarum de urbe, quem Patriarcha Antiochenus eiusdem nationis cum permultis aliis ecclesiasticarum rerum voluminibus transmiserat, edendum curavit [2]) Faustus Naironus Banensis Maronita, qui in praefatione suscepti laboris rationem reddit. Epistolae Petri II., Ioannis II. et III. et Iudae una nec non Apocalypsis, paucas lectionum varietates si excipis, eundem textum exhibent, quem de Dieu et Pocockius ediderant. Versus Luc. XXII, 17. 18. et historia de adultera recepta sunt, sed asterisco notata; loci Act. XXVIII, 29. et I. Ioh. V, 7. desunt; Act. XX, 28. ecclesia

---

1) Schaafius versionem addidit satis accuratam. Nonnunquam tamen iure quaesiveris, num recte transtulerit. Cf. II. Tim. III, 17. ut sit perfectus homo Dei ad omne opus bonum et consummatus. Facilius ܡܫܡܠܝ refertur ad ܓܒܪ, ut Schaafius ipse habet in Lexico. I. Io. III, 2. etc.

2) Bernsteinius monet (Syr. Stud. Z. d. M. G. III. fasc. 4. p. 398.), factam esse hanc editionem e codice, quem a. 1611 Antonius Sionita clericus et monachus exaraverit secundum Mss. tria collegii Maronitarum. Eum codicem nunc esse bibl. Florentinae. De eadem edit. conferendus Schnurrer, Bibl. Arab. p. 370.

„Christi“; I. Cor. V, 8. legitur „azymum“; Hebr. II, 9. nescio quam lectionem sequatur. Eiusdem textus editio altera esse videtur quae inter Biblia Londinensia reperitur, hoc titulo [1]) adornata: ܟܬܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܕܝܐܬܝܩܝ ܚܕܬܐ ܒܠܫܢܐ ܣܘܪܝܝܐ ܘܐܬܩܢܐ ܐܝܟ ܟܬܒܐ ܕܟܬܒܐ ܕܥܒܪ̈ܝܐ: Reperi hanc editionem in Bibliotheca Acad. Bonnensis, nil tamen certius de ea compertum habeo. Vocales raro admodum appositae sunt.

Londini cura Samuelis Lee editum est Novum Testamentum Syriace denuo recognitum atque ad fidem codicum manuscriptorum emendatum 1816. 4. Biblia universa ibidem edita sunt impensis societatis Biblicae ܒܫܢܬ ܡܫܝܚܝܘܬܐ ܐܬܬܟܓ̄ (anno christiano 1823.). In Veteris Testamenti titulo notatum est: „Eos tantummodo libros esse in hac editione receptos, qui in Hebraeis exemplaribus legantur; esse porro emendatos ad M. S. Syriaca alicuius vetustatis in usum eorum, qui in terra Malabar degant etc.“ In N. T. editione anni 1816. notatum erat, fore ut brevi promulgentur codicum Mss. collationes, ad quorum fidem haec editio emendata sit; neque tamen quod sciam id factum est, nisi quod editor, Sam. Lee Cantabrigiensis in Diario quodam pauca de editione sua monuerit, mihi incognita. Locus I. Ioh. V, 7. deest; I. Cor. V, 8. legitur „in fermento“ sed adnotatur, in aliis exempl. reperiri „in azymo“. Historiae de adultera inscriptum est, eam non reperiri in Simplice. Matth. XXVII, 35.; Act. VIII, 37.; XV, 34. in notis apponuntur, quae desunt in textu; versus Luc. XXII, 17. 18. uncis inclusi sunt etc. Secutus est igitur editor Londinensis quam maxime potuit textum antiquum, ita tamen ut textus Graeci et Syriaci recepti ratione habita aliquo modo conciliaret Simplicem Syrorum cum textu nostro. Punctatio convenit cum illa, quam Schaafius secutus est. Vocales Graecae adhibitae solae. Puncta Ribui, linea occultans, Rucoch et Kuschoi ponuntur. Lectiones, in quas libri sacri dispositi sunt, Syriace medio in textu inseruntur. Textus accurate excusus, a mendis typographicis quantum fieri potest purgatus.

Nuperrime societas Amerikana pro propaganda fide Urmiae [2]), ubi praedicatores nonnulli sedem fixerant, Novum Te-

---

1) Titulus idem est atque editionis Romanae cf. Hug l. c. p. 374.

2) Ritter IX. p. 948.; Roediger, Zeitschr. f. k. d. M. 2. p. 77.

stamentum in usum Nestorianorum ibi degentium typis excudi curavit, cuius tamen exemplaria perpauca nostras in regiones translata sunt. Ipsi Nestoriani magnopere id exoptaverant, ut Evangelia eius versionis, quam solam norunt et venerantur, antiquae Chaldaeae videlicet i. e. Simplicis, publici iuris fierent et in scholis legerentur. Primum quidem consilium ceperant Missionarii textum Bibliorum edendi in dialecto Syriaca nunc vulgari; cuius tamen quum locis variis nimia esset varietas et inconstantia, textus antiquus editus est, ut in ecclesiis illius regionis addita interpretatione in dialecto vulgari hodieque legitur. Misera tamen sorte Nestoriani illi nuperrime afflicti sunt, propter admissos Occidentales suspicione et ira paschatis Mosulani in patriarcham excitata. — Denique exspectandus est propediem liber Evangeliorum recensionis antiquissimae ex codice pervetusto Nitriensi, quo edendo W. Cureton Anglus occupatus est, qui V. quoque Testamenti editionem novam secundum codicem saec. VII. ex Mesopotamia allatum se curaturum esse promisit [1]).

Atque hactenus de editionibus versionis N. T. Simplicis. Pertinent autem ad apparatum criticum etiam coniecturae et emendationes. I. D. Michaelis in introductione in N. T. quasdam affert versionis Syriacae lectiones, quae ipsi corruptionis suspicionem moverint. Ita Matth. IX, 36. levi mutatione legendum putat pro ܫܪܝܢ — ܫܕܝܢ, quod vocabulum Graeco ἐῤῥιμμένοι magis respondeat. Suspectum ei videtur, quod in Simplice pro via sabbati legitur „septem stadia" et Act. II, 42. „eucharistia", quae lectiones interpretamenti speciem prae se ferant. Hebr. IV, 3. καθὼς εἴρηκε, in Syr. verba sunt interrogantis: quomodo autem dixit? Hebr. IV, 12. additum est „ossa", quod Michaeli irreptitium videtur; c. VII, 21. additum „per Davidem (dixit)"; c. VII, 12. legitur: ܐܡܪ ܕܝܢ ܒܛܟܣܗ ܕܐܗܪܘܢ, ubi Michaelis cum Arabe legere vult: non autem dixit. Sensus sane negationem postulat, quare Schaafius vertit: „dixisset autem", cui versioni accederem, si probatum esset, Perfectum hoc sensu dici a

1) Tischendorfius, ex itinere in Angliam redux, retulit (Augsb. Allgem. Zeit. 30. Ian. a. c.), maxime insigne esse in codice, cuius textum editurus sit Curetonus, Evangelium Matthaei, plane diversum a Matthaeo nostro et propius ad Lucam accedens. Id ipsum codicem universum mihi suspectum reddit.

Syris. II. Petr. II, 1. pro ܒܥܡܡܐ facilius legi ܒܥܡܐ; c. II, 17. pro ܡܢ ܥܠܥܠܐ superne ܥܠܥܠܐ (?) ὑπὸ λαίλαπος, ut Arabs quoque legat; c. II, 18. Syrus habet ܓܘܚܟܐ risus, ubi in Graeco ὑπέρογκα, cui satisfacere putat Michaelis, si legatur ܓܘܕܢܐ (?) [1]). Laborant autem hae coniecturae nimia vel facilitate vel difficultate; etenim textum Syriacum aut mutatione facili ad Graecum conformare student aut voces substituunt formae ususque rarioris. Mutuatus est Michaelis haec corruptae lectionis exempla maximam partem a patre, qui et alias profert emendationes, quarum nonnullae magis probabiles videntur. Omnino enim ille, Chr. Ben. Michaelis, diligentia erat accuratissima, linguarum orientalium optime gnarus, cuius vestigia si pressius insecutus esset filius, artem criticam felicius exercuisset. Putat igitur Luc. II, 10. (τῷ λαῷ) in Syriaco falso scriptum esse ܠܥܡܡܐ pro ܠܥܡܐ (cf. supra II. Petr. II, 1.); c. II, 30. (τὸ σωτήριόν σου) ܚܝܝܟ pro ܚܝ̈ܝܟ; c. IV, 19. (ἀποστεῖλαι) ܠܡܫܪܘ pro ܠܡܫܪܘ etc. (tract. crit. de varr. lectt. N. T. §. 66. pag. 71.). Si quis coniecturis et emendationibus locum dare velit, facillimae sane sunt eiusmodi mutationes, quibus litterae forma similes (ܕ et ܪ, ܐ et ܠ, vide supra Bernsteinium pag. 156.) vel pluralis et singularis, Peal et Pael inter se permutantur, ut lectio Syriaca ad Graecam propius accedat. Ita ex. c. Matth. XXI, 14. in Graeco legitur προςῆλθον, Syr. ܩܪܒܘ habet cum punctis τοῦ Pael, Persa et Arabs „accesserunt.“ (Cf. de Dieu, Cr. S.). Item Matth. VIII, 4. ܟܗܢܐ cum punctis Ribui, ubi lectio Graeca singularem exhibet. Haec tamen regula si agnoscitur ab omnibus, id non esse critici et editoris, ut textum Syriacum talem fingat et formet, qui melior et Graeco accomodatior sit sive etiam qualis fortasse ab initio fuerit, sed potius eum textum ut servet, qualis in Syrorum

---

1) Observatione dignum est, quod praeter ep. Petri secundam maxime in ep. ad Hebraeos lectiones reperiuntur, quae emendatione egere videntur. Nonne inde quoque probatur, hanc epistolam ad alium auctorem referendam esse quam libros ceteros?

libris reperiatur, cavendum omnino erit, ne facilitati emendationum indulgentes accuratae codicum collationi supersedeamus.

Sed aliam emendandi viam ingreditur Michaelis in curis in vers. Syr. Actuum (Gotting. 17.5.), ubi vitia quaedam textus Syriaci posse detegi putat ex versione Arabica, quae nimirum ex illa facta sit (§. VI.). Ita legendum statuit Act. II, 9. Elamitae pro Elami; c. VII, 43. Remphan pro ܪܕܦܢ; suspectum quoque habet c. XIII, 8. Barsuma, cuius nomen interpretatione redditur Elymas et c. XIII, 15. versionem mendosam dicit. — Veruntamen hic quoque magnopere cavendum est, ne leves facilesque simus in corrigendo et emendando. Michaelis enim ipse saepius memorat, minime in omnibus et ubique sequi Arabem versionem Syriacam; quare si quo loco aliter legat Arabs, statim non est eadem lectio in textum Syriacum transferenda tum maxime, ubi Arabem ad textum Graecum propius accessisse verisimile est. Est tamen in Evangeliis Persa, in Actis Epistolisque Arabs Erpenii rite probeque consulendus, ut lectio Syriaca ubi forte dubia sit, restituatur. Hoc quoque negotio Michaelis pater multo rectius functus est quam filius. Etenim quas ille in libro laudato §. 72. (pag. 76.) ex Persica versione attulit Syriacae matris emendationes, multam veritatis speciem habent, ex. c. Matth. XXVII, 60. ܘܥܓܠܘ et sequentia verba in plurali, ubi Gr. et Pers. singularem habent; Luc. VII, 45. ܫܠܬ pers. 3. pro ܫܠܬ; Io. II, 14. ܐܫܟܚ pro ܡܫܟܚ etc. Item ex vers. Arabica Erpeniana Syriacam corrigendam esse ex. gr. Act. V, 10. *αὐτῶν* pro *αὐτοῦ*; VII, 11. *ἐμοσχοποίησεν* sing. pro plur.; Hebr. II, 9. *χάριτι θεὸς* pro *θεοῦ*; c. XI, 26. *τοῦ θησαυροῦ* sing. pro plur. etc. etc. Sunt et haec pleraque eiusmodi exempla, in quibus vel numerus mutatus est vel persona vel casus vel littera similis etc. Variata si est versio Syriaca, accidit id proculdubio saeculis primis, antequam multis exemplaribus transscripta est, quo tempore neque puncta apposita erant neque textus Graecus a scribis conferri potuit. Sed quis est, qui discernere possit, utrum ab interprete ipso textus varietas quaedam et pravitas originem duxerit an a manu posteriore inducta sit? Placet omnino, antequam huic capiti finem ponamus, sententiam nostram proferre de textu versionis Simplicis critica

cura inquirendo et constituendo. Sunt igitur haec potissimum, quae observanda et pensitanda ducimus, si quis novam versionis editionem aggredi velit.

I. Primum id tenendum est, quod omnes testantur [1]) et historia Syrorum ipsa luculenter probatur, maximam in eo curam ab antiquissimis temporibus collocatam fuisse, ut littera Scripturae sacrae sui semper similis probe servetur. Maxima enim fuit versionis Simplicis veneratio; antiqua et beata dicebatur; ne Iacobitae quidem, licet despexerint eius simplicitatém, derogare eam ausi sunt; inhaerebat memoriae monachorum et lectorum, ipsa commata numerabantur, quare neque disputatum est inter Syros de magna lectionum varietate, neque loco nec tempore ullo prodiit textus ab eo magnopere discedens, quem Syrorum nationes et sectae omnes venerantur. Stat igitur haec regula, ne facile admittatur in vocibus litterisque mutatio a textu omnibus probato. Tamen is et tantus non est hic concentus, ut omnis omnino varietas sublata sit. In orthographia, in particulis, in formis grammaticis aliisque rebus vix magni momenti apparet antiquissimorum codicum differentia. Quare in examen vocandi sunt codices supra laudati, imprimis antiquiores, ex Mesopotamia in Europam transvecti, quae cuiusque scriptura et lectio sit. Specilegium varr. lectt. cod. I. Nitriensis praebuit Adlerus; cod. Guelpherbytani variantes collegit Brunsius; cod. Altdorfini (Erlangensis) variantes Gerhardus notavit, quas ad Matthaeum et Marcum edidit Albrechtus [2]). Congruit nonnunquam cod. Guelph. cum Nitr. contra textum receptum maxime in lectionibus talibus, quae propius ad textum Graecum accedant. Prae ceteris collatione dignus mihi videtur codex Florentinus. Nam quod dubitat de eius aetate Adlerus, non satis mihi probatum est, quum epigraphe accuratissime nomina eorum, qui

1) Roediger de origine et indole Arab. librr. V. T. historr. interpretationis pag. 41.: „Satis enim inter omnes harum litterarum existimatores constat, quum N. T. interpretatio Syriaca propter magnam quam nacta est dignitatem ad nostra tempora fere integra servata sit, longe aliter V. T. interpretationi accidisse etc."

2) Variae lectiones Syriacae codicis IV. Evangelistarum ms. vetustissimi e bibl. Gerhardina. Ienae 1666. cf. I. E. Gerhardi exercitt. ad N. T. Syr. Witteb. 1646.

hunc codicem monasterio Ioannis in Beth-Zagbe comparaverint, recenseat. Est autem codex ille arte admirabili et cura summa scriptus eo ipso tempore, quo Syrorum scholae florebant in Mesopotamia. Eusebii canones et epistolam praefixam habet, unde critica quaedam cura et sollertia patet. Est autem in codicibus prospiciendum, utrum Iacobitarum an Nestorianorum fuerint, quo loco et quando scripti sint. Nam Iacobitarum codices post editam versionem Philoxenianam ad textum Graecum corrigi coeptum est. Si quo loco de vera lectione dubitetur, in auxilium vocandae sunt etiam versiones ex Syriaca factae, et ubi fieri potest Ephraemus; denique ad textum Graecum tum demum accedendum est, ubi manifestum est, talem errorem in versione latere, qui facili litterarum mutatione a primis versionis temporibus [1]) irrepserit. Nec vero versio Syriaca talis habenda est, quae naevos nullos habeat neque a veritate unquam abierit in perversam et satis absurdam lectionem; tum non corrigendum est, sed interpretatio prava, parum accurata neque satis perspicua notanda.

II. Codices illi antiquissimi tum quod sola Evangelia continent neque illa non laesa lacunis et litterarum abstersione, tum vero, quia difficillima satisque impedita est eorum collatio, ad alios deinde codices recurrendum est recentioris aetatis, maxime illos, qui in ecclesiarum et monasteriorum usum summa cura et industria tantaque arte exarati sunt, ut littera quaelibet suis cum punctis accuratissime scripta appareat. Eiusmodi sunt codex Biblioth. societ. Rom. de Propag. fide [2]), codex Parisinus ab Ewaldo Cod. Iu. signatus [3]), alii similes in Europam translati.

---

1) Saepenumero animadverti iis in locis, in quibus a textu Graeco discrepat versio Syriaca, facili mutatione lectionem talem restitui posse, quae Graecae respondeat. Animadverti porro, ubi vers. Syr. a textu Graeco aberrat, minime ubique codices et versionem Persicam s. Arabicam consentire. Quare id verisimile est, saecc. primis librariorum culpa textum Syriacum paululum variatum esse. Tamen vix multa neque magna sunt, quae mutata, omissa vel irreptitia videntur. — Porro in codd. saec. VI., VII. et VIII. varietas maior observari videtur, quam in codicibus serioribus; quare putandum est, postea in ecclesiis textum receptum tanta constantia servatum esse, ut exemplaria fere omnia plane congruerent.

2) Ewald, Zeitschrift für K. d. M. II. Thl. pag. 210.

3) Abhandlungen pag. 56.

Fieri si potest, codices Nestorianorum, Iacobitarum, Melchitarum, Maronitarum conferendi sunt variis locis variisque temporibus scripti; etenim in qua lectione omnes Syrorum partes consentiunt, in ea sine dubitatione acquiescendum est. Romae praesertim, Parisiis [1]) et Londini codices Syriaci exstant plurimi a nemine hucusque examinati et publici iuris facti. Rarius quidem Acta et Epistolae reperiuntur in codicibus; sunt tamen libri manuscripti satis multi, qui vel universum Testamentum continent vel lectionum seriem ad anni ecclesiastici circulum compositam. Epistolae denique quattuor illae in Simplici non exstantes et Apocalypsis Ioannis et ipsae in codicibus aliquot leguntur, qui melioris notae esse videntur [2]), quam ii, ex quibus primum editae sunt; quare illi consulendi sunt una cum Maronitarum editione Romana, quia ex Maronitarum canone libros illos ad nos pervenisse constat. Ut vero facies versionis Simplicis antiqua et genuina quantum fieri potest servetur, librorum ordo Orientalium more restituendus est neque lacunae ad arbitrium editoris vel ex aliis versionibus supplendae, sed in margine solum quae in Simplici desunt notanda sunt et aliunde suppleri possunt; denique Epp. quattuor catholicae et Apocalypsis appendicis loco recipiendae. Parum quidem refert ad textum ipsum dispositio in capita et versus, neque quae ad ecclesiasticum usum pertinent editioni criticae inserenda videntur; tamen abs re non fuerit, si in Prolegomenis sive notis exponeretur Orientalium consuetudo in textu distribuendo et adornando. Primum enim Ammonii et Eusebii canones adhibuerunt, deinde vario modo in sectiones s. capita disposuerunt Evangelium, Acta, Pauli Epistolas, tres illas N. T. partes, denique variae Syrorum sectae, Nestoriani, Iacobitae, Graeci [3]) lectiones certas die-

---

1) Rich. Simon, Kritische Hist. der Uebers. des N. T. (deutsch von Cramer) I. pag. 337. Quocum conferenda sunt, quae supra protulimus ex Catalogo Paris. p. 145.

2) Catal. Bibl. Reg. Paris. cod. Syr. XV. (pag. 54.) continet scriptura Estrangelo exaratos libros N. T. omnes praeter Apocalypsin. — Apocalypsis exstat in cod. Florentino, in bibl. S. Marci PP. Dominicanorum asservato, de quo vide Adlerum l. c. p. 78.

3) Apud Adlerum cod. VIII. Vatic. continet XXI pericopas ex Actis et Epistolis Paulinis. — Cf. omnino Adlerus de Lectionariis Syrorum in libro saepius laudato.

bus festis et dominicis adscripserunt. Habent Orientales notas quoque masorethicas et titulos sectionum argumentum indicantes, quorum notitia haud infructuosa est. De quibus omnibus Scripturae Syriacae lector brevi admonendus est. In textu ipso vix probarem nostram versuum distinctionem, quorum numerus in margine notetur.

III. Gravior neque facile expedienda videtur quaestio de scripturae et punctationis genere. Scriptura quidem antiqua, Estrangelo dicta, duas peperit, Nestorianorum unam, alteram Maronitarum s. ut Nestoriani dicunt Iacobitarum. Haec quidem, quum apud nos a primis inde temporibus invaluerit et formarum facilitate se commendet, non reiicienda est. Utrum vero adhibenda sint puncta Orientalium an signa vocalium Graeca, dubitandum videtur. Graecorum vocales magis magisque libros editos occuparunt, quum prius iunctae essent cum punctis antiquis. Facilitas quidem vocalium Graecarum maxime si prelo scriptura committenda est, commendatur; attamen ab antiquo et proprio scripturae Semiticae charactere plane abhorrent. Punctum diacriticum vix sufficeret; quare potius quinque vocalium puncta Nestorianis et Iacobitis communia adhibeantur. Affigantur autem tabulae exempla exhibentes variae scripturae simulque in Prolegomenis notetur vocalium apud varias Syrorum nationes discrepantia et diversa pronuntiatio, accentuum quoque formae et nomina tradantur; sufficiat autem in textu ipso interpunctio talis, qualis in edit. Viennensi reperitur. Porro punctatio a praeceptis grammaticis pendet. Qua in re nunc non quaerendum est, utrum Tremellium, Buxtorfium, alios viros chaldaizantes an Syros ipsos, Amiram, Echellensem, Gabrielem Sionitam eorumque pedissequos audiamus, ut olim Gutbirius, Leusdenus et Schaafius disceptarunt; comperto enim, Syros inter se ipsos variis locis et temporibus in varias partes abiisse, quaeritur potius, quorumnam praecepta normam nobis et legem ferant. Syllabas quidem finales in Verbo Syri omnes mutas esse iubent, sed maxime de vocalium pronuntiatione et aliis quibusdam rebus minoris momenti Nestoriani a Iacobitis differunt; adeo in vocabulis formisque multis quibus et quot vocalibus instruendae sint, ambigitur, quum alii auctores et exemplaria aliam rationem sequantur. Primum igitur certae ac probatae grammaticae et orthographiae leges constituendae sunt, ad quas punctatio aequabili

et constanti modo adornetur. Id tamen Maronitis et Iacobitis nos debere mihi videtur, quos primos et unicos linguae Syriacae magistros habuimus, ut ad illorum praecepta et rationem accedamus, quantumvis qui princeps eorum et inter suos incomparabilis existimandus est, Ios. Sim. Assemanus ingenue ipse fateatur, Nestorianorum grammaticam et pronuntiationem cursum rectiorem tenuisse et antiquitate probari. Erat tamen neque Edessenae scholae spernenda auctoritas et fama, atque si Iacobitarum lingua et consuetudo paululum deflexit ab antiquo Aramaismi genio, propior et facilior facta est Occidentalibus nobis, quum Iacobitae et Maronitae crebra Graeci sermonis consuetudine linguam suam detriverint paululum et transformarint. Ad hanc autem grammaticam punctationis quaestionem feliciter expediendam magni momenti foret, si Iacobi Edesseni, Bar-Hebraei, aliorum grammatica nec non tractatus aliquot antiqui de vocum punctatione, de vocibus aequivocis etc. conferri possent. Multis enim de vocabulis, maxime iis, quae minus usitata formaeque rarioris sunt, non tam ex grammaticae lege, quam usu iudicandum est, quare quid ipsi Syri statuerint, quomodo legere et scribere iubeant, inquirendum. Gutbirius in appendice Lexici Syriaci uno conspectu obtulit puncta varia, quibus dictiones N. T. Syriaci rariores et difficiliores ab auctoribus aliis alio modo instructae sint; alios legere ܐܟܣܕܪܐ alios ܐܟܣܕܪܐ; ܕܘܟܐ et ܕܘܟܐ; ܕܒܠܐ et ܕܒܠܐ et quae sunt alia eiusmodi. Ipsum constat Bar-Hebraeum in commentariis quavis fere pagina varias punctationes afferre Nestorianorum et Iacobitarum, quarum paucas apud Wisemanum videre licet. Apud ipsos olim Syros in aliis codicibus aliter legebatur, ut probant variae lectiones in rec. Karkaphensi obviae [1]). Varia haec punctatio non orthographiam solam spectat, sed etiam sensum tangit aliquando. Ita Pluralis scribitur ubi in alio codice Singularis, et punctis appositis formarum varietas exsistit, quae in consonantibus non conspicitur. Variant porro Verbi coniugationes, quaeritur sitne ad Verbum an ad Nomen aliqua forma revocanda etc. In quibus omnibus non ad arbitrium confugiendum est, sed quaerenda auctoritas.

---

1) Cf. variae quoque lectiones ex Pentateucho Syriaco a Tuchio collectae.

Praebeatur autem in appendice specimen punctationis diversae, maxime Nestorianorum; ordine alphabetico voces componantur, de quarum punctatione ambigitur; si quo loco sensus punctorum varietate mutetur, varia lectio eiusque testes proferantur. Denique ad locos primarios, in quibus Simplex a textu Graeco recepto discedit vel omissione vel addito interpretamento vel diversa lectione, brevis in appendice scribatur commentarius; versus autem, qui singularem interpretationem praebeant sive hermeneuticam sive dogmaticam nec non ii, in quibus antiquus scribarum error latere videatur, cum textu Graeco, versione Persica et Arabica collati lectoris examini subiiciantur. Ita demum versio Syriaca talis in manus eruditorum et studiosorum tradetur, quae Syrorum textum probatissimum et receptum eumque secundum Iacobitarum grammaticam et traditionem punctatum repraesentabit; simul cuique facultas erit, historiam textus litterariam et diversam diversorum temporum et nationum scripturam cognoscendi; si quo loco varietas lectionis est, de testibus et auctoribus iudicare licebit, denique vera et genuina textus Syriaci forma servata cautum erit, ne ob versionis fata, lacunas, naevos et errores auctoritas, efficacia, sufficientia, puritas, perspicuitas textus originalis obscuretur.

Liber quartus.

De versionis Simplicis indole, auctoritate et usu.

Cap. I.

De versionis Syriacae auctoritate in rebus criticis.

Quaenam in rebus criticis auctoritas versioni nostrae tribuenda sit, ubi quaeritur, primum circumspiciendum est de antiquitate. Quid vero, de antiquitate dubitari quaeris? Nonne audire tibi videbaris criticos omnes uno iam ore exclamantes: En testem antiquissimum! versionem Syrorum Simplicem accuratissimam primo vel secundo post Christum saeculo factam, intactam illam et illibatam, summo semper studio apud Syros transscriptam et servatam, cuius codices haud pauci habentur, qui Vaticano fere et Alexandrino, clarissimis textus Graeci monumentis, aetate aequiparandi vel etiam anteponendi sunt. Nonne timendum est, ne operam et oleum perdidisse videamur, nisi criticorum suffragia et iudicia accedant sententiae nostrae, quam de versionis Simplicis antiquitate tot historicis argumentis et testimoniis probare conati sumus? Videlicet si viris qui summi habentur in re critica, si Wetstenio et Griesbachio fidem habeas, desperatum est de labore nostro, actum de versionis Syriacae vetustate et integra forma. Praeiverant enim Fullerus, Grotius et Is. Vossius, qui ex voce Quaestionarius Matth. XXVII, 65., XXVIII, 1. infimae Latinitatis vocabulo luce clarius evictum esse putabant, saeculo sexto non esse antiquiorem versionem Simplicem. Confirmaverat ea in opinione Vossium vir eruditissimus Samuel Bochartus, qui duabus ad illum litteris datis ex permultis vocabulis Graecis, quae in utriusque Testamenti versione

Syriaca legerentur, recentem eius originem probari duxit [1]). In epistola altera Bochartus maxime innititur voce ܣܐܡܐ, quam aeque atque Targumistarum סאמא ortam putat ex Graeco ἄσημον, ἄσιμον, unde concludit, quum Targumistae et Syri hoc vocabulum a Graecis desumpserint, apud Graecos autem vestigium eius nullum reperiatur ante Ptolemaei aetatem, qui M. Aurelio Caesare vixerit, non posse versionem Syriacam neque paraphrases illas Chaldaeas scriptas esse primis p. Chr. saeculis. Grotii argumentum aliud petitum est ex Matth. VI, 13.; certissimum videtur criticis, hanc orationis dominicae clausulam additamentum esse ex liturgia posterioribus temporibus invectum; qua de re dubitare quum nefas sit, sequitur versionem Syriacam tertio saeculo posteriorem esse. Sed sibi ne satisfaciens quidem hisce argumentis nova protulit Wetstenius, qui Renaudotio et Lelongio fide habita hodie non alios exstare codices Syriacos docuit quam eos, qui ex Thomae recensione descripti et correcti sint. Qua de re familiariter monitus Wetstenius a Ioanne Kippax et erroris convictus non solum perstitit in nova Prolegomenorum editione in sententia sua, sed etiam addidit argumentum illud, quod urbs Ptolemais in Simplici diceretur Acco, quod nomen illa non ante imperium Saracenorum recuperaverit. Indignum habeo, viris tanta mentis acie tantaque doctrina praeditis ad eiusmodi argumenta respondere; si quis refutationem quaerat, adeat Ridleium, qui in dissertatione saepius laudata hanc vindiciarum provinciam in se suscepit, sive I. D. Michaelem in introductione in N. T. (§. 58.) argumenta illa refellentem [2]).

---

1) Cf. Bocharti opera omnia ed. tert., Phaleg et Canaan pag. 856. sq. Quae ex V. T. Graeca vocabula profert Bochartus partim ne sunt quidem Graeca, partim nihil probant. Sic ܟܘܬܝܢܐ Gen. III, 21. scriptum esse dicit pro χιτῶνας, v. 24. ܐܟܪܡ pro ἐχαράκωσε et alia eiusmodi. Omnino dolendum est, quod Bochartus vir tantae eruditionis et sagacitatis nimium ingenio indulgens saepenumero fere ad arbitrium lusisse videtur.

2) Unum attingam, qua in re mihi non satisfactum est. Matth. XXVII, 65. legitur in editionibus omnibus (Londinensem exceptam esse dicit R. Simonius) ܩܘܣܛܪ̈ܝܐ ubi in Graeco κουστωδία. Monuit iam Simonius, in codd. nonnullis pro Risch legi Dolath et esse in Syriaco vocabulum „custodiam“ restituendum. „Custodes“ verterant Tremellius et

Sed id praetereundum non est, quod simili levitate usus est idem Wetstenius in spernenda auctoritate versionis Heracleensis. Etenim quum nuntius illi allatus esset, reperiri in Angliae Bibliothecis codicem versionis Syriacae, cuius margini adscriptae sint variae lectiones Alexandriae ineunte saeculo VII. ex duobus tribusve probatis et correctis exemplaribus summa cura et diligentia collectae, ea quidem videndi huius thesauri cupiditate percitus est, ut Angliam illico advectus codicem illum versionis Heracleensis per continuos aliquot dies manibus volveret; quid vero eum renuntiasse putas? Censuit, variantes illius lectiones maximam partem ex Itala descriptas esse, et codices illos, quibus Thomas Alexandriae usus esset, nunc ne desiderari quidem, sed esse Cantabrigiensem et Stephanicorum octavum [1]). Itaque ut suffragiis codices privaret atque auctoritatem eorum tolleret, quibuscum mirum in modum consentiunt Heracleenses lectiones marginales, vir *κριτικώτατος* nullam earum curam et rationem habendam esse decrevit [2]).

Boderianus; Fullerus autem monuit, vocem Syriacam esse Latinam „quaestionarius". Custodiam reperit Ridleius in vers. Philox.; idem I. D. Michaelis scribi voluit, qui lectionem receptam pro mendo typographico habuit. Et ipse putaverim, lectionem genuinam fuisse ܩܣܛܪܝܢܐ; quae tamen vox quum tanquam Latina Syris ignota fuerit, iam pridem irrepsisse videtur lectio recepta. Est sane ܩܣܛܘܢܪܐ vox Syris non ignota; cf. Chald. קוסטינר, קסטון, קוסטנא Arab. قسط. Solent conferre Latinum: quaestionarius (carnifex, inquisitor), quod vocabulum secundum Ducangium legitur in Cod. Theodos., Iul. Afric., Hist. Apost., Act. Apost. etc. Eandem notionem si voci Syriacae tribuis, minime loco Matthaei apta est, sed amplioris significationis fuisse inde coniicio, quod Adlerus (p. 151.) notat, in vers. Hierosolym. *σπεῖραν* Matth. XXVII, 27. reddi per ܩܣܛܪ̈ܐ, neque dubito, quin haec vox „castra" significet. Atque ex eiusdem vocis abusu lectionem nostram originem duxisse puto, quae ni fallor legitur iam in cod. Guelpherb. (ap. Brunsium nulla var. lect.)

1) Cf. Adler N. T. verss. Syr. pag. 79. sqq., qui annotationes criticas ex versione Charclensi descripsit et cum cod. Cantabrig. aliisque contulit.

2) Equidem minime patronum me praebuerim cod. Cantabr. Qui tempore Thomae codices probatissimi habiti sunt, facile ceteris depravatiores erant. Videtur autem saec. VI. Alexandriae recensio exstitisse, quae proxime ad Cantabr. accessit. Reperiuntur enim inter codices Copticae versionis multi illi similes; ut communicavit mecum Boettcherus, N. T.

Sed non solum derogata est versioni Simplici ea qua pollet antiquitatis auctoritas [1]), sed etiam tantae corruptionis eam multi incusabant, ut fere nullus in re critica Syriacae lectionis usus esse debeat. Antequam versio N. T. Heracleensis edita est, vulgaris opinio ferebatur, ad eam correctam esse versionem Simplicem, ita ut in editionibus minime vera antiquae versionis forma superstes sit. Sed neque nostris temporibus eam non cecinerunt cantilenam de textu Simplicis corruptissimo et variato. Griesbachius in praefatione editionis suae [2]) haec habet: „Nulli harum recensionum Syriaca versio, prout quidem typis excusa est, similis verum nec ulli prorsus dissimilis est. In multis concinit cum Alexandrina recensione, in pluribus cum occidentali, in nonnullis etiam cum Constantinopolitana, ita tamen ut quae in hanc posterioribus demum saeculis invecta sunt, pleraque repudiet. Diversis ergo temporibus ad Graecos codices plane diversos iterum iterumque recognita esse videtur [3]). Syriacae versioni Chrysostomi Evangeliorum textus eo haud est absimilis, quod hic quoque e diversis recensionibus aliquid traxit.“ De tanta socordia in viro critico quid iudicandum sit, nemo non videt. Citare solent tot codices, editiones, versiones illi, qui de vera textus Biblici lectione idoneos se aestumatores et iudices habent, ut in ipso quaestionis limine deterreantur omnes seque exclusos videant, qui non aeque multis praesidiis et documentis stipati in arenam descendere possint.

Coptici editionem post Schwarzium continuaturus. Hieronymus, qui, ut omnino erat prudentissimus, Italam codicum Graecorum sed veterum emendata collatione corrigebat, aspernatus est codices „quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum assereret perversa contentio, quum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceret falsa esse, quae addita essent.“ Ex illo igitur tempore Alexandriae et in Oriente circumferebantur codices rebus in multis variati et interpolati, quibus erant fortasse similes, quos contulit Thomas.

1) La Crozius, nimio litterarum Armenicarum studio abreptus, „Nihil sane est, — inquit — si cum Armenica comparetur Simplex, quam ut longe meliorem ita et antiquiorem iudico.“

2) Ed. III. curavit Schulzius pag. LXXII.

3) Editor hanc addidit notam: Illustrari hoc potest codicum nonnullorum Latinorum exemplo, qui priscam quidem versionem ad occidentalem recensionem accomodatam repraesentant sed passim ad iuniores libros Graecos refictam.

Atque ipsi illi, qui omnem eruditionis thesaurum consummasse et scrinia bibliothecarum omnia perreptasse videantur, ne in sacro Bibliorum textu falsi quid et irreptitii haereat, operae non pretium habent, ut certiores fiant de versione Bibliorum, quam viri omnes harum rerum periti antiquissimam dicunt, cuius codices satis multi mirae vetustatis facile conferri possint, cuius non solum in editionibus sed et codicibus et apud totius Orientis ecclesias explorata est aequalitas et constantia. An vero sufficiat, queri cum Griesbachio: „Syriacae novam editionem ad antiquissimos et optimos codices manuscriptos ab artis criticae perito diligenter conformatam desideramus", vel cum Semlero dicere: „Syriacae translationis critica quasi historia adhuc desideratur." Nonne Griesbachius dubitare debuisset de recensionibus suis, ubi ex tribus istis recensionibus conflatum esse animadvertit textum eius versionis, quae antiquior habetur ipsarum recensionum originibus? Sed solent homines potius de rebus omnibus dubitare quam de sua ipsorum opinione. Minime vero id dandum est criticorum dictis et clamoribus, ut versionem Syrorum Simplicem tantam et tam iteratam subiisse putemus commutationem et depravationem, sicut illi existimari volunt; quod si statuerunt, ut comprobarent necesse erat. Quod priusquam factum est, liceat nobis neque de antiquitate neque de incolumitate versionis Syr. admodum dubitare.

Sed aliud quoddam non praetereundum est. Qui tandem codex repertus est, quem latinizare non dixerint Wetstenius quique eum sequuntur? Quod si in codicibus Graecis facile factum esse veri non absimile videri possit, quid porro existimandum est ea de re, quod ipsam Syriacam nostram versionem fuerunt qui filiam haberent versionis Latinae [1])? Omnes enim observant, magnam intercedere Syro similitudinem et societatem cum versione Latina Hieronymo antiquiore, quam vulgo Italam dicunt. I. D. Michaelis, qui, quemadmodum illa aetate solitum erat, variantes lectiones cumulare, digerere, conferre, examinare, eam operam in versionem Syriacam Actuum Apostolorum impendit [2]), ut quam accuratissime omnem versionis diversita-

1) Contra illos disputat I. E. Gerhardus in diss. laudata.

2) I. D. Michaelis, curae in vers. Syr. Act. App. Gotting. 1755.

sitatem etiam in rebus minimis notaret, multis in locis conspirare animadvertit Syriacam versionem cum Blanchinianis codicibus veteris Latinae etiam tum, ubi ab Hieronymi vulgata versione differat [1]). Ex Marco haec attulit exempla: c. I, 17. 30. 31. 35. 41. 45.; II, 7. 19. 20. 21. 22.; III, 1. 13. 18. 35.; IV, 12. 36. 41.; V, 13. 21. 30.; IX, 18. 44. 45. 47.; X, 4. In pluribus tamen idem animadvertit, Syriacam habere nullam versionem sibi assentientem. Negat omnino, Syram esse filiam Latinae, cognationem autem utriusque tribus de causis explicare studet, quas ipsius verbis proferre placet. „I. In vetere Latina versione tot sunt Hebraicae sive adeo Syriacae linguae idiomata, tam aspera atque barbara, tam supra omne id quod in Novo Testamento Graeco Palaestinam sapit, insolentia, ut dubium vix sit, quin illa versio facta sit ab hominibus barbaris, patria Syris. Haud absimile veri videtur, usum esse illum, quisquis fuerit, versione Syriaca — quae prima concentus causa cognoscenda est [2]). II. Videntur aliae quidem variae lectiones ex margine in Syriacam versionem intrusae, quae forte ex collatis aliis codicibus adscriptae erant similiter atque in versionis Philoxenianae exemplo Ridleyano observare licet. III. Theganus in opere de gestis Ludovici Pii (du Chesne hist. Franc. script. T. II. p. 277.) narrat de Carolo Magno: „Postquam divisi fuerant, Dominus Imperator nihil agere coepit nisi in orationibus et eleemosynis vacare et libros corrigere. Nam quattuor Evangelia in ultimo anno ante obitus sui diem cum Graecis

---

1) Contrarium aliquid observasse se dicit R. Simonius: vers. Syr. magis congruere cum iis codicibus, secundum quos Hieronymus vers. Latinam correxerit, quam cum Itala vetere. Utrumque ex aliqua parte verum esse potest. Quod Simplex et Itala in multis rebus consentiunt, maximi momenti est ad rem criticam; accedit enim testis orientalis antiquissimus ad lectiones occidentales probandas. Sed Itala partim a principio minus accurata et liberior erat quam versio Syriaca, partim multa in eam irrepserant interpretamenta. Quare quum Hieronymus secundum codices Graecos veteres Italam emendaret et corrigeret, in locis aliis propius accessit ad versionem Syriacam, in aliis autem deflexit.

2) Exempla proposuit Michaelis, quorum unum afferam. Marc. I, 9. Latini codd. habent ab Iohannen, quae nominis terminatio Syriacum quid redolere videtur. Cf. *Μάγδαλα*. Syr. ܡܓܕܘ. Lat. Magadan. — Opinantur, Italam scriptam esse in Africa. Cf. Lachmann, Prolegg. N. T.

et Syris optime correxerat." Haec Michaelis. Vix monendum, causam tertio loco positam nihil facere ad vers. Syr. concentum cum vetere Itala explicandum; omnino non multum his Caroli Magni correctoriis tribuendum est. Quod secundo loco attulit Michaelis, supra refellimus [1]). Restat, ut in Itala ipsa causa similitudinis quaerenda sit. Sed aliis id explorandum relinquimus. Id sane nostram ad rem aliquo modo pertingit, quod versio primaeva Latina colore tincta apparet, quem recte Orientalem dicimus. Est omnino dicendi genus praecipue in Evangeliis Aramaeum, neque fieri potuit, quin illud ubique quasi interluceret tum maxime, ubi ea simplicitate voces phrasesque reddebantur, qua in Itala factum est. Neque vero id prorsus reiecerim, fuisse Orientales genere versionis Latinae auctores. Constat ex Oriente, ex Syria maxime plurimos venisse in Italiam et Africam, Iudaeos ubique in doctorum et magistrorum locum se insinuasse et post diruta Hierosolyma bellumque Hadriani Iudaeos vel captivos vel fugaces vix numero comprehendi posse, qui in Occidentem transvecti sint [2]). — Praeter hanc Simplicis proprietatem, qua propius ad versionem Italam accedit, eadem multis in locis congruere dicitur cum codice Alexandrino, quem et ipsum latinizare iudicat Wetstenius [3]).

---

1) Retractavit Michaelis ipse postea hanc opinionem, aut Latinam vers. ad Simplicem aut Simplicem ad Latinam correctam esse. Tamen eodem fere tempore Adlerus a Michaele certissime evictum esse scripsit, vers. Syriacam interpolatam esse ex Latina.

2) Idioma linguarum orientalium familiare fuisse auctoribus Italae, statuit etiam Ridleius. Ex Itala in Vulgatam multa transmigrarunt cum Syro concordantia. Notantur a Ridleio aliquot exempla. Act. VIII, 13. additur in Simpl. et Vulg. „et miratus est". Act. XIII, 45. omissum est ἀντιλέγοντες; c. XIII, 42. τὸ μεταξὺ σάββατον sequens sabbatum. Matth. XXIII, 19. Nominativus absolutus in Latino positus. Matth. II, 7. 10. Vulg. didicit, quod minus Gr. ἠκρίβωσε quam Syr. ܝܠܦ exprimit. Cave tamen, ne nimium tribuas eiusmodi locis, qui speciem cognationis prae se ferunt. Alia infra.

3) Simplex aliquoties etiam cum codice Cantabrigiensi conspirare dicitur, de quo Beza, cuius fuit olim: „Multa mihi videor deprehendisse magna observatione digna, quaedam etiam sic a recepta scriptura discrepantia, ut tamen cum veterum quorundam et Graecorum et Latinorum Patrum scriptis consentiant, non pauca denique, quibus vetusta Latina editio corroboratur: quae omnia pro ingenii mei modulo inter se compa-

Sed etiamsi probaveris versionis Simplicis antiquitatem, etiamsi certissimum sit, expertem eam corruptionis et invariatam ad nos pervenisse, tamen alia quaedam viri critici reprehenderunt, quibus de causis non magna huius versionis in rebus criticis auctoritas sit. Arguit Wetstenius Syrum interpretem, quod magna saepe licentia usus alia pro aliis substituat et frequentius tanquam paraphrastes agat. Matth. XVII, 14.; XX, 16.; Luc. II, 1.; XXI, 11.; Col. IV, 16.; II. Tim. IV, 13.; Hebr. VI, 4.; VII, 3.; Act. I, 12.; XVII, 19. 36. Porro id vitio dat Syro Wetstenius, quod loci ex V. T. citati secundum textum Hebraicum legantur, sic neque Beelzebul sed Beelzebub; etiam omisisse eum quaedam, quae nesciret: Luc. VI, 1. *δευτερόπρωτον*; Io. V, 1. *προβατικῇ*; Act. XIX, 38. *ἀγοραῖοι*. Haec omnia obiter admodum et negligenter adversus Syrum prolata, partim ne vera quidem partim non magni momenti esse, quis est quin videat. Quomodo cum hoc Wetstenii iudicio conciliari possunt dicta aliorum, ut Waltoni: „Ostendit versio Syra faciem nativam textus originalis eiusque integritatem testimonio suo confirmat. Graecum enim textum *κατὰ πόδα* plerumque sequitur.“ Cui consentit I. D. Michaelis, qui optimam eam appellat versionum omnium, quas noverit; cuius pauciora sint vitia, quam ullius alterius, quam saepenumero et libenter consuluerit [1]). Est sane versionis ratio et proprietas observanda et describenda accuratius, ne obliviscamur textus Biblici non auctorem Syrum, sed interpretem esse. Quam ad rem bene et sobrie, ut solet, proposuerat quaedam Millius (Prolegg. §. 1240 sq.), quem omnino reperio criticum diligentissimum et veritatis amicum. Primum monet, Syriaca Graecis suis vix adeo accurate semper et velut ad amussim convenire, ut ex iis intelligi possit, quid legerit interpres. Cuius rei has affert species: I. In nonnullis pro versione Syrum exhibere commentarium. Exponere eum *ἄρτον ἐπιούσιον*, panem indigentiae nostrae; Matth. VI, 11.; ibidem c. VI, 11. *ἀπὸ τῶν*

---

rata et cum Syra et Arabica editione collata in maiores meas annotationes congessi.“ Cf. Wetstenii Prolegg. ed. Seml. p. 81.

1) „Sie enthält das reinste Syrisch und weiss das Griechische, wo es von der Art der syrischen Sprache abweicht, meisterlich auszudrücken.“ Cf. Chr. Ben. Michaelis in syntaxi gramm. Syr. — Ric. Simonius vers. Syr. diligentiam et indolem accuratissimam laudat.

τέκνων αὐτῆς, ab operibus suis; c. XII, 4. προθέσεως mensae Domini; c. XIV, 24. πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν navis recesserat a terra stadiis multis; c. XVII, 19. ἐκβαλεῖν αὐτό eum sanare; XXIII, 35. αἷμα δίκαιον sanguis iustorum; Luc. XXIII, 46. ἐξέπνευσε consummatum est etc. Id sane verum est, Syrum agere nonnunquam tanquam paraphrasten et commentatorem, ut pluribus infra ostendemus; hac tamen libertate versionis non tollitur in omnibus fides eius et diligentia. Quodsi nonnunquam quod lectoribus ignotum habebat, id illustrare studuit interpres, quis est, qui magnum id vitium duxerit [1]? Ita Act. XVII, 19. Ἄρειον πάγον circumscribit senatum, qui vocatur Areopagus; σὺν τῷ στρατεύματι Act. XXIII, 27. vertit: cum Romanis; νηστείαν explicat c. XXVII, 9. diem ieiunii Iudaeorum et id genus alia. Sed pauca eorum, quae modo attulimus ex Millio, ne sunt quidem liberius exposita neque a viro clarissimo notata fuissent, si non versionem Latinam sed textum Syriacum consuluisset. Nam Luc. XXIII, 46. non legitur: consummatum est sed ܘܫܠܡ; Matth. VI, 11. agitur de varia punctatione vocis ܠܡܚܪ; lectio varians c. XIV, 24. ex loco Ioannis parallelo facile invecta est, pro αἷμα δίκαιον legit fortasse δικαίων etc. II. In locis aliis observat Millius, Syrum omisisse quaedam, quae vel superflua iudicarit vel ignoraverit, in aliis iterum inseruisse, addidisse, mutasse varia uberioris sensus et perspicuitatis gratia; denique perperam eum Graeca reddidisse rarius et praeter sententiam loci. III. Exemplum Graecum, quod secutus sit Syrus, absque omni spirituum et distinctionum apparatu fuisse neque pravis lectionibus et librariorum erroribus liberum. Ita lectum nonnunquam esse Syro αὐτῷ pro αὑτῷ; Ioa. V, 21. distinxisse eum perperam ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ, μὴ θαυμάζετε τοῦτο· ὅτι ἔρχεται ὥρα, quemadmodum Chrysostomus quoque et alii. Porro menda γραφικὰ fuisse codicis illius Graeci Luc. XIV, 31. ἑταίρῳ pro ἑτέρῳ [2]) (item I. Cor. IV, 6.; XIV, 17.; II. Cor. VIII, 8.).

---

1) Horatius: „Nec verbum verbo reddere curabit fidus interpres.“ Laudant in versione Lutheri, „illam textus originalis sententiam fideliter exprimere, sermone constare perspicuo, puritatem linguae tueri, et in locis difficilioribus paraphraseos et commentarii operam praestare.“

2) Id vix rectum. Certissimum potius, vocem Syriacam ܚܒܪܐ simili

Col. II, 22. *καὶ τὰ ἐντάλματα* pro *κατὰ τὰ ἐντάλματα*; Phil. II, 1. *εἴτε παραμύθιον* pro *εἴ τι*; II. Cor. XI, 20. *ἀντέχεσθε* pro *ἀνέχεσθε*; Gal. III, 4. *εἴθε* pro *εἴγε*; Eph. VI, 9. *ὀφειλὴν* pro *ἀπειλήν* etc.

Haec igitur Millius. Nihilo secius agnoscit, originaria Graeca pressius insecutum esse Syrum et fere *κατὰ πόδα*, ita ut in universa propemodum versione veluti in speculo quodam textus ipsius, unde expressa sit, faciem nativa mintueri liceat [1]); textum autem Graecum, naevis paucis exceptis, accuratissimum fuisse, cuius tam mirifica etiam Millio apparuit cum Graeco Vulgati cognatio, ut uterque ex eodem codice descriptus fuisse prima fronte videretur. Syro et Latino collatis, Millius deprehendit, convenire eos in lectionibus etiam, quae ab excusis varient, plus sexaginta supra mille; ea de causa se primum in opinionem propendisse, translationem Syriacam, Persicam, Arabicam et Aethiopicam expressas aut saltem castigatas fuisse ex Italica vetere, quo tamen somnio nihil inanius fuerit; esse potius dicendum, Syrum textus Graeci exemplar ad manus habuisse, quod in plerisque cum Vulgati codice convenerit. Neque tamen in omnibus utrumque conspirare; esse enim in locis plus minus octingentis discrepantiam ab ipso deprehensam. Fusius hanc Millii sententiam exposuimus, ne cui iniquius de Wetstenio et Griesbachio iudicium tulisse videamur; quae enim sua aetate haud sine labore rimatus erat Millius, neglecta sunt a posterioribus.

Sed iam agendum est de collatione versionis Syriacae, quam critici instituerunt. Atque hic satis apparet, Novi Testa-

---

modo in usu fuisse atque Hebr. איש את רעהו. Quare Chr. Ben. Michaelis inter idiomata linguae Syriacae recte recenset, phrasem Graecam *ἕτερος — ἄλληλοι* in Syriaco reddi per locutiones paulo diversas. Cetera quoque codicis menda, quae profert Millius, accuratius examines.

1) Rich. Simon: „Da sie eine der ältesten Uebersetzungen ist, welche die Kirche hat, so kann man nach derselben verschiedene Stellen im griech. Texte verbessern, nach welchem sie genau genug gemacht ist. Doch ist sie auch in einigen Stellen mehr Paraphrase oder Erklärung als wörtliche Uebersetzung; dieses findet sich aber nicht nur nicht häufig, sondern man kann auch dennoch aus solchen Stellen schliessen, welche Lesart im griechischen Texte muss gestanden haben, den der Uebersetzer gebrauchte.“

menti criticam, cuius auctores Ioannes Millius et Ioannes Albertus Bengelius exstiterunt, non tantam habere fidem, quantam speciem et famam. Etenim in eo, quod Millius de tot variantibus lectionibus monuit, diligentiam sudoremque viri omni laude si prosequimur, minime tamen in collectione variarum lectionum Milliana rectam veramque rationem agnoscere licet. Primum ea de re vituperandus est, quod versionis Syriacae varias lectiones colligere haud dubitavit, licet linguae Syrae inscius Latinam duntaxat versionem conferre potuerit; deinde magnopere erravit, quod varietatem lectionum statuit, quae est versionis solummodo discrepantia a textu originali. Nostrum non est, aberrare in vastam illam variarum lectionum copiam et vires in campis istis fatigare, quibus tantum inest arenae tristissimaeque solitudinis, quantum deest recreationis; praebuit tamen humeros tantae moli vir diligentissimus et strenuus, Chr. Aug. Bode, ut varias omnes lectiones ex versionibus Orientalibus a Millio et Bengelio collectas examini severo subiiceret. Viam praeiverat C. B. Michaelis in tractatione critica de variis lectionibus N. T. caute colligendis et diiudicandis [1]; S. I. Baumgarten examen instituerat lectionum in epistola Iacobi obviarum; I. D. Michaelis in Curis in vers. Syr. Actuum Apostolorum et ipse maxime variarum lectionum rationem habuit; Bodius autem duobus voluminibus ad omnes N. T. libros allegationes versionum Orientalium, Syriacae, Arabicarum (Polyglottae, Erpenianae et Romanae), Persicarum (Polyglottae et Whelocianae), Aethiopicae et Armenicae recensuit, refutavit, eliminavit. Pseudo-criticam Millio-Bengelianam appellavit librum suum, nam a potiori fieri denominationem, allegationes malas numero longe superare bonas. Rem

1) Demonstravit Michaelis, Millium et Bengelium I. fabricatos esse multas lectiones, quae ne legerentur quidem in versionibus Orientalibus sed in earum duntaxat versione Latina. II. non observasse illos idioma linguae eius, in quam —, neque eius linguae, ex qua facta sit versio. III. neque observasse eos licentiam interpretis, qui alia omittat, alia addat, alia transponat. IV. versiones Orientales ipsas non expertes esse interpolationis et corruptionis. V. distinguendum esse inter versiones immediatas et mediatas. — Palmam autem facile praeripit versio Syriaca orientalibus ceteris, non solum quod immediata et antiquissima est, sed etiam ob indolem multo meliorem. Persa abundat interpretamentis; Arabs Erpenii verbum unum pluribus reddere amat.

tamen habuit cum solis duumviris illis, Bengelio et Millio, quos sibi laborem et molestiam tantam creasse testatur, ut pluribus ferendis impar fuerit. Sed Wetstenio maiorem non esse fidem tribuendam comprobat I. D. Michaelis in Curis ad Acta Apostolorum; idem in Marco trecentas sexaginta lectiones observasse se dicit, quas vel omiserit Wetstenius vel falso allegaverit. Quid ergo confecerunt viri illi, qui varias omnes lectiones collegisse videntur? Primum Millius et Bengelius ex versione Syriaca tales proposuerunt variantes, quae maximam partem textus Graeci variantes nunquam fuerunt, sed a criticis ipsis effictae sunt, ut Chr. B. Michaelis luculenter demonstravit. Cavit Wetstenius sibi, ne in eosdem errores incideret, sed et ipse multa omisit, alia falso allegavit, denique quae versionis, quae textus originalis propria sint minime satis distinxit. Post castigatos illos a Bodio Griesbachius multo accuratius variantes Syri lectiones notavit, sed neque Bodium rem absolvisse neque Griesbachium omnia recte notasse iudicat Winerus, qui „tantum abest — inquit [1]) — ut ab eo inde tempore, quo ad rem criticam accessimus, de ista quam crepant religiosissima diligentia persuaderi nobis potuerit, ut intrepide contendamus, versiones certe N. T. orientales de integro esse cum Graeco fonte conferendas, priusquam quas lectiones istae sectentur probabiliter possis iudicare.“ Quousque tandem ea critica desiderabitur, quae levia a rebus gravioribus distinguat, neque tam nimiae diligentiae specie superbiat, quam recta ex ratione iudicet, in dubiis haesitans, in alienis inscitiam fateri non erubescens, in omnibus aeque et caute perpendens!

Cap. II.

De usu critico.

Collectis varietatibus omnibus, quae inter textum Graecum versionemque Syriacam observantur, vix multum emolumenti ad

---

1) Winer, observatt. in ep. Iac. ex vers. Syr. maximam partem criticae. Erlang. 1827. Progr. Pentec.

rem criticam comparatum est, nisi leges antea certaeque regulae ferantur, ad quas variantes illas disponere et diiudicare liceat. Id ipsum est, quod Millius, Bengelius, Wetstenius neglexerunt. Idem desideratur etiam in libro Ioannis Guilielmi Reusch: Syrus interpres cum fonte N. T. Graeco collatus; nam recensentur quidem in librorum singulorum quolibet capite versus omnes, in quibus Syrus aliquo modo recedat et declinet a textu Graeco, sed nullum fere adhibetur iudicium de indole causisque varietatum, quae ne ipsae quidem satis accurate et perspicue lectoribus propositae sunt, quum plerumque non verba Syriaca sed Latinam tantum versionem auctor afferat [1]). Omnino id iudicandum est de virorum doctorum studiis saeculo XVIII. susceptis, nullam fere quaestionem, licet a plurimis vario modo tractatam, ad finem perductam esse. Fuisse illo tempore versionem N. T. Syriacam multorum in manibus, Gutbirii et Schaafii editiones probant; idem testantur dissertationes haud paucae illo tempore de versione nostra scriptae; prae ceteris Chr. Bened. Michaelis vir pereximius studia Syriaca commendasse et promovisse videtur, a quo et ipse filius I. D. Michaelis se institutum esse monet. Sed qua via Michaelis pater incesserat, ea non progressus est filius et quamvis sub finem saeculi proximi id fere unicum viri docti aggressi sint, ut criticam operam in colligendis et diiudicandis variis lectionibus ponerent, tamen omnes, qui de versione Syriaca egerunt, Brunsius, Adlerus, Birchius [2]), alii

1) Collatio Syri cum textu Graeco ante Reuschium suscepta erat in variis Diarii illius plagulis, quod nomen gessit: Freiwilliges Hebeopfer 1715. sq. (Beitrag 26.). Reuschius auctorem habet Georg. Ioa. Henckium, diaconum Glauchensem, qui non per omnia loca utramque scripturam conferre, sed exemplis aliquot insignioribus versionis illius usum demonstrare sibi proposuerat. Eodem fere tempore Mich. Henr. Reinhardi dissertationem scripserat de versione Syriaca N. T. a textu Graeco recedente. Viteb. 1718. 4.

2) De Evangeliorum editione Birchiana supra diximus pag. 155. Inesse dicuntur variae lectt. versionum Syrarum, veteris, Philoxenianae et Hierosolymitanae. Addidit eas vir alias magni nominis L. G. Adler, quem hac in collatione vix multum praestitisse dixeris. Plurimam industriam non tam in Simplici quam Hierosolymitana conferenda posuit, quam ipse primus detexerat. Perpauca tantum hic illic inspersa vides ex codicibus vers. Simpl. allata. — Libros alios huc pertinentes laudavimus saepius: Storrium, Hirtii bibliothecam, Eichhornii Repertorium etc.

ne id quidem effecerunt, ut de critica versionis illius indole iudicium verum et accuratum prolatum sit.

Est igitur primum versionis ipsius indoles aliquo modo describenda, antequam in usum criticum adhibeatur [1]. Nomen versioni nostrae inditum renuntiat laudem eius facile maximam; Simplex enim dicta est. Monuimus supra (p. 75. 211.), varias esse de huius denominationis origine virorum doctorum opiniones. Iacobitae quidem hoc nomen eum in modum explicant, ut indoles versionis antiquae opponatur versioni Heracleensi, quae sane minime „simplex“ dici potest. Quaeritur utrum a principio versio Syriaca nomen illud tulerit an postea acceperit. Equidem vestigia nulla appellationis illius reperi ante versionis Heracleensis tempora; quodsi nominis vetustas probari posset, magnopere arrideret mihi eorum opinio, qui ܦܫܝܛܬܐ ex Rabbinico פשט explicuerunt. Hugius (Einl. ins N. T. Thl. I. 3. Aufl. pag. 349.) primum Vetus Testamentum Syriacum hoc nomine insignitum fuisse putat, ita ut Iudaeorum more paraphrasi et uberiori expositioni Syriaca versio opponeretur, utpote quae modo simplici textum Scripturae redderet [2]. In Novo Testamento ܦܫܝܛܬܐ legitur, ubi in Graeco scriptum ἁπλοῦς (Matth. VI, 22.), ἄκακος (Rom. XVI, 18.), ἁπλότης (Col. III, 22.), εὐθύτης (Hebr. I, 18.). Utcunque res se habet, haud immerito versio Syriaca nomen „Simplicis“ gerit. Sed ut alia nunc praetermittamus, quae hoc nomine versioni nostrae tribuuntur vel tribui possint, simplicitatis et illud proprium est, ut ubi ex Graeco translatio fit in Syriacum, linguae Syriacae idioma probe et simpliciter teneatur. Prorsus aliud proposuerant sibi Polycarpus et Thomas,

---

1) C. B. Michaelis de variis lectionibus N. T. caute colligendis et diiudicandis Halae 1794. 4. libellus vere aureus dictus a Winero, dignus, quem diurnis nocturnisque manibus versarent omnes qui cauti malint quam acuti critici vocari. Winer, de versionis N. T. Syriacae usu critico caute instituendo. Erlangae 1823.

2) Iudaei solebant versiones denominare ex modo et genere interpretationis. Aquilae editionem secundam κατ᾽ ἀκρίβειαν vocabant. דֶּרֶךְ הַפְּשָׁט sumitur pro simplici et litterali sententia, quae non est allegorica vel mystica. פשיטא glossa plana et clara in l. Zohar. Proprie פשיט est extensus, res quae rectam habet lineam absque curvitate, deinde simplex, purus, planus, mundus.

versionis Heracleensis auctores, qui Graeci exemplaris imaginem accuratissimam linguae Syriacae ut ita dicam imprimere et fere inurere voluerunt. Quare in universum recte dicunt, ad collationem criticam facilius adhiberi versionem illam quam Simplicem nostram, quia versio Heracleensis quamlibet vocem, particulas orationis minimas, etiam verborum structuram, ipsas denique etymologias reddere studet [1]. Eam ipsam autem ob causam facile possumus indolem versionis antiquae definire et illustrare ex collatione versionis Heracleensis. Etenim propterea quod nimis libera Syris ipsis videbatur versio antiqua neque plane repraesentans faciem textus originalis, scribendam novam versionem curarunt, in qua diligentiae accuratissimae et perfectissimae ratio habita sit [2].

I. Ex versione igitur Heracleensi quisque facile perspiciet, quanta sit saepenumero difficultas Graeca transferendi in linguam Syriacam. Minime quidem desperarunt Syri, quin ipsa Homeri carmina et Aristotelis tractatus philosophicos in linguam patriam verterent; sed neque dubitabant linguam flectere et detorquere quocunque vellent neque animadvertebant, quantopere

---

1) White in praef. vers. Philoxen. Tom. I. pag. XV.: „Graecum textum κατὰ πόδα ut fidus interpres sequitur Polycarpus, verborum etiam collocatione ipsisque articulis emphaticis retentis: non in rudiorum gratiam paraphrastice interpretatus est, sed ipsissimam Graeci textus faciem exprimit; explicationibus igitur abstinet, quae in Simplici frequentes inveniuntur; voces Syriacas in textum Graecum admissas et ibi Graece quoque redditas, quas neglexit iterum interpretari Simplex, huic est religioni, quominus praeteriret; Graeca verba quae vel ipsa parum intellexerat vel aequipollentibus Syris reddere desperaverat, vel retinet in textu vel horridius aliquando ad etymologiam vertere conatus est potius quam fucum Graecis obducere.“ Sunt maxime Ridleyi verba, quae Whitius repetit. Cf. porro Michaelem in Introd. ed. 4. pag. 427. sq. et Storrium in l. c.

2) Winerus ut usus criticus caute instituatur tres proposuit regulas has: I. Primum probe attendendum est ad linguae Syriacae ingenium, ne ubi Syrus interpres, grammaticae cuidam necessitati obtemperans, a Graecis verbis paululum deflexit, lectionis varietatem deprehendere tibi videaris; II. deinde secludendae sunt ab hac critica quaestione minutae illae, quibus nullus non indulgere solet interpres, orationis inversiones mutationesque; III. denique videndum erit, ut quae huic potissimum interpreti peculiaria sunt, ex assidua lectione prius cognoscas, quam de versione Syr. ad corrigenda Graeca adhibenda cogites.

scripta illa tam barbara translatione deformarentur. In universum laudandum est in versione antiqua, quod interpres negotio difficili optime functus est. Erat quidem maxime Evangeliorum versio eam ob causam multo facilior, quia in illis, ut infra dicemus, genus dicendi tinctum plane et perfusum est idiomate Aramaeo; erat etiam illo tempore lingua Syriaca multo commodior et mobilior facta quam fuit olim Chaldaea. Id enim recte Dietrichius monuit, discrimen esse inter dialectum Chaldaicam et Syriacam, quod haec linguae Graecae commercio multum eius tarditatis et rigiditatis exuerit, quae Chaldaeae propria est. Etenim quam gravi et dura particularum forma premitur Chaldaismus! Syri illi, inter quos scripta est versio nostra, particulas Graecas et vocabula Graeca multa receperant; porro adiectivorum et nominum magnus est numerus; leges structurae sunt faciliores; omnino lingua facta est mobilior et flexibilior. Ni fallor cognoscitur ex versione Simplici iam consuetudo quaedam et exercitatio ex Graeco in Syriacum transferendi, ut postea in Syrorum scholis artem quandam interpretationis excultam fuisse constat. Leges et rationes, secundum quas Syrus Graeca in Syriacum transvertit, si quis accuratius cognoscere velit, adeat syntaxim, quam grammaticae suae adnexuit Chr. B. Michaelis. Ille enim ex professo id agit, ut quomodo Syrus Verba passiva et deponentia, Verba composita, Participia, Tempora, Modos, Infinitivos exprimere soleat, exemplis demonstret larga manu ex N. T. Syriaco depromtis. Item quae sint Syrorum leges in usu Nominum et Particularum [1]). Sed quamquam si quis consuetudinem illam rite observaverit, ex Syriaco plerumque facile cognosci potest, quomodo in Graeco legerit interpres, plurimis tamen in rebus linguae ipsius ratio et ingenium inhibuit interpretem, quominus omnes orationis particulas accurate redderet. Utrum appositus sit in Graeco articulus necne, vix intelligi potest in versione Syriaca, nam stricte non observatur apud Syros discrimen inter statum definitum et indefinitum. Porro quanta est linguae Graecae copia et ubertas coniunctionum et particularum, tanta est inopia apud Syros; ita ut variae Particulae Graecae

---

1) Est omnino tractatus laude dignissimus, quem fere integrum exscribere non abs re fuerit.

una eademque reddantur in Simplici [1]. Verba composita sexcenties vix accurate reddi poterant a Syro, etsi nonnunquam duobus verbis vel Adverbiis et Praepositionibus utitur, ubi linguae consuetudo id permiserit. Participia alteri Verbo apposita verbo finito reddere solet, ita tamen, ut nullam addat coniunctionem; ubi vero Participia plura in Graeco posita sunt, structuram solvere cogitur. Neque modos neque tempora in lingua patria accurate ubique reddere poterat. Si quando Graecorum more structura vocabulorum membrorumque orationis difficilior est variis sententiae partibus consertis et complicatis, maxima oritur interpreti Syro difficultas denodandi et solvendi ligamenta ita, ut non perturbetur rerum connexus. Qua in re quamlibet saepenumero vix forte fortuna difficultatibus subvenerit, nonnunquam tamen miratus sum quum dexteritatem diligentiamque interpretis, tum vero apostolicae mentis simplicitatem ex sententia; quae primo obtutu implicata admodum et contorta videbatur, sponte promicantem [2].

Quae igitur linguae Graecae copia est Particularum, flexionum et verborum compositorum varietas, structurae ratio exculitior et artificiosa, ea impulit et adegit interpretem Syrum, ut multa omitteret, alia distinguere non posset, haud pauca denique mutaret. Nam quae in Graeco idiomate expressa sunt, non accurate omnia reddere potest idioma Syriacum, quod et ipsum habet proprias suas causas et rationes, quae rerum multarum in versione formam diversam esse iusserunt a textu originali. Inter proprietates interpretis Syri Winerus illud recenset, quod ubique, quando de Christo sermo sit, pro *κύριος* scribat „dominus noster“. At vero id non tam interpretis quam linguae proprium est, ut iis vocibus, quibus alios alloqui solemus, pronomina suffixa addantur. Ita in N. T. ipso legitur Ma-

1) Multas particulas plane omittere debet Syrus; alias non potest distinguere ut *εἰς* et *ἐν*, *ὑπό*, *παρά* et *ἀπό* etc. etc. Comparativum plerumque exprimere nequit, quare ex. c. Act. XXIV, 20. utrum *εὐθύμως* an *εὐθυμότερον* legerit, cognoscere non licet.

2) Totae enuntiationes mutantur, appositiones vel sententiae praepositivae in relativas (Rom. II, 1.; V, 1.); definitivae pro copulativis ponuntur (Act. XIV, 2.); copulativae pro disiunctivis, indirectae pro directis, affirmativae pro negativis; attractiones resolvuntur et alia id genus innumera.

ran atha (pro quo Paulus alio loco ὁ κύριος ἐγγύς), Rabbi et Rabbuni, πατὴρ ἡμῶν atque quo loco in Graeco legitur ἀββᾶ, ὁ πατὴρ, Syrus vertit ܐܒܘܢ (cf. Monsieur, Madame, Notre Dame etc.). Est sane discrimen apud Syros inter ܡܳܪܝ et ܡܳܪܢ; posterius enim de regibus dicunt [1]) atque eodem nomine semper Christum appellant [2]). Quare in ore angeli reperitur ܡܳܪܟܘܢ Matth. XXVIII, 6. Item cum pron. pers. 2. legitur I. Cor. VII, 35. dominus vester. Vulgo autem additur pronomen pers. 1., quod plane coaluisse videtur cum voce ipsa. Ita ubi Davides dicitur Messiam κύριον appellavisse sive Sarae exemplum proponitur maritum κύριον vocantis, in Simplici scribitur ܡܳܪܝ. Sed additur pronomen suffixum et aliis vocibus in allocutione adhibitis, ἀγαπητοὶ, ἀδελφοὶ, ἀνὴρ, γείτων, φίλος, φίλη, υἱὸς, τεκνίον, συγγενὴς, σύζυγος etc. [3]). Cf. Chr. B. Michaelis l. c. §§. 50. 55. 57., ubi et alia quaedam memorantur Syriacae linguae propria. Porro Adiectiva, quae in syllabam ανος exeunt, circumscribere solet Syrus Orientalium more in auxilium assumtis vocibus generalibus ܒܥܠ, ܒܪ et similibus. Cf. Act. XIV, 11.; Rom. XIV, 18. 19.; Act. XIV, 20.; Rom. X, 16. (בַּת קוֹל pro ἀκοή) [4]). Pro plurali saepenumero scribitur singularis et vice versa, αἰῶνες, δεξιαὶ, χεῖρες, Act. VIII,

---

1) Cf. Michaelis in Lexico, ubi exemplum affertur: Dominus noster Abgarus.

2) De voce רב, רבי, רבן cf. Buxtorfium de abbreviaturis Hebr. pag. 148. — Quibus verbis utitur Thomas Iesum adorans: „ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου“ plane sunt Syriaca.

3) Additur omnino saepius Pronomen possessivum; cf. Matth. VIII, 20.; IX, 21.; XIII, 13.; XIV, 26.; XXVI, 14. (Evangelium meum); XXVI, 31.; XXVII, 19. etc. Alias autem negligitur, ubi legitur in textu Graeco.

4) Novissimus N. T. editor, de Muralto, Vaticanum in omnibus repraesentare studens, multa attulit, quas ob causas versio Syriaca Simplex non idonea sit, ad quam textus librorum N. T. recenseatur. Scribit enim: „Sed ne haec quidem versio, quae idiomate non minus quam tempore textui genuino proxima est et a sinceritate nomen habens Peschito lectionem nondum recensitam exhibet, primitivam Graecam eius indolem totam exprimere potest. Sermonis enim Orientalis ex ingenio multa necessario mutantur in singulis verbis.“

17.; V, 19.; Rom. I, 14.; Iud. 13.; I. Cor. VI, 13; VII, 2. Subiecta saepenumero supplentur vel repetuntur, item Pronomina, etiam loco Pronominis haud raro ipsum Nomen legitur. Ordo quoque et structura verborum ut mutaretur linguae ratio saepenumero postulavit [1]; Verbum fere ubique ab initio ponitur excepto Infinitivo et Participio, quae saepius ad finem delegantur, Adiectiva Substantivis postponuntur; numerus cardinalis locum haud raro tenet ante Nomen, negatio ante verbum negandum scribitur. Monendum est id quoque, quod pluralem Syrus nonnunquam mutat in singularem, ubi quis de se ipso solo loquitur [2]; II. Cor. X, 8.; I. Thess. IV, 2.; Gal. I, 9. Syris porro proprium est, ut alloquentes in pers. II. post interveniens vel Participium vel Pronomen relativum sermonem aliquando ex sec. in tert. deflectant: o Hierusalem, occidens prophetas, qui missi sunt ad ipsam; Gal. IV, 22.: dicite mihi vos, qui volunt esse sub lege etc. Quare opus est accurata linguae Syriacae cognitione, ne quis in iis interpretem aliter legisse putet, in quibus a textu Graeco declinat, ut linguae Syriacae rationem sequatur. Notissimus est verbi ܗܘܐ usus abundans, item Pronominum, maxime suffixorum. Habet proculdubio interpres etiam suas ipse proprietates. Multum ad hanc rem conferunt Chr. B. Michaelis syntaxis Syriaca eiusque supplementa, quae Agrellius scripsit; ut enim Michaelis ex N. T., ita Agrellius ex aliis Syrorum scriptoribus exempla collegit, quibus Syrorum ratio dicendi cognoscatur. Huc referendae sunt locutiones quoque sive phrases Syris vulgares, ex. gr. quomodo Graeca ἀλληλοί, ἕτερος explicent etc. etc.

II. Praeter hanc diversitatem, quae ut intercedit inter linguam Graecam et Syriacam, ita interpreti causa fuit, ut multa mutaret, deflecteret, ordine inverso poneret, vel minus accurate redderet, — libertatem et arbitrium interpretis Winerus causam alteram statuit, cur multis in locis a textu originali Syrus ali-

---

1) Est nonnunquam emphasis structurae singularis in Graeco: *κριτῇ θεῷ πάντων — ᾧ καὶ δεκάτην Ἀβραὰμ ἔδωκεν . . . . ὁ πατριάρχης.* Syrus ordinem vulgarem sequi debet.

2) Cf. Agrell, supplemm. syntaxeos Syriacae §. 43. pag. 69.: „Singularis et pluralis primae personae alternant.“

quo modo abierit. Etenim non anxie sibi cavisse antiquiores librorum sacrorum interpretes, ne a Graecorum verborum ordine omnique conformatione ullo modo deflecterent. Potius id unice illos egisse, ut popularibus ad intelligendos libros divinos viam aperirent, sensum magis quam verba curantes, quare non dubitaverint, vocabulorum vel declinatus alios ponere vel alium ordinem structuramque orationis ingredi vel denique addendis detrahendisque vocibus prout utile videretur passim operam dare. Haec Winerus. Quod etsi de interpretibus antiquioribus non omnibus valet, tamen verum est in nostro. Neque ille ego sum, qui Aquilae istam vel Polycarpi scrupulositatem imitandam censeam, qua de littera solliciti sententiam non observarunt: veruntamen magnopere cavendum est interpreti, ne libertas in licentiam et arbitrium abeat. Non prorsus hac culpa liberandus est interpres Syrus. Atque id ipsum est, quod admiratione saepenumero et verecundia magna animum percellit animadvertenti mihi, tantam esse in summa simplicitate [1]) verbi divini diligentiam et copiam, dignitatem et gravitatem, ut interpretes omnes vix ex longinquo textus originalis sublimitatem et veritatem unicam assecuti esse videantur [2]). Nam in Bibliis latent revera thesauri inexhausti; quae facillima, eadem sunt difficillima; iterum quae captum omnem excedunt, puerorum captui accomodata sunt; omnia sunt accurate dicta et bene composita; nihil arbitreris leviusculum esse et superfluum [3]); quare interpretes, quum quae aliena et obscura viderentur, illustrare, quae offendebant animum, removere itaque corrigere Apostolos et emendare voluerint, ad unum omnes sibi ipsis erroris reprehensionisque maculam contraxerunt, id quod et Syro nostro non semel accidit. Quomodo doctrinam ille adulteraverit, infra videbimus; subsistamus

---

1) Luther: „Denn wir müssen dess sicher sein, das keine einfältigere Rede auf Erden kommen sei, denn das Gott geredt hat."

2) Boeclerus, diss. de ling. N. T. origin. §. 21.: „In Scriptura Sacra simplicitatem Deus cum tanta maiestate coniunxit, ut et summa ingenii subtilitas et maxima doctrinae copia Spiritus Sancti lumine perfusa satis superque quod discat, quod expendat, quod miretur hic invenire possit."

3) Io. Chrysostomus Hom. X. in Genesin: „*Οὐδέν ἐστι τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ ἁπλῶς καὶ εἰκῇ κείμενον, ἀλλὰ καὶ τὸ τύχον ῥῆμα πολὺν ἔχει ἐναποκείμενον τὸν θησαυρόν.*"

primum in eiusmodi locis, qui levioris momenti esse videantur et rem criticam maxime attinent. Apparet igitur negligentia, levitas et praepostera quaedam corrigendi illustrandive sollertia in multis exemplis. Varia est Evangelistarum et Apostolorum ratio et consuetudo dicendi; alter amplior est, alter brevior. Quis non viderit, Marcum ubique corripere sermonem, sententiam ad amussim et fere formulam quandam redigere, quare brevis est omnino, parcus in verbis, vehemens autem et acerrimus in igniculis quibusdam sermoni inspersis, velox, properans, urgens in omni expositione. Quo pertinet, quod vox *εὐθέως* sexcenties legitur apud Marcum; promptum eius et expeditum animum indicat. Saepenumero eam omittit Syrus (cf. c. I, 30. 43.; II, 3. etc.); nam languidum ipsi videbatur vocabulum toties repetitum, quia non animadvertit, quanta insit sermoni celeritas, quae urgeat semper, insistat, ad nova et alia veritatis testimonia et documenta propellat. Parcus autem est Marcus in positione Nominum, qua abundat Matthaeus; quare Syrus in Marco Pronomini haud raro substituit Nomen (c. II, 1. 4. etc.), in Matthaeo additum Nomen negligit. Cf. porro Marc. IX, 46. Idem in Luca observari potest c. I, 11. 22. 42. 56. etc. Cf. Winer l. c. pag. 21. Sed Nominis loco legitur Pronomen ex. causa Act. XIII, 43.; XX, 37.; XXV, 21. Porro omittit Syrus saepenumero voces, quae abundare ipsi videbantur, sive temporis, ut *εἶτα*, *ἔπειτα*, *τότε*, *μετὰ ταῦτα*, *πάλιν*, *ἰδού* sive actionis ut *ἀποκριθείς*, *λέγων*, *ἐλθών*, *λαβών*, *ἀναστάς*. Eadem autem quae omittit, aliis locis addit ad arbitrium. Simili modo vocem *πᾶς* tum negligit, ubi in Graeco habetur, tum vero apponit neque codice ullo neque versione consentiente. Comparationis particulas quoque, *ὡς*, *ὥσπερ*, *ὁμοίως* haud raro desiderantur. Matth. XII, 5. omisit *τοῖς σάββασι*, supervacaneum id indicans, quia sabbatum violari non possit nisi sabbatis. Marc. IX, 43. *εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον* expungit, quia versu sequenti legitur *τὸ πῦρ οὐ σβέννυται*. Cf. c. XIV, 68. (*οὐδὲ ἐπίσταμαι*); Luc. XVII, 33.; Luc. XVIII, 25. (*εἰςελθεῖν*); I. Thess. III, 12. (*ὁ κύριος*); Col. I, 28. (*πάντα ἄνθρωπον*). Omittit etiam pauca, quae nescivit, ut illud *προβατικῇ*, *δευτερόπρωτον* et in Iacobi epistola c. I. difficile illud *γενέσεως* voci *πρόσωπον* appositum. Sed si brevitati nonunquam studet et particulas orationis amputat (II. Cor. II, 3. etc.), alio loco addit pauca ad interpre-

pretationem: Act. XVII, 9.: Senatus, qui vocatur Areopagus; XXVII, 9.: dies ieiunii Iudaeorum [1]). Exemplum evidens est Marc. II, 4., ubi brevius dictum, eos qui paralyticum Domino afferebant, tectum removisse; quare Syrus interseruit verba „et ascenderunt in tectum." Pro „Simeon" scribit idem saepius „Simeon Petrus"; pro „Iesus" nonnunquam „Dominus noster Iesus Christus." Formulam benedictionis amplificat Rom. I, 25.; IX, 5. In Graeco enim legitur: ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν; Peschito autem habet: cui sit laus nostra et benedictio nostra in saecula saeculorum. Amen. Alia exempla infra legentur, ubi de interpretamentis agendum erit. In locis aliis, maxime difficilioribus, minus accuratus est interpres et in alia omnia nonnunquam abit, ubi sensum non perspexit. Id quod in rebus et magnis et minutulis videre licet. Exempli causa, ubi in Graeco legitur ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν *I. X.* (I. Petr. I, 3.; II. Cor. I, 3.; XI, 31.; Gal. I, 4.; Eph. I, 3.) vix vidit interpres noster, Genitivum ad utramque vocem referendum esse; scripsit enim Deus, pater Domini nostri. Permiscet etiam miro modo praepositiones et coniunctiones Syrus noster, non multum ab iis alienus, qui olim particulas γάρ, ἀλλά, ἵνα, ὅτι, ὅπως et similes contraria omnia significare dixerunt [2]). Invertit porro ordinem seriemque verborum, qua in re nonnunquam satis prodit perversi critici ingenium. En exempla. I. Ioa. II, 24. legitur: manere in filio et patre; Syrus patrem filio praeponit. Hebr. II, 10. δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα; logicam didicit Syrus, ergo posterius praemittitur in Simplici. Eodem modo λόγος scribitur ante πνεῦμα II. Thess. II, 2., Paulus ante Barnabam Act. XIII, 2. 7.; XV, 12. 25., viri primarii civitatis ante feminas XIII, 50.; XVII, 12. vel ante turbam v. 7., Iudaei ante Aramaeos c. III, 11., Iconium ante Antiochiam Act. XIV, 19., Sadducaei ante praefectum templi IV, 1., vir sapiens ante proconsulem XIII, 6., ieiu-

---

1) Nominibus propriis adiiciuntur nonnunquam voces: civitas, insula, regio etc. Act. XXVIII, 13. Puteoli „civitas Italiae." Additamentum Matth. XIV, 24. (navicula multis stadiis a terra remota) ex loco parallelo sumtum videtur. Alia infra.

2) Vide exempla in praef. N. T. quod edidit de Muralto. Sed vehementer caveas, ne exempla ibi prolata nullo discrimine habito accipias.

nium ante preces Act. XIII, 2. Marc. III, 31., ubi in Graeco legitur οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ, Syrus matrem primo loco collocare religioni habet [1]. Multum refert saepenumero in Graeco utrum Χριστὸς Ἰησοῦς scriptum sit an Ἰησοῦς Χριστός. Id neglexit Syrus multis in locis. Sed longum est omnia id genus recensere [2]; satis probatum esse puto, Syrum interpretem magna licentia esse usum in libris N. T. transferendis. Tamen ne cui

---

1) Vix opus est causas exponere, cur in textu Graeco ordo seriesque verborum scripta sit, quam utpote minus concinnam et consuetam Syrus corrigendam esse duxit. Ioannes consulto scripsit: „maneamus in Filio et Patre“ eodem sensu, quo alio loco: „Qui Filium negat, neque Patrem habet.“ Lucas Barnabam Paulo anteposuit Act. XIII., quia tum Barnabas auctoritate Paulo praeibat etc. — Inversionis alia exempla accipe haec: Matth. XII, 25. (πόλις ἢ οἰκία); XV, 19. (φόνοι, μοιχεῖαι); XVIII, 17. (ἐθνικὸς καὶ τελώνης); XXI, 35. (ἀπέκτειναν — ἐλιθοβόλησαν); XXIII, 28. (ὑποκριταὶ καὶ ἄνομοι); XXIV, 10. (παραδώσουσι — μισήσουσι). Ordinem vulgarem et qui rationi magis congruere videtur, Syrus sequitur.

2) Uno conspectu proponam ex paucis Marci capitibus varietates, quae in textu Syro obviam mihi venerunt. 1) Desunt apud Syrum c. I, 2. ἔμπροσθέν σου; v. 17. ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι; v. 20. ἐν τῷ πλοίῳ. II, 4. ἐξορύξαντες v. 17. εἰς μετανοίαν; III, 5. ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη (quae verba desunt etiam in Cod. Alex. et Cantabr.). C. III, 19. interrogantis verba repetuntur in responso, Syrus solam negationem ponit. 2) Adduntur ad interpretationem c. III, 3. ἔγειραι εἰς τὸ μέσον. Syrus addit καὶ στῆθι. V. 4. καὶ λέγει αὐτοῖς. Syrus: e t i a m illis, quum versus antecedentis verba ad virum, cuius arida erat manus, seorsim direxerit. Ut in phrasibus omnino brevior est Marcus, illustrat Syrus c. I, 6. locutionem brevem: ἐνδεδυμένος τρίχας etc., pro quo scribit: indutus erat v e s t i m e n t o pili, et c i n c t u s erat zona; v. 38. κωμοπόλεις vertit: in vicos et in urbes. C. III, 5. περιβλεψάμενος συλλυπούμενος intuitus est cum ira, quum dolor exsisteret ei. 3) Liberior est Syrus in iis, ut pluralem mutet in singularem I, 45. ἐν ἐρήμοις τόποις; II, 20. in illis diebus, v. 7. blasphemiae. Pro passivo scribit activum I, 5. ἐβαπτίζοντο — baptizabat illos; III, 9. dixit discipulis, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ. Syrus: ut admoverent sibi navigium. Marcus duriuscule scribit: III, 14. καὶ ἐποίησεν δώδεκα, S. elexit; v. 15. θεραπεύειν τὰς νόσους S. morbis affectos. Marcus verbo ἔχειν saepius utitur, quod Syrus reddere non potest: III, 21. τέλος ἔχει S. finis adest. V. 20. 29. 30. Beelzebub sive daemon est in eo, ubi in Graeco legitur ἔχει. Solvit porro structuram verborum insolitam III, 17. 27. 31. — C. III, 10. his verbis finitur: ὅσοι εἶχον μάστιγας. Syrus haec cum sequentis versus verbis primis καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα connexuit hunc in modum: Et ii, quibus erant plagae spirituum immundorum.

nimium videatur quaeso interpretis nostri arbitrium, ex omnibus N. T. libris collecta haec exempla percurrenti. Neque in libris omnibus eadem est varietas textusque discrepantia. Atque id ipsum aliquando dubitationem mihi movit, num ab uno eodemque auctore universum N. T. translatum sit. Pressius enim sequitur Syrus textum Graecum in Evangeliis quam in Epistolis; in Actis quoque mira nonnunquam varietas, sicut ex curis I. D. Michaelis hunc in librum collatis facile videre licet. Veruntamen altera ex parte tanta est similitudo iis ipsis in rebus, in quibus ingenio suo indulget Syrus, ut auctorem eundem facile cognoscas. Causae complures erant, ut in aliis libris accuratius in aliis liberius interpres ageret; nam neque eadem librorum omnium dictio est, neque eadem cura Acta et Epistolae translata sunt qua Evangelia, quod idem in versionibus aliis cognoscere licet. Quare nisi librorum singulorum versione accuratissime ante examinata argumenta certa proferantur, quibus varios versionis auctores fuisse probetur, equidem non dubito, libros omnes (ep. ad Hebr. si excipias) ad eundem interpretem referre.

III. Ex iis, quae modo attulimus, satis liquet, non eam versioni Simplici auctoritatem tribuendam esse, quantam nonnulli statuerunt, ut apostolicam eam et fere divinam haberent. Ipsa enim versionis indoles ostendit et arguit, quod neque ab apostolo neque viro apostolico profecta est; id quod magis tum nobis persuasum erit, simulatque de dogmatica eius indole dictum fuerit. Quare perquam caute usum eius instituendum esse in re critica, iterum iterumque monendum est; etenim si multis in locis simplicitas et fides versionis revera talis conspicitur, ut fere Apostolum ipsum quae Graece scripserat Syriace exponentem audire videamur, minime totius operis ea natura est, ut in omnibus textum Graecum exprimat et religiose sequatur; nam Syrus addidit et omisit nonnulla, omnino corrigere et emendare non erubuit et quae mente non assequebatur, suo ex ingenio interpretari coepit. Quare, si pro vero et probato accipimus, initio saec. II. factam esse hanc versionem, argumento est indoles eius et ingenium, quod illo tempore in ecclesiis neque plena fide neque recta ratione vel intellectu integro retinebantur, quae Apostoli tradiderant. Est omnino in iis, quae fidem et doctrinam spectant, regula critica singularis observanda, quam qui negligunt in errores incidant necesse est. Quis putet, Lutheri opera Vite-

bergae edita viri summi verba praestare non integra et purissima; tamen exploratum est, et omissa nonnulla et variata esse. Confessio Augustana a Melantone ipso edita cui suspicionem moveat interpolationis? tamen ne illa quidem invariata mansit. Itaque postquam ab ecclesiis Orientis Apostolorum scripta pro norma vitae et doctrinae accepta sunt, primum de fide quaerendum est, num ecclesiarum antistites et doctores in Apostolorum verbis perstiterint. Quis lectitatas non habet Apostolorum querelas de ecclesiarum apostasia, de pseudoprophetis, de doctrina adulterata, de scissa pace. Atque quis tandem est, qui Apostolorum scriptis cum scriptoribus saec. II. collatis discrimen maximum non attenderit? Sunt sane nostro tempore viri maxima sagacitate praediti, qui inter Evangelia et Clementis homilias vix multum interesse putent. Apostolorum scripta, quibus Verbi divini et Spiritus Sancti characteres ita impressi sunt, ut stimulis eorum et aculeis barbarorum hominum corda compuncta, sermonis ardore et maiestate ingenia summa commota, gentes conversae, saecula renovata sint, Apostolorum inquam scripta nostri temporis criticis eadem loqui videntur quae Clementis Recognitiones et somnia Gnosticorum. Conferant illi textum Graecum et versionem Syriacam, ut quae sit doctrinae diversitas saec. I. et II. cognoscant. Adulterata autem doctrina non potuit Scriptura non affici. Scriptura Syrorum partim manca est partim adulterata. Quo tempore Canon cum ad modum constitutus sit, qualis Syris acceptus est, difficile est explicare. Supra monuimus, Ephraemum Apocalypsi et epistolis catholicis omnibus ut libris apostolicis usum esse. Unde Hugius argumentatur, Apocalypsin post Ephraemi tempora ex codice N. T. remotam esse neque eius versionem Syriacam, qua ille usus sit, ad saecula posteriora pervenisse. Nescio omnino, num de Canone V. et N. T. traditionem firmam et constantem aut Conciliorum decreta Syri secuti sint. Laudant quidem Canones apostolicos et Laodicenos Bar-Hebraeus et Benassalius [1]), at vero in universum tanta librorum perturbatio est maxime in V. T., ut fere ad libitum libros accepisse et reprobasse videantur. In Canone Ebediesu Sobensis adiiciuntur libris V. T. ipsius Iosephi libri et traditio Seniorum, quam Assemanus Mischnam habet a Iudaeis

---

1) Cf. Assem. B. O. II. p. 5. 6.

Babyloniis in idioma Syriacum translatam. Inter libros canonicos et apocryphos vix ab ullo Syrorum scriptore satis distinguitur. In N. T. librorum series vulgo ea est, quae saeculo tertio etiam a scriptoribus aliquot Graecis proponitur: Quattuor Evangelia; Acta Apostolorum et Epistolae catholicae; Pauli epp. quattuordecim. Apocalypsis desideratur etiam in Canone Conc. Laodic. (Mansi Concill. nov. et ampliss. coll. II, 574.) et apud Cyrillum Hierosolymitanum. Gregorius Nazianzenus haec habet de canone N. T.: „*Τινὲς δέ φασι τὴν πρὸς Ἑβραίους νόθον, οὐκ εὖ λέγοντες, γνησία γὰρ ἡ χάρις. Καθολικῶν ἐπιστολῶν τινες μὲν ἑπτά φασιν, οἱ δὲ τρεῖς μόνας χρῆναι δέχεσθαι. Τὴν δὲ ἀποκάλυψιν τὴν Ἰωάννου πάλιν τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δέ γε νόθον λέγουσιν* [1]).“ Gregorius Nazianzenus, in Cappadocia primum episcopus, Syris vicinus fuit. Ipsa Syrorum haec sententia fuit, epistolam ad Hebraeos servandam, sed tres tantum epp. catholicas legendas neque Apocalypsin addendam esse. Si vero dubiis cesserant Syri, quae saec. II. et III. in Oriente agitata erant adversus libros nonnullos posteriores et acerbiore animo scriptos, quid mirum, quod locos nonnullos e contextu Scripturae expungendos esse censuerunt, quos vel pridem removerant ecclesiarum antistites et doctores vel removendos aliterque legendos esse magna voce viri clarissimi clamabant. Putasne acceptam et gratam fuisse monachis et disciplinae ecclesiasticae auctoribus pericopen illam de femina adultera apud Ioannem obviam [2])? Haec igitur pericope, quam vere evangelicam habeo, quam nemo unquam nisi Apostolus scripsit, quae damnat testimonio suo gravissimo Papam et Episcopos, deest in Syrorum Scriptura, quos prae ceteris monachatui deditos fuisse constat. Deest in Simplici etiam locus vexatissimus I. Io. V, 7., qui omnino in ecclesia Orientali plane ignotus fuit, de cuius *αὐθεντίᾳ* uberius quaerere non est huius loci. Id tantum memorem, quod I. D. Michaelis in Curis Actuum monuit, ex Simplici nostra auctoritatem aliquam proficisci codici Montfortiano, qui unicus locum illum exhibet. Probatur enim huius codicis indoles singularis, antiqua et propria ea de causa, quod in le-

---

1) Cf. de Wette, Einleitung ins A. T. ed. 6. p. 42.

2) Armenios hanc pericopam detorsisse dicit Nicon, *βλαβερὰν εἶναι λέγοντας τοῖς πολλοῖς τὴν τοιαύτην ἀκρόασιν.*

ctionibus nonnullis rarioribus adversus textum vulgatum cum Syrorum antiquissima versione facit. Etiam I. Tim. III, 16. θεός non legitur (cf. infra). Sed et alia desiderantur in versione Simplici, quae vel ob levitatem quandam neglecta vel ob dogmaticas causas praetermissa et mutata sunt. Etenim id omnino in re critica observandum est, Scripturam Divinam ea ipsa de causa, quod vitae et doctrinae leges regulasque praescribit, experiri hominum corrigentem adulterantemque manum. Nam ea est hominum ratio et natura, ut Deum loquentem vel addendo vel demendo vel variando cum praeceptis propriis conformare studeant [1]). Quodnam fuit tandem doctrinae fundamentum et documentum, quod mutationibus, scrupulis, expositionibus falsis non violatum sit? Atque haec erant et erunt Scripturae fata inter homines, ut mutilata restituatur, obruta resurgat, ut corrupta, contemta, depravata et ab omnibus lacessita victrix denique appareat. — Desunt in Simplici Matth. X, 8. verba pauca νεκροὺς ἐγείρετε. In editione Viennensi supplentur in indice eorum, quae in versione Syriaca desiderentur; postea in plurimis editionibus recepta sunt. Quae verba, in Marco et Luca non obvia, quum nimia neque vera viderentur multis, non solum in Simplici sed etiam in codicibus permultis abiecta sunt. Loci alii in Simplice vel comminuti vel mutati coenam Domini spectant et baptismum. Luc. XXII, 17. 18. narratur Christus discipulis poculum dedisse ante fractum panem et v. 20. poculum iterum distribuisse μετὰ τὸ δειπνῆσαι [2]). Quod etsi convenit prorsus cum Iudaeorum ritu in festo Paschatis celebrando, non tamen convenit cum coena Domini, qualis inter Christianos administratur. Quare

---

1) In Lege scriptum est: „Ne quid addas, ne quid demas." Christus dicit: „Quisquis unum ex praeceptis illis minimis solverit, minimus in regno coelorum vocabitur." In Apocalypsi legitur: „Testor cuique verba vaticinationis libri huius audienti: si quis eis adiecerit, Deus ei plagas infliget in hoc libro descriptas, et si quis abstulerit a verbis libri vaticinationis huius, auferet Deus partem eius a ligno vitae et ex urbe sancta, quae in hoc libro scripta sunt." — Cavendum nobis, ne quid cum Romano-Catholicis scripturae addamus neve quid demamus cum Syris.

2) Assemanus Bibl. Vat. II. p. 70. monet, in versione Hierosolymitana duo commata Luc. XXII, 17. 18. haberi, quae in vulgata Syrorum versione et in plerisque Thomae Heracleensis exemplaribus desiderentur. Tremellius supplevit, Schaafius recipere non dubitavit.

hôs versus silentio neglexerunt Syri. Sed et mutarunt textum similem ob causam; I. Cor. V, 8. pro pane infermentato posuerunt fermentum, quia pane fermentato utebantur; sententiam Apostoli hac mutatione prorsus obscurari non curasse videntur [1]). Act. VIII, 37. formula proponitur, qua Philippus Aethiopem ad baptismum deduxit; quae quia non eadem est, qua postea in ecclesiis utebantur, negligitur a Syro et in codicibus nonnullis. Matthaei c. XXVII, 35. sublata sunt illa verba „ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου· Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου etc.“ Nescio, an offenderit Syrum aliosque illud ὑπὸ τοῦ προφήτου, quia locus Psalmorum est. Observes vero, apud Matthaeum exstare ex Vetere Testamento citationes numero duodecim; id quod consilio factum videtur. Nomen Ieremiae in loco Matthaei vexatissimo c. XXVII, 9. non legi apud Syrum, ex ante dictis recte suspicaberis (cf. notas marginales vers. Philox. ad h. l.: „Haec prophetae citatio non invenitur in duobus exemplaribus Graecis neque in vetere Syro.“). Brevior est textus Luc. I, 75.; desiderantur aliquot verba etiam Act. XV, 34.; XXVIII, 29. [2]). Consulas omnino notas editioni Viennensi subnexas, ubi recensentur loci versionis Simplicis, in quibus a textu vulgato differt.

IV. Non tamen omnis criticus usus versionis Syriacae Simplicis praecidendus est. In multis quidem obstat lingua Syriaca,

---

1) Quo tempore varia haec lectio invecta sit, utrum in Graeco primum codice an ipsos apud Syros orta, obscurum est. Miror quod Ephraemus haec scribat in Exodo, Paschatis legem et instituta ad eucharistiam referens: „Quod praecipit Moses populo, ut quarta decima die occidatur Pascha, significat, necem Emmanuelis in libris Prophetarum et in visionibus vatum praefiguratam quidem fuisse, impletam vero post saecula in cruce (scilicet die XV.).“ Idem: „Azymum significat, nos debere a vetustis operibus ad novae vitae conversationem transire, deinde ad sacram solennitatem accedere.“ Retulimus supra p. 205. locum ex Dionysii Chronico de coena Domini, quae „in azymis“ celebretur. Quare accuratius hac de re inquirendum est, quo loco et quo tempore usus panis fermentati receptus fuerit. Ceterum lege fabulam miram de fermento apud Ios. Aloys. Assemanum de Catholicis s. Patriarchis etc. p. 179.

2) Cf. Bruns, Bemerkungen über einige Ausgaben der alten Syr. Uebers. d. N. T. in Eichhornii Repert. vol. XV. — Est maxime ob praetermissa versio Syriaca conspicua, additamenta non multa reperiuntur. Matth. XXVIII. additum est ex Ioanne ad Apostolorum dignitatem hoc loco inculcandam: Ut me misit pater meus, ita vos mitto ego. Facilius omnino omittuntur, quam adduntur quaedam.

quin ex versione formam textus Graeci nativam indagare ubique et construere possimus; vetat porro interpretis licentia, obscuritas et nonnunquam hallucinatio animique hebetudo, ne ubi deflexit in interpretatione, aliter eum legisse statuamus in Graeco. Etenim mutavit, detorsit confuditque multa. Porro tanta non est fides Scripturae, qualis apud Syros recepta est, ut rite in omnibus et religiose id servaverint et reddiderint, quod in autographo Graeco legebatur. Dubitatur quidem, utrum ab initio in Simplici libri et loci nonnulli desiderati an postea abiecti sint, neque certi quidquam hac de re statui potest, nisi historia ecclesiastica saeculi eius, quod post mortuos Apostolos secutum est, documentis novis illustratum fuerit. Meo quidem iudicio defectus illi non tam Syris, quam iis doctoribus tribuendi sunt, qui ecclesiae Orientalis post Apostolos rectores exstiterunt. Infra videbimus, doctrinam Simplicis infectam esse iisdem erroribus, quos saec. II. in ecclesia Orientali animadvertimus, atque si quando historia illius aevi detecta fuerit, apparebit, apud quosnam ecclesiae hierarchicae et disciplinae catholicae origines quaerendae, quibus defectus Scripturae et dubia adversus libros singulos promota tribuenda sint. Causas dogmaticas fuisse, cur in Simplici quaedam neglecta sint, cuique ex supra dictis patuisse puto. Neque saec. I. et II. textum Scripturae Sacrae alias mutationes expertum esse puto, nisi quae doctrinam spectaverint. Quare si missas facimus textus varietates ob causas dogmaticas invectas, in rebus ceteris non video, cur textum Graecum, quo Syrus interpres usus est, non simillimum fuisse putemus Apostolorum autographis. Sed accuratius hic inquirendum est primum de textu Simplicis ipso, deinde de Scriptura Graeca, qualis Syro proposita fuerit. Causas nullas esse, cur de textus Syriaci deformatione et magna variatione cogitemus, supra docuimus. Curetonus quidem editurus est „recensionem Evangeliorum antiquissimam, nondum in Europa cognitam.“ Iudicium non ferendum ante rem conspectam; vix tamen putaverim, multum hodie distare Simplicem ab illa forma, qua primum saec. secundo prodiit. Etenim si quo tempore cura maiore recensita et communi ecclesiarum consensu haec recensio probata fuisset, proculdubio correctores mundassent eam a naevis plurimis, quos facile erat expungere et emendare, modo textum Graecum contulissent. Neque tanta esset codicum similitudo et textus apud

partes omnes constantia, nisi antiquitus talis auctoritas et verecundia stetisset Simplici nostrae, ut corrigere eam et immutare nefas haberetur. Quantum igitur per licentiam interpretis et versionis indolem mancam, incertam et spuriam licet, testis est statuenda versio Simplex nostra ea ipsa forma, qua ex codicibus edita est (excipias, quae postea per editores intrusa et variata sunt), testis est inquam Scripturae Novi Testamenti, qualis saec. II. in Oriente legebatur. Porro id consentiunt critici, codicem, quo Syrus interpres usus sit, in universum optimae notae fuisse et accuratissime descriptum. Quas litterarum ambiguitates vel librariorum lapsus vel potius ipsius interpretis errores tangit Hugius (Einl. p. 350.), haec ad nihilum fere omnia redeunt, rem accuratius si inspexeris. Minime enim opus est ut statuamus, Syrum Matth. XI, 19. pro *τέκνων* legisse *τεχνῶν*, Marc. VI, 1. *ἠκολούθησαν* pro *ἐκολλήθησαν*, Luc. IX, 42. *ἔῤῥιψεν* pro *ἔῤῥηξεν*. Act. XVIII, 7. scripsit sane Syrus nomen Titi, ubi in Graeco legitur Iustus [1]); tamen ita si legisset, ut Hugius satis acute quidem proponit, grammaticae regulam omnino nullam observasset. Textus Graecus igitur eius indolis erat, ut vix multam errandi ansam interpreti daret [2]). Etiam quas in interpunctione et accentibus varietates notavit Millius, non sunt magni momenti. Statuamus igitur, exemplar Graecum accuratissime scriptum interpreti Syro propositum fuisse. Iam vero altera quaestio ventilata est inter criticos, ad quamnam recensionem referendus sit codex ille, quem in manibus Noster habuerit. Griesbachius neque Occidentalem neque Alexandrinam suam neque Constantinopolitanam rimari potuit; Hugius ad *κοινὴν ἔκδοσιν* refert Syriacam versionem, cui Winerus accedit et Muralto, qui ante textum recensitum eam factam esse dicit. Ergo recensiones illas Latinorum et Alexandrinorum nondum expertus erat textus Graecus Syri nostri oculis obversatus; erat

---

1) Mirum est, quod versio Syriaca in vocibus Latinis titubat: custodia, forum Appii, Iustus.

2) In codice Graeco per oscitantiam aliquando Syrus litteras commutasse videtur ex: c. Matth. XXI, 41. pro *κακοὺς κακῶς* — *κακῶς κακῶς*, sed potest etiam liberius vertisse. C. XXIII, 35. pro *αἷμα δίκαιον* vertit *αἷμα δικαίων*, sed vix aliter Syriace reddere potuit; c. XXIII, 9. pro *ὑμῶν* Syrus et Arabs habent *ὑμῖν* cum Vulg.; I. Petr. I, 13. *χαράν* pro *χάριν*.

omnino, ut ab Apostolis acceptus est, varietates illas si excipis, quas vel iniuria scribarum vel temporis progressu vel negligentia quadam contraxerat. Liber erat additamentis postea invectis vel ad interpretationem vel ad loca parallela conformanda, neque ad Graecae linguae regulas adstrictus ab iis, qui Alexandrini idiomatis praecepta in Bibliis servanda esse putarunt. Quod si dederis, auctoritas versionis Syriacae haud spernenda est in variis lectionibus diiudicandis, maxime ubi testimonia Italae et codicum probatissimorum versioni nostrae accedunt. Alio fortasse loco facultas nobis et opportunitas data erit, uberius sententiam nostram de textu N. T. Graeco exponendi; pauca hoc loco monuisse sufficiet, quae ad versionem Syriacam attinent. Statuitur vulgo discrimen maximum idque per omnem N. T. dictionem diffusum inter lectiones Orientales et Occidentales; qua in re magni momenti esse videtur, quod versio Syriaca inter utrasque locum medium tenet. Ullo eam versionis Latinae contagio affectam esse, nemo demonstravit nec, totus ni fallor, demonstrabit unquam; etenim tantum abfuit ut Syri Latinae lectionis curam gererent, ut ne Graecam quidem conferrent. Linguam Latinam interpreti ignotam fuisse diximus. Quare multum facit ad auctoritatem versionis Italicae s. Afrae commendandam, quod versio Syriaca, testis igitur Orientalis, in rebus plurimis cum illa congruit. Sed versionis Latinae non eadem est librorum omnium conditio eamque interpretamentis auctam, ab aliis alio modo tractatam, mox sui absimilem exstitisse, queruntur Patres. Quare iterum alicuius momenti est, quod R. Simonius Simplici cognationem intercedere ait cum codicibus Graecis veteribus, quibus Hieronymus usus sit Italam ad veritatem Graecam quantum licuit revocaturus. Nam non in omnibus cum lectione Latina facit Syriaca, accedit in rebus aliis ad lectionem Orientalem et cum Chrysostomi textu familiaritatem ostendit. Quodsi non perperam olim Bentleius ex Vulgata lectionis veritatem inquirere voluit, multo tutius ille in negotio critico versabitur, qui ex iunctis versionum Syr. Ital. et Vulg. testimoniis lectionem antiquam pensitet. Etenim id si probaveris, quod probatum esse puto, nisi antiquitati maiori, certe saeculi II. initio adscribendam esse versionem Syriacam, verisimile est, praeter omissiones illas ob causas dogmaticas factas vix multum variatum fuisse textum Graecum. Origenes, Pierius et si qui alii tex-

tus biblici correctores exstiterunt, manus illi nondum admoverant, quorum cura et medela litteras sacras gravius afflictas et laceratas esse puto, quam incuria librariorum. Copticae versionis lectiones conferre non licuit mihi; non magnam cum illa Nostro cognationem intercedere, scripsit I. D. Michaelis. Sed exemplis potius rationem contextus Syriaci demonstremus quam coniecturas sectemur.

Pauca quaedam proferamus. In Matthaeo variae lectiones notantur prae ceteris ad haec loca: c. I, 11. Iosias genuit Iechoniam et fratres, v. 13. Abiud; v. 18. *γέννησις*; c. II. *εἶδον* al. *εὗρον*; c. III, 8. *καρποὺς* al. *καρπόν*; III, 11. *καὶ πυρί*; c. V, 22. *εἰκῇ*; c. VI, 3. clausulâ orationis dominicae; c. VI, 18. verba extrema textus recepti a multis abiiciuntur; c. VII, 2. *μετρηθήσεται* al. *ἀντιμετρηθήσεται*. Syr. ܡܬܟܝܠ (?); c. VII, 14. *τί στενή* al. *ὅτι*; c. VIII, 15. *εἰπὲ λόγῳ* Syr. ܒܡܠܬܐ [1]); VIII, 15. *αὐτοῖς*; X, 10. *ῥαβδόν* etc. His in locis varias lectiones si conferas, Syrus noster ubique tuetur textum receptum. C. XVIII, 29. verba *εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ* et *πάντα* in multis codd. desiderata leguntur in S. neque minus v. 35. *παραπτώματα αὐτῶν* (cuius Singularem scribit Syrus). C. XIX, 9. lectio *μὴ ἐπὶ πορνείᾳ* confirmatur ex Syro ܐܢܬܬܗ ܕܠܐ ܥܘܙܐ; nam si cum Lachmanno legisset *παρεκτὸς λόγου πορνείας* simili modo ut Matth. V, 32. transtulisset; c. XX, 22. verba *ἢ τὸ βάπτισμα* etc. leguntur in S., item in versu sequenti verba aliquot multis in exemplaribus abiecta; c. XXI, 3. *ἀποστέλλει*, ubi lectio facilior *ἀποστελεῖ*, videtur Syrus Praesens tempus legisse, Participio usus ܡܫܕܪ etc. Longum est, omnia recensere, in quibus versionem Syriacam cum textu recepto consentientem reperi. Sed rem miram me dicere ais et incredibilem. Textus receptus secundum Griesbachium a viris editus et recensitus est „quibus codices praesto fuerunt nonnisi pauci, recentes et exigui pretii; qui subsidiis destituti erant, quorum ope carere nequit, qui libros bonos ab interpolatis et lectiones genuinas a spuriis discernere atque textum purum et bonum formare vult,“

---

1) Sunt loci similes multi, in quibus industria fidesque Syri interpretis satis conspicua est. Cf. R. Simon, krit. Gesch. d. Uebers. d. N. T. cap. XIII, ubi exempla aliquot critica proposita.

quare idem exclamare non dubitat „Quis est, qui istarum editionum auctoritatem opponere nobis audeat.“ Et cuius animi in textum receptum sit Lachmannus, satis indicat his verbis: „Ni mirum, tametsi confiteri nolint, pudendam superstitionem unum mendax vocabulum incutit: nam ista recepta editio, quam nemo doctus authenticam habuit, si potius vel vulgaris vel plebeia vel denique tolerata, cum vix tolerabilis sit, diceretur, hodie ista levissima duorum eximiorum typographorum opera in refingenda fortuito nata lectione posita non videretur emendabilis, sed reiicienda.“ Quomodo igitur fieri possit, ut versio Syriaca antiqua lectionem istam receptam repraesentet? Nonne Simplicem manibus terentes exspectemus potius, illam lectiones ostensuram esse, quas critici nostri tanquam antiquas, genuinas, probatissimas, veras rimati sunt? An forte dicamus, ut olim Simplicem ex versione Heracleensi et Latina interpolatam habuerunt, codices Syriacos saec. VII. et sequentibus in Mesopotamia scriptos ex textu nostro recepto refictos esse? Griesbachius textus Graeci recensiones distinguere docuit: versio Syriaca antiquior est. Lachmannus antiquitatem laudat, nihil vult recipi, quod ex testimonio vetustatis probari nequeat, quare miror, cur ille versionem nostram ne conferre quidem pretium duxerit. Si vero ille ex Origenis et codicum Graecorum vetustissimorum lectione textum conformare instituit, antiquiora documenta nobis praesto esse non denegabit, si versionem Syriacam Orientalem testem proferemus. Quo certiores fiamus, in quamnam partem inclinet trutina, in Lucae capitibus decem varias lectiones, quas Griesbachius in textum recepit vel in margine notavit, examinemus ex testimonio Syri. Luc. I, 5. et uxor eius; Griesb. in m. et Lachm. γυνὴ αὐτῷ, Syrus cum textu recepto facit; I, 29. ἰδοῦσα; aufert Gr., habet Syrus; II, 14. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία; Lachm. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, Syr. et spes bona hominibus; II, 22. αὐτῶν, consentiente Syro, Griesb. in m. αὐτοῦ al. αὐτῆς; II, 33. Iosephus autem et mater; Gr. ὁ πατὴρ αὐτοῦ; II, 43. Iosephus et mater, Gr. in m. et Lachm. οἱ γονεῖς; II, 45. αὐτόν Gr. et L. omittunt, adest in Simplice; III, 19. Φιλίππου G. et L. delent, legitur apud Syrum. — Nullus dubito, quin hisce in locis textus receptus probandus sit contra Griesbachium et Lachmannum; c. I, 29. ἰδοῦσα plane ex more Hebraeorum et Syrorum est, minus vero Graecorum (Vulg. audisset, sed cod.

Fuld. vidisset); c. II, 14. certissimum est, Syrum legisse Nominativum εὐδοκία, quamquam sententiam non plane perspexit, quam plerique non ceperunt, quare lectio orta εὐδοκίας, Iren. It. Vulg. bonae voluntatis. Lectio αὐτῶν (dies lustrationis Mariae et infantis) c. II, 22. difficilior quidem est, sed probatissima et vera. Porro c. II, 33. 43. Lucas consulto scribit: Iosephus et mater, licet apud eundem Maria ipsa ad Christum dicat: pater tuus et ego te quaesivimus magna sollicitudine. — Cap. IV, 18. verba ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν omittit Griesb., tuetur Syrus; IV, 25. τῆς Σιδῶνος G. in m. et L. Σιδωνίας, Syrus: ܨܝܕܢ; c. IV, 21. verba Petri, magni confessoris: Tu es Christus, filius Dei, a Griesbachio et Lachmanno expunguntur tanquam hoc loco irreptitia, sed habentur in Simplici; c. VIII, 26. Γαδαρηνοί Syr. ܓܕܪܝܐ; c. IX, 56. G. et L. omittunt verba multa textus recepti, quae leguntur in vers. nostra. — His in locis omnibus auctoritas versionis Syriacae antiquae refragatur criticis nostris. Sunt tamen alia quaedam, in quibus convenit; c. VIII, 31. παρεκάλει; Syrus pluralem exhibet, quem Gr. in m. et L. receperunt, quae mera correctio videtur; c. VIII, 3. διηκόνουν αὐτῷ Syr. αὐτοῖς ut Griesb. in m.; c. IX, 1. τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ Gr. verba postrema omittit, Syrus et ipse μαθητάς non reddidit, sed scripsit: duodecim suos; si vero αὐτοῦ probaveris, neque μαθητάς sustuleris [1]); c. VI, 10. ὁ δὲ ἐποίησεν, G. in m. ἐξέτεινεν, item Syrus, sed ex ratione Syriaci idiomatis. In eodem versu ὑγιής desideratur apud Syrum; sed legitur ὡς ἡ ἄλλη. C. VII, 44. θριξὶ τῆς κεφαλῆς, G. et L. τῆς κεφαλῆς additicium habent; deest in Syro. Vides quod his quoque in locis, in quibus congruit partim versio Syriaca cum criticorum emendationibus, ea magis suspectas illas facit utpote correctoris, quam probat. Arbitrariam correctionem prodere mihi videntur etiam haec exempla: c. IV, 8. ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ. Griesbachius omisit haec verba, quae neque in versione Syriaca reperiuntur. Possunt sane ex Matthaeo huc esse translata; sed potest etiam criticus ineptum habuisse, quod haec verba prolata sunt in ea

---

1) Usitatum erat, duodecim Apostolos dicere (ut legitur in It. et Vulg.); non placuit: duodecim discipuli. Lachmannus lectionem receptam repraesentat.

tentatione, quae apud Lucam secundo loco posita est; nam his verbis vix addi posse videbatur tentatio tertia. C. VII, 45. ἀφ' ἧς εἰςῆλθον. G. in margine εἰςῆλθεν. Syrus et ipse personam tertiam scribit, quae certe multo facilior videtur; sed de lectione Syri dubitandum, Persa enim personam primam habet. Restat una lectio, quae ab initio pericopae lectionis publicae causa addita videtur. C. VII, 31. textus receptus habet: εἶπε ὁ κύριος. Knappius, Lachmannus, Griesbachius omittunt; item Syrus.

Exempla haec sufficiant; alii alios libros examinent. Non ille ego sum, qui recepta ut recepta laudet aut a textu edito castigationem omnem arcere velit [1]); sed expertus sum, id quod quisque experietur, modo versionem Syriacam accurate examinaverit, testem eam locupletissimam esse, in universum minime ea labe et depravatione textum nostrum esse infectum, ut nonnulli clamitant; criticorum manum corrigentem sua auctoritate rarissime adiuvat, et si quando a textu edito discrepat, plerumque causae in conspicuo sunt, cur a lectione Graeca Syrus declinaverit. Non dubito equidem asserere, quod ad textum rite constituendum (exemtis eximendis) versio Syriaca inter optima et firmissima praesidia recensenda sit.

---

1) Winerus l. c. aliquot locos ex epistolis Paulinis congessit, in quibus Syrus cum codicibus probatissimis, maxime iis, qui τῇ κοινῇ ἐκδόσει assignantur, lectionem exprimat a textu recepto discrepantem. Eph. III, 3. ἐγνώρισε sc. ὁ θεός. Syrus et codd. A. B. C. D. ἐγνωρίσθη. Phil. II, 26. ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς. Syrus vocabulum ἰδεῖν interponit ut codd. A. C. D. E. — Operae pretium esset facturus, si quis maxime ad lectiones dubias per libros N. T. omnes notaret accurate lectionem versionis Syriacae. Si quis per pauca tantum capita versionem Latinam contulerit, perspectum habebit, quanto illam antecellat textus puritate versio Syriaca Simplex. Est porro quaestio minime absoluta, quae ratio intercedat inter versionem Syr. et Lat. antiquam. Nonnunquam concentus cum Vulg. quoque Hieronymi mirus est. Ex. c. Matth. X, 13. ἐλθέτω Syr. Vulg. Futurum; v. 14. κονιορτὸν τῶν ποδῶν Syr. Vulg. de pedibus vestris; v. 15. ὁ δοῦλος Syr. Vulg. Dativus. Sed pleraque haec ex versionis ratione idem in utraque lingua suadente explicanda sunt.

Cap. III.

De usu hermeneutico, atque primum de colore librorum N. T. Aramaeo.

Maxime adhibenda est versio N. T. Syriaca ad usum hermeneuticum. Duplicem autem eius rationem distinguamus necesse est. Primum enim ipsum dicendi genus, quod in N. T. apparet, versionem Syriacam prae ceteris omnibus aptam facit, quae subsidia multa ad notionem verborum genuinam eruendam suppeditet; deinde quaerendum est, quo successu munere suo functus sit Syrus interpres et quid valeat expositio et interpretatio eius ad Apostolorum mentem litterasque sacras intelligendas.

„Sacri viri Syriace conceperunt, quae Graece scripserunt, unde phrasium, quae passim in N. T. usurpantur, verus sensus vix aliunde quam ex Syriaco petendus est.“ Sic olim scripsit vir eruditissimus Ludovicus de Dieu (in Gramm. Hebr. Chald. Syr.). Id si plane verum esset, N. T. ex Graeco in Syriacum sermonem prius transponendum esset, ut Apostolorum mentem perspiceremus; quod vitium gravissimum esset, meditari Syriace, Graece loqui. Apostoli quae Graece scripserunt, Graece etiam cogitarunt; sed ut ea ipsa ratione cogitarent et scriberent, quomodo legitur, multum effecit linguae Syriacae consuetudo et familiaritas. Negotium ne quis habeat tam facile expediendum, scriptorum sacrorum mentem rite et ad amussim explicare. Est omnino brevissimus Scripturae stylus atque Evangelistae et Apostoli tam obiective, ut ita dicam, rem omnem proposuerunt, ut quid ipsi senserint, cur vel hoc vel illo verbo usi sint, qua ratione sermonem contexuerint, quae sint in scribendo consilia secuti, celaverint potius quam aperuerint, quare Scripturae sensus et nucleus omnes latuit semperque latebit, quorum corda animique motu non simili moventur atque Scriptorum corda, quos Spiritus Sanctus impulit, docuit, replevit. Quare primum Spiritus Sancti institutione opus est interpreti; deinde vero, si quis Apostolorum ratiocinationes et sententiarum quasi modos et origines indagare velit, minime ei spernenda sunt auxilia et subsidia litteraria, quae ad Apostolicae mentis penetralia illa viam muniant, unde ea quae in manibus est sermonis doctrinaeque forma promanavit, qua vitae aeternae arcana continentur.

Christus ipse sermone Chaldaeo sive Aramaeo usus est, ut in libro primo demonstravimus. Post effusum Spiritum Apostoli, *οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου*, tradere coeperunt in Iudaea et Samaria res omnes, quas Christum exsequentem et docentem viderant et audiverant. Petrus et Paulus in Actis, quotiescunque praedicationem auspicantur, exordium petentes a baptismo Ioannis res gestas Iesu Nazareni persequuntur ad ascensionem eius in coelos. Omnino dubitari nequit, quin evangelicae praedicationis certa quaedam et constans forma usu invaluerit, maxime Petri ore prolata, quae fide et simplicitate summa ipsa Servatoris verba intra parietes accepta omnem in orbem exseruit. Quare si postea quae prius Aramaice narrabantur, translata sunt in sermonem Graecum, fieri non potuit, quin ubique originis vestigia laterent. Neque enim erant Graeci Iesus et Apostoli eius, sed Iudaei, Hebraei, Aramaei; nunquam puduit eos originis et patrii sermonis; non novum effinxerunt dicendi genus, sed eo utebantur, quod a patribus acceperant, quod ex libris Iudaeorum sacris didicerant; contemtui erant Pharisaeis Iesus et Apostoli Galilaea obscura et rauca voce loquentes, derisui erat Stoicis et Epicuraeis Paulus *σπερμολόγος*, utpote qui Graecorum subtiles quaestiones et orationem ornatissimam ne sensu quidem perstringeret. Vitae delicias si quaeras et superbiam vitae, adi Graecorum templa, lucos, stoas, spectacula; *ὁ ἀστὴρ ὁ πρωϊνός* non effulsit in Helladis coelo. Omnino non potest esse non diversus eorum sermo et genus dicendi, quorum ingenia prorsus diversa sunt. Spiritus Sanctus omnia quidem adaptat sibi et sua facit, linguarum novarum facultatem porrigit, omnibus sese accomodat — sed servat colorem Spiritus, non amittit pristinum saporem, sui non immemor est nec originum suarum, proprias habet normas et suum genus loquendi. Qua de re recte Glassius (Phil. S. l. I. tract. IV. sect. II. can. II.): „Quemadmodum quod ad res ipsas sancti Dei viri N. T. tempore nihil extra dixerunt vel scripserunt quam ea quae Prophetae locuti sunt futura esse et Moses, quod colligitur ex Act. XXVI, 22., I. Petr. I, 10—12. idque ad conciliandam N. T. auctoritatem et ad demonstrandam utriusque Testamenti *συμφωνίαν* et convenientiam: sic etiam in styli et sermonis qualitate ad Hebraicum V. T. sermonem se accomodare voluerunt propter eandem rationem.“ Et Fabricius in praefatione

Gy-

Gymnasii Syriaci: „In N. T. non fluit purus Graecismus, sed permiscetur Graeca lingua liquore Hebraci sermonis. Ea enim indoles est rerum sacrarum, ut proprietas primae linguae non solum se diffundat per veterem Scripturam, sed etiam sese insinuet in Graecismum N. T. Unde multis in locis N. T. Graecismus pure Graecis est barbarismus propter phrasin Graecis ignotam. Ecclesiae autem non est barbarismus: agnoscit enim ea sermonem primaevum eumque in Scripturam N. T. manare deprehendit."

Utique non solum vocabulorum et sonorum diversitas est inter linguas Orientales et Occidentales, sed sentiendi, cogitandi, loquendi plane aliud genus. Superbit tumetque Graecia gloria sapientiae; tanquam dominos illi se gerunt rerum omnium visibilium et invisibilium; vitae miseriam celant et obvelant, mortem somno similem fingunt; Deorum nomine humanae regnant cupiditates, vires, passiones; pulchra forma rerumque specie delectantur omnes atque cincti ornamentis omnibus, quae ars et natura suppeditat, καλοὺς κἀγαθοὺς se appellant. Quod Graecorum ingenium esse omnes si perhibent, fieri non potest, quin linguae quoque impressae sint superbiae notae et sapientiae humanae, candoris et venustatis, quae externa specie nitet; quare quo excultior est sermo, eo remotior a genere dicendi casto, sincero, vero; inest fucati, simulati, elati aliquid, et regnat in oratione superbia humana, quae sententiis grandibus, verbis blandis et arte loquendi delectatur. Quae quidem omnia nata non sunt ex veritate. Amor divinus aes non est retonans neque cymbalum tinniens; veritatis nitor ipsa veritas est, castitas, sobrietas. Quare Evangelistae et Apostoli Graeca lingua quum uterentur, genus et normam sentiendi loquendique servabant eam, quae in Hebraeorum gente valuit, a Mose et Prophetis exculta [1]).

---

1) Quare quae est Scripturae Sacrae eloquentia vix ac ne vix quidem perspici potest, nisi animus ante attentus et conformatus sit ad eas ipsas res, quae Prophetarum et Apostolorum mentibus insident. Qua de re recte Augustinus, Conff. l. III. c. 5.: „Non sicut modo loquor, ita sensi, quum attendi ad illam Scripturam; sed visa est mihi indigna, quam Tullianae dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius et acies mea non penetrabat interiora eius." Et optime Beza II. Cor. XI, 6.: „Quamvis nativa illa et germana masculae facundiae ornamenta Paulo non defuerint, fateor tamen, illum fucatae illius rhetorices pig-

Recte igitur statuunt, qui maxime ex Vetere Testamento, ex versione Alexandrina et genere dicendi temporibus Christi inter Iudaeos consueto dictionem N. T. explicandam esse dicunt [1]). Est tamen diversitas inter Hebraeum et Aramaeum idioma observanda atque ii, qui de N. T. Hebraismis scripserunt, felicius rem expedivissent, si rationem simul linguae Syriacae habuissent [2]). In V. T. habes stilum historicum, propheticum et poeticum. Historicus est brevissimus, propheticus poetico non ita absimilis. Sed ut tempora processerunt, planior fluere coepit oratio et illud loquendi genus excoli, quod praedicatorium nuncupare licet et quod mixtum est singulis dicendi generibus. Prophetae omnia fere per imagines expresserant, coloribus vividis poetarum more. Saeculis posterioribus coeptum est, quae in Mose et Prophetis vario modo depicta et adumbrata legebantur, ad doctrinae et planioris sermonis formulam revocare. In Targumistis hoc studium saepissime apparet, ut uno nomine et una sententia propositiones et imagines variae comprehendantur et imagine sublata ex attributis multis caput quoddam et articulus doctrinae formetur. Id enim seriori loquendi docendique generi

---

mentis uti noluisse, nempe ut vi Spiritus hominum animos ad Christum raperet, non autem sermonis blanditiis adulatorum more alliceret. Sed quum orationis ipsius totam indolem et χαρακτῆρα propius considero, nullum ego in ipso Platone similem grandiloquentiam, quoties illi libuit mysteria Dei detonare, nullam in Demosthene parem δεινότητα comperisse me fateor, quoties animos vel metu divini iudicii perterrefacere vel commonefacere vel ad contemplandam Dei bonitatem attrahere vel ad pietatis et misericordiae officia constituit adhortari; nullam denique vel in ipso Aristotele et Galeno, praestantissimis alioquin artificibus, magis exactam docendi methodum invenio."

1) Martini in praef. N. T. Syr. Trost.: „Licet phrasis N. T. originaliter Graeca dici possit, non tamen pura fluit, sed liquore Hebraei et Syri sermonis permixta est. Quare licet lector N. T. in Graecis litteris dexterrime sit institutus, linguarum tamen Hebraicae et Syrae ignarus, in Graeca illius lectione infelicissime versabitur." Olearius: „Certum est, Deum in V. et N. T. vere admirandam minimeque fortuitam loquendi cum hominibus servasse consonantiam, quare neque facilius neque gravius ad ipsum N. T. nucleum pervenitur, quam ea resolvendi interpretandique ratione, quae V. T. stylo N. T. voces ac phrases metitur, expendit, evolvit."

2) Vorstius, cuius liber dignus, qui a studiosis litterarum sacrarum omnibus lectitetur, Syriacae linguae rationem vix multam habet.

proprium est. Quam ad rem multum contulit lingua ipsa Aramaea. Nam illa gaudet nominibus abstractis; formam induerat magis pedestrem, et primigenias vocabulorum notiones deduxerat in usum urbanum magis, communem et vulgarem. Ut proverbiis docuerant veteres, nunc parabolarum genus inventum, estque uberior facta et magis contexta oratio. Quae dicendi forma a Christo quoque est adhibita, ut inter doctores Rabbinicos et omnes omnino Syros satis trita erat et vulgaris.

Iam illud exemplis aliquot illustrabimus, quod quae in Prophetis legebantur, ea in idiomate Aramaeo consummata et certis articulis definita esse diximus. Exponamus primum, quomodo ex lingua et versione Syriaca notio Evangelistis usitatissima *βασιλεία τοῦ θεοῦ*, *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* illustrari possit. Notissimum est, nomina abstracta non placuisse Hebraeis; vocabulum מלוכה s. ממלכה rarissimum est; sed Syris ita vulgaris vox ܡܠܟܘܬܐ, ut paene abstractum pro concreto dicatur [1]). In Chronicis primum observatur genus scribendi hoc recentius, quod Aramaeo proprius est; ex tempore enim exilii Babylonici Iudaei linguam antiquam transformare coeperant. Itaque omnia, quae Prophetae dixerant de tempore tandem aliquando futuro, ubi Deus appariturus esset in urbe et regnaturus toto in orbe, haec consummabantur notione „regni Dei", ut Daniel Propheta regnis mundanis opposuerat regnum illud coeleste, quod superne adveniens simulacra omnia fracturum et contusurum sit [2]). Erat

---

1) Agrellius in suppl. synt. paragraphum singularem habet de usu vocis ܡܠܟܘܬܐ (§. 54. pag. 117.). Quod nomen hoc abstractum ponitur pro concreto, his probatur exemplis: Quando venit ad urbem aliquam magnam imago nova regni (i. e. regis, imperatoris), unusquisque accurrit ad eam videndam. Assem. I. pag. 218. Ex metu regni, i. e. regis. Ass. III, 1. pag 91. Qui filius regis, idem dicitur filius regni. Ubi de Romanis sermo est, ܡܠܟܘܬܐ significat Imperatorem vel Imperatores. Id. pag. 306.: „Tingebant sericum sanguine peregrino in vestitum regalitati impiae, i. e. ad vestes regum impiorum." Cf. Matth. XIII, 38., ubi *υἱοὶ τῆς βασιλείας* opponuntur *υἱοῖς τοῦ πονηροῦ*.

2) Dicunt vulgo, Prophetas vaticinatos esse regnum mundanum et Messiam gloria terrestri splendentem. Id ne ulla quidem veritatis specie dicerent, nisi imagines, quibus Prophetae uti solent, orationis poeticae ratione non habita urgerent. Conferatur autem Targumista, qui Ies. IX, 6. explicat: „Messias Legem in se suscipit, ut servet et exsequa-

autem Chaldaeis et Syris usitatum, nomine „coelorum“ potentiam et regimen divinum opponere viribus, voluntati, licentiae humanae. Habes exemplum Dan. IV, 23. [1]). Itaque quod regnum Dei, idem dicebatur regnum coelorum [2]). Illud regnum dummodo advenisset, Iudaei sperabant rerum omnium fore παλιγγενεσίαν, quod vocabulum a Matthaeo c. XIX, 28. adhibitum optime illustratur ex versione Syriaca ܒܥܠܡܐ ܚܕܬܐ. Tempus enim novum, tempus adveniens (αἰὼν ἐρχόμενος) dicebant tempus Messiae, aevo huic sive instanti oppositum, in quo nova omnia fierent et novi coeli, terra nova crearentur. Quare idem Petrus exprimit vocabulo ἀποκατάστασις πάντων, i. e. restitutio omnium quae Prophetae olim vaticinati erant, quo loco in textu Syriaco legitur ܡܘܠܝܐ, i. e. impletio, completio, consummatio rerum omnium. Atque alio loco idem scribit Apostolus: „Novum coelum et novam terram exspectamus, in qua iustitia habitet.“ Huc facit etiam, quod verba Marthae Ioa. XI, 24., ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ vertuntur a Syro ܒܩܝܡܬܐ ܒܝܘܡܐ ܐܚܪܝܐ. Multum enim sperabant Iudaei de temporis futuri requie et beatitudine, quam ex tempore Messiae exordium sumpturam esse dicebant. Unde emphasis accedit verbis Iesu: ἐγὼ ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή; hortatur enim Martham, ne in spe vana rerum futurarum collocet id quod praesto sit. Ex hac voce lucem accipiunt verba quoque Petri: ut advenerint tempora ἀναψύξεως, quod vocabulum idem fere quod ܢܘܚܡܐ. Hoc igitur

---

tur;“ c. LIII, 5.: „Per doctrinam eius salus magna super nos veniet, et si verbis eius obedientiam praestabimus, peccata nostra nobis remittentur.“ Nostri temporis homines de Christo et ecclesia opiniones magis terrestres habere quam Iudaeos, quis non videt!

1) Cf. Lampium in Comment. ad Ioa. T. I. pag. 561. Wolfii Curas ad Matth. XXI, 25. Deylingii Observatt. S. P. I. n. 24. Keilii dissert. de regno Messiae. Lips. 1781.

2) Satis notum est, inter Iudaeos non admodum tritam fuisse notionem regni coelorum. Ab Ioanne eam maxime adhibitam puto. Etenim ut ille τὸν ὄντα ἐκ τῆς γῆς opponit τῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχομένῳ, quum Iudaeos de regno Messiano opiniones nimis terrenas fovere videret, verbo usus est, quod regnum adventurum tanquam regnum coeleste hominibus proponeret. Nomen autem malcuto tam tritum erat Syris, ut de regno loquentes de Rege cogitarent.

tempore, aevo futuro omnia ea impleta fore sperabant, quae in Prophetis legebantur hac formula introducta: באחרית הימים ימים באים et similibus, quo Paulus alludit Hebr. I, 1., quum scribat: ἐπ᾽ ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων. Eapropter, quia futurum exspectabatur regnum novum et nova creatio, antecessuram esse dicebant novam generationem, si quis in hoc regnum intrare voluerit. Quare Christus Nicodemo dicit, ne oculos quidem ipsi esse, quibus hoc regnum observare et de eo iudicare possit, nisi ἄνωθεν fuerit genitus, quam vocem Syrus interpretatur ܡܢ ܕܪܝܫ a principio, ab initio, denuo, iterum [1]) (von vorne), ita ut novum prorsus et aliud vitae principium et initium esse debeat, si quis huius regni civis inscribi velit. Puto Christum his ipsis verbis Syriacis usum esse, unde facilius etiam explicatur responsio Nicodemi. Docebant porro Iudaeorum magistri, fore ut adventum huius regni recreatio populi Israelitici antecederet per baptismum. Ea de causa Ioannes praedicavit: μετανοεῖτε. Lutherus, qui gravissimo erroris onere liberatum se vidit, postquam a Melanthone de vi vocis μετάνοια instructus est, eius formulae sententiam etiam magis perspexisset ex verbo Syriaco ܬܘܒܘ, revertimini. Nam id ipsum est, quod semper Prophetae clamaverant: „Animum vitamque alio dirigite, viam novam ingredimini, tergum date iis, quae usque ad hunc diem finem bonorum vobis proposuistis et advertite ad Deum fidemque praestate Domino [2]).“ Quo sensu etiam Paulus scribit: „Obliviscor, quae sunt de tergo et me ipsum protendo ad ea, quae a facie sunt;“ et alio loco: „Cogitate quae sunt in coelis.“ Patet porro, quid sibi velit formula, qua Pharisaeos Christus interrogat, Ioannis baptismus utrum ex coelo fuerit an ab hominibus. Quocum convenit, quod alio loco de Ioanne Iesus testatur, eum venisse ἐν ὁδῷ δικαιωσύνης; nam δικαιοσύνη

---

1) Vocem ἀναγεννᾷν etc. Syrus eodem modo reddit (ܡܢ ܕܪܝܫ). Fuit igitur solennis haec locutio. Ioannes eam ad verbum transtulit (ἄνωθεν); alii scripserunt παλιγγενεσία, ἀναγεννᾷν etc. Lightfootus putat, Christum dixisse מלעילא. Attulimus supra variam lectionem ܡܢ ܠܥܠ.

2) Cf. Luc. I, 16. 17. ἐπιστρέψει ἐπὶ κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν. Versio N. T. Hebraica ישיב, Peschito ܢܦܢܐ.

eum prorsus statum eamque Indolem significabat, quae regno Dei s. regno coelorum propria esset et competeret. Quare Christus instruxit populum, nisi *δικαιοσύνη αὐτῶν* melior esset Pharisaeis, non esse eos ingressuros in regnum coeleste. Neque fabula erat regnum illud coeleste; illud venturum praedicabat Ioannes, venisse laeto nuntio praedicarunt Apostoli. Ad regnum hoc coeleste resque divinas et invisibiles Evangelistae et Apostoli corda et animos dirigunt, ubi tradunt: Ex coelis nuntium esse allatum Mariae et pastoribus Bethlehemitanis; coelos diremtos esse [1]) et ex coelo vocem auditam, Iesum esse filium dilectum; in coelos ascendisse Iesum et ex coelo auditum esse sonitum magnum, quum Spiritus sit effusus. Christus se ipse appellat *τὸν ὄντα ἐν τῷ οὐρανῷ*. Illustratur etiam quid Petrus verbis innuat „*ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι*,“ quid Paulus formula benedictionum „*ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*“ et quae sunt id genus alia. Est autem duplex Regni divini adventus, primum in verbo [2]), deinde in maiestate, primum fidei deinde realis visionis et consummationis. Itaque adnuntiat Christus, „adstare quosdam, qui non prius mortem sint gustaturi, quam videant filium hominis venientem in regno suo“ (Matth. XVI, 28.), et alio loco: „Iterum non videbitis filium hominis, priusquam veniat in nubibus coeli [3]),“ et Apostolis promittit (c. XIX, 28.), quando

---

1) *Οὐρανοὶ σχιζόμενοι* apud Marcum. Bene Syrus: ܐܨܛܪܝܘ coeli scissi sunt et disrupti, ita ut fere parturientes et impetu maximo motuque proprio quasi diffissi sese effuderint super filium Dei dilectum, ut olim Iesaias exclamaverat: לוא־קרעת שמים ירדת et iterum הבט משמים וראה המון מעיך ורחמיך אלי התאפקו׃

2) Cf. formulae: *τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας* etc. Christus Pilato dicit, se ad id natum esse, ut veritati testimonium det. Et iterum dicit: „*Κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἰς μαρτύριον αὐτοῖς*“ et iterum: „*Ἔσεσθέ μοι μάρτυρες.*“ Ad vocem *μαρτύριον* cf. Hebr. עדות et Syr. ܣܗܕܘܬܐ, quo usus est in Genesi iam Labanus. Inter Orientales testimonium multo verius, excelsius, gravius est; primum rem aliquam certificat, deinde eius est pignus et quasi sacramentum, quod partem utramque obstringit; ad idem denique in iudicio quaestio redit ad refellendum et damnandum eum, qui illud neglexerit et violaverit.

3) Cf. *ἐν δυνάμει*, Marc. IX, 1. P. ܒܚܝܠܐ, cf. Hebr. יהוה בחזק יבוא et quae sunt similia.

consederit filius hominis in solio maiestatis suae, fore ut et ipsi considant in duodecim soliis, iudicantes duodecim tribus Israel. Optime Syrus reddit vocabulum σημεῖον, quod tum visum iri Christus annuntiat (Matth. XXIV, 30.); scribit enim ܢܺܝܫܳܐ (נֵס). Quam ad vocem si in mentem revocamus, quomodo in V. T. eadem usurpetur, dixit Christus in capite illo Matthaei vexatissimo, ipsam illam generationem esse experturam, quomodo divino nutu et divino regimine vires omnes et potentiae convocarentur ad exsequenda dira Iesu Christi verba adversus Hierosolyma prolata [1]).

Transeamus ad formulam alteram, cui multum lucis affertur ex Syriaco sermone. Adventum regni divini tum fore exspectabant Israelitae, simul atque Messias apparuerit. Iudaei ex multis quae in V. T. occurrunt Messiae nominibus, hanc potissimum denominationem (ܡܫܺܝܚܳܐ) elegerant, quia se ipsos utpote homines et carnales vera Spiritus unctione indigere animadverterunt [2]). Etsi enim per Mosen Lex data erat, tamen non inveniebatur inter homines, qui Legem expleret, quare exspectabant Virum a Deo missum, qui esset πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Christus ipse aliam Messiae denominationem recepit, et ipsam in V. T. obviam, sed cuius notio vix a Iudaeis intelligebatur. Appellavit se vulgo τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου Syr. ܒܪܗ ܕܐܢܫܐ. Constat inter Syros nil esse vulgarius, nil tam tritum et commune quam vox ܒܪܢܫܐ. Iam vocabulum simplex ܐܢܫ significat quemlibet hominem tanquam mortalem (ullus, aliquis, quispiam); ܟܠ ܐܢܫ simile quid innuit atque Franco-Gallorum tout le monde; vox composita ܒܪܢܫܐ humanam naturam tanquam fragilem, imbecillam, nulla dignitate amictam vel distinctam, praecipui nihil prae se ferentem exprimit, quare loco Pauli: homo noster vetus crucifixus est, legitur apud Syrum ܒܪܢܫܢ. Rom. XII, 18. scribitur ܟܠ ܒܪܢܫ sensu hominis qua-

---

1) Observatione dignum, quod Iosephus narrat, ante diruta Hierosolyma multas fuisse visiones in coelo.

2) ܡܫܘܚܬܐ mensura, metrum, modus; statura; dignitas. Messias Syr. is, qui unctus et is, qui mensuratus est.

liscunque, cuiuslibet generis [1]. Ipse Adam I. Cor. XV. ὁ πρῶτος ἄνθρωπος in versione nostra dicitur ܒܪܢܫܐ unde certissimum est, naturam humanam hac voce indicari. Pilati verba Ioa. XIX, 6. ἰδοὺ ὁ ἄνθρωπος ab interprete nostro redduntur ܗܐ ܓܒܪܐ sed multo rectius in versione Philoxeniana ܗܐ ܗܘ ܒܪܢܫܐ. Simili modo David exclamat Ps. VIII: Quis tandem est homo, quis filius hominis? Est autem observatu dignum, quod apud Ezechielem saepissime formula legitur בן אדם et deinde in Daniele Messias depingitur aspectu similis filio hominis: uterque enim Aramaeo idiomati proximus. Quare mirabantur Iudaei, quid sibi vellet Christus denominatione illa, quis esset iste filius hominis [2]? Nam omnino nullam hoc nomen prae se ferebat distinctionem, exclusit potentiam omnem et maiestatem, nihil expressit, quod placuisset et quo attendissent homines. Sed id ipsum est, quod Paulus scripsit, se exinanisse Iesum et esse repertum ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπου, forma servi assumta. Quod filium hominis se appellavit Christus, eo testatus est se eorum fratrem, qui esse se homines meminerint et humani nihil a se alienum putent. Ingressus ille in mundum, eundem locum partitus est cum animalibus brutis atque ex mundo rediturus ad Patrem, unde venerat, cum sceleratis numeratus est. Etenim in mundum non venerat, ut superbiret, sed ut personam hominis indueret, ut loco hominis et in omnibus similis hominibus, excepto peccato, ignominiam tolleret, quae nomini „Hominis“ inusta erat [3] coram Deo et Angelis, ut expleret, quae explenda et praestanda erant homini atque in se ipso eriperet ex morte et pec-

---

1) Discrimen inter ܐܢܫܐ et ܒܪ ܐ̱ܢܫܐ observes ex. c. loco Matth. XII, 12.

2) Dan. VII. בר אנש. In versione et Simplici et Philoxeniana locutio ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου de Christo dicta ubique redditur ܒܪܗ ܕܐ̱ܢܫܐ (item ܒܪܗ ܕܓܒܪܐ).

3) In linguis omnibus quae humana, eadem sunt terrestria, fragilia, errori et peccato obnoxia. Nostris temporibus relictum erat, Deos et homines confundere, coelum et terram miscere. Rom. VII, 24. ܕܘܝ ܐܢܐ ܒܪܢܫܐ. ܡܢܘ ܢܦܨܝܢܝ ܡܢ ܦܓܪܐ ܗܢܐ ܕܡܘܬܐ.

cato eos, qui totam per vitam morti obnoxii erant. Ea de causa libuit ei se appellare filium hominis [1]).

Sed haec sufficiant ad demonstrandum, quot et quanta subsidia afferat cum lingua Syriaca tum ipsa N. T. versio nostra ad intelligendam et explicandam veram notionem earum locutionum, quae universae N. T. dictionis quasi rudimenta et fundamenta appareant. Etenim nescio, quo tandem aberrarem et quos denique mihi fines constituerem, omnia si amplecti vellem, quae ex Syriaco simul et Hebraeo idiomate proferre liceat ad illustrandas Evangelistarum et Apostolorum sententias. Pauca tantummodo subnectamus exempla, quibus pateat, phrases et voces N. T. plurimas felicius et simplicius non posse illustrari quam ex analogia sermonis Syriaci.

Difficillima est phrasis Matthaei c. XXVIII, 1.: *ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων*, in qua explicanda vario modo desudarunt interpretes. Recte ni fallor I. D. Michaelis et Adlerus in auxilium vocarunt locutionem Syris usitatissimam. Solent enim Syri a vespera diem auspicantes primam diei partem noctem diei sequentis affulgentem dicere. Prorsus plana sunt Matthaei verba in vers. Simplici: ܒܪܡܫܐ ܕܝܢ ܒܫܒܬܐ ܕܢܓܗ ܚܕ ܒܫܒܐ vespere sabbati, quum illuscesceret dies prima septidui. In vers. Philox. pro ܕܢܓܗ legitur ܢܗܪ, quod vocabulum Michaelis probavit apud Syros de diluculo dici, ex. c. apud Bar-Hebr. ܒܠܠܝܐ ܕܬܪܝܢ ܒܫܒܐ ܕܢܗܪ ܠܨܦܪܐ ܕܨܘܡܐ ܪܒܐ nocte feriae secundae, quae (s. quo tempore) in diluculum sollennis diei ieiunii illucescebat [2]). Sed errat Michaelis in eo,

---

1) Non huius loci est, cum iis disputare, qui formulam modo dictam prorsus aliter explicant. Id tantum viros illos rogaverim, probentne regulam hanc hermeneutices sacrae, ut N. T. locutiones ex illo idiomate explicentur, quod tunc temporis in Palaestina vulgatum erat. Sunt sane, qui ex Platone vel nostri temporis philosophia malint Christi et Apostolorum sententias illustrare.

2) Optime Adlerus monet, Epiphanium uti eadem voce eodem sensu quo Matthaeum in expos. fid. cathol. (ed. Petavii I. p. 1105.) *ἔν τισι δὲ τόποις τὴν (νύκτα) μετὰ τὴν πέμπτην ἀγρυπνοῦσιν ἐπιφωσκοῦσαν εἰς τὸ προσάββατον.* Etiam in sermonem Latinum haec locutio transiit. In epigrammate a. 364. apud Blanchinum legitur: puer natus . . . hora noctis

quod verbo ܢܗܪ notionem primariam vindicat „aperiendi, incipiendi“ atque vers. Simplicis auctorem vituperat, qui ܢܓܗ posuisset pro ܢܗܪ [1]). Verbum ܢܓܗ tam usitatum est Syris de nocte, ut Luc. VI, 12. Gr. *διανυκτερεύων* vertatur: ܐܢܓܗ ܗܘܐ. Idem vocabulum habes in Lectionariis; ex. c. ep. Pauli ad Philippenses sub finem notatur, hanc esse lectionem ܕܢܓܗ ܕܐܪܒܥܐ ܕܚܡܫܐ, ubi carschunice: ܡܣܐ ܠܠܚܡܝܣ (مسا), quod verbum postremam partem diei significat s. tempus a precibus vespertinis incipiens. Eadem phrasis occurrit in hist. Ioannis episcopi Asiae (Assem. II. p. 89.) „anno 879. Ian. IV. illucescente feria VI. post mediam noctem terrae motu urbs regia quassata est.“ Item Assem. IV. p. III.: ܒܠܠܝܐ ܕܢܓܗ ܠܚܕ ܒܫܒܐ. Neque aliter Ioa. XIX, 31.: Iudaei, quia *παρασκευή* erat, dicebant: ne corpora maneant in cruce ܡܛܠ ܕܫܒܬܐ ܢܓܗܐ. Ergo hanc Matthaei sententiam esse discimus [2]). *Ὀψὲ τῶν σαββάτων* i. e. quum sabbatum diu satis durasset et properaret ad finem: *τῇ ἐπιφωσκούσῃ* ea hora s. ea nocte, qua illucescere coepit *εἰς μίαν τῶν σαββάτων* in primam sabbatorum diem i. e. in diem dominicam iamiam exorituram etc. [3]). His autem verbis Matthaeum altius

---

IV. quae inluxit VIII Idus; aeque in epitaphio S. Caesariae (a. 587.): obiit . . medium noctis, die dominica inlucescente. Luc. XXIII, 54. *καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.*

1) Philox. habet ܢܗܪ sed Hieros. ܢܓܗ ut Simpl.

2) Solitum est Hebraeis, noctem et diem componere, ut horarum XXIV spatium significent. Diem auspicantur aut a crepusculo aut a diluculo. נגה praecipue adhibetur de lunae et stellarum splendore et satis constat, in Oriente noctes multo lucidiores esse. Quare idem verbum dicitur tum de tota nocte tum speciatim de diluculo (Ferrarius), quando lux diei appropinquat. Nox Orientalibus est vespera, quae diem exspectat et antecedit. Ubi in Graeco legitur: *ὀψίας δὲ γενομένης* Syrus scribit (Matth. XIV, 23.): quum ortae sint tenebrae. Quid valeant Orientalibus: lux et tenebrae, omnibus notissimum.

3) Chaldaice vertenda esse putat verba nostra Kaiserus hoc modo: ברמשא דשבתא די מצפר הוה לחדא דשבתא (Comment., qua linguae Aram. usus ad indicanda et interpret. Evangg. defenditur Erlangae 1823.) Targ. Esth. II, 9. בחד דשבתא.

quoddam et magnificentius inculcasse; satis apparet ex locis Evangeliorum parallelis, Marci *διαγενομένου τοῦ σαββάτου*, Lucae *ὄρθρου βάθεος*, Ioannis *τῇ δὲ μίᾳ τῶν σαββάτων, πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης*. Praeteriit nox et nocturnus sabbatorum splendor; novus novae aerae dies illuxit; eo ipso momento, quod inter utrumque erat medium, sepulcri lapis devolutus est [1]).

Multum lucis accipit etiam vox *σκηνόω*, in N. T. quinquies obvia. In loco illo nobilissimo, Io. I, 14. *ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν* versio nostra vocabulo utitur ܐܓܢ, quod exprimit plane et illustrat vocabulum Graecum. Nam significat: habitavit, pp. autem obtexit, protexit, obumbravit, descendit, s. supervenire et descendere fecit. Cui hic non in mentem veniant loci V. T. plurimi: Deus obteget super vos; Deus me recondit in tabernaculi sui tentorio; in medio vestro Deus habitaculum sumet, obumbrabit super vos ut in nube, illucescet super vos et in coetum nostrum se demittet etc. Ut גנן (Ies. XXXIV, 5.; Zach. IX, 15.) construitur cum אל et על, ita *σκηνόω* in Apocalypsi VII, 15. *σκηνώσει ἐπ᾽ αὐτούς*. (Animadvertas, quod nonnisi in Evangelio Ioannis et Apocalypsi *σκηνόω* occurrit). Aquila, Symmachus, Theodotion idem verbum posuerunt Ex. XXV, 5.: ועשׂו לִי מקדשׁ ושׁכנתי בתוכם et Ex. XXIV, 16. וישׁכן כבוד יהוה על הר סיני ויכס הענן את ההר. Ne dubitemus de vera significatione vocis *σκηνοῦν*, accedit locus II. Cor. XII, 9. *ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ᾽ ἐμὲ ἡ δύναμις Χριστοῦ*, ubi Syrus: ܕܬܓܢ ܥܠܝ ܚܝܠܗ ܕܡܫܝܚܐ. Ergo *σκηνόω* non est nude: habitare, neque multum quaerendum, quomodo cum *ἐπί* construi possit, sed est: tentorium facere, tentorii instar super aliquem obtegere, quasi descendere atque ita in medio hominum, cum et super aliquo habitare. ܐܓܢ dicitur etiam de spiritu, qui descendit et acquiescit super aliquo. Cf. Luc. I, 35. *ἐπισκιάσει σοι*.

In parabolis diabolus saepenumero dicitur *ὁ ἐχθρός*. Conferas Syriacum ܒܥܠ ܕܒܒܐ. דִּבָּה (دبّ irrepsit, leniter, molliter incessit) est pp. reptatio, clandestina obtrectatio, unde proverbium Arabicum دبت العقارب reptant scorpiones eius i. e.

---

1) Sach. XIV, 7. והיה יום אחד הוא יודע ליהוה לא יום ולא לילה והיה לעת ערב יהיה אור׃

calumniae et obtrectationes. Ille igitur proprie innuitur, qui lente incedens, murmurans, submisse et molliter loquens clanculum obtrectat et nocet, qui serpentis instar affert venenum. Notissima est vox ܐܟܠ ܩܪ̈ܨܐ, quae respondet Graeco *διάβολος*. קרץ est pp. labia et palpebras scindere et diducere ad contemtum et subsannandum, ergo ܐܟܠ ܩܪ̈ܨܐ, qui id sibi negotium sumsit, inde vitam quasi, nutrimentum et delectationem quaerit, qui in eo totus est occupatus, ut in contemtum et subsannationem alios deducat. Bene in Targum legitur hoc vocabulum, ubi in Hebraeo scriptum לא תלך רכיל, Lev. XV. et Ps. XV: לא רגל על לשנו. Prov. XI, 13. eadem locutio הלך ברכיל in versione LXXvirali redditur per *διάβολος*. Plane ex propria notione verbum Syriacum redditur ab Ioanne in Apoc. XII, 10. *ὁ κατήγωρ* (vid. varr. lectt.) *τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν*. Etenim *κατηγορέω* (Matth. XII, 10.) est Syr. ܐܟܠ ܩܪ̈ܨܐ.

Sed freno me cohibeam necesse est, ne terminos huic libro positos transgrediar. Maxime in Evangeliis ad idioma Aramaeum res plurimae revocandae sunt. Locutiones *ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ* et similes sunt translationes Syriaci ܒܗ̇ ܫܥܬܐ. ܒܗܘ ܙܒܢܐ etc. Allocutiones cohortantis *ἄγε*, *ἄγωμεν*, *πορεύου καὶ σὺ ποιεῖ ὁμοίως* (Luc. X, 37.) Syriacum aliquod redolent, cf. ܬܐ Gen. XXXI, 14.; Io. XI, 7. Item Imperativi *ἔα* (Luc. IV, 34.; Marc. I, 24.), *ἄφες* (Matth. XXVII, 29.) ut Syriacum ܫܒܘܩ. *Ὁρᾶτε καὶ προσέχετε* — *ἔρχεται καὶ αἴρει* — *φιλεῖν* cum Infin. (ܪܚܡܝܢ Ies. LVI, 10.; Ier. XIV, 10.) — *πορεύου εἰς εἰρήνην* — *ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης* — *γέμειν ἐξ ἁρπαγῆς* — *ἀθῷος ἀπό* — *ἐν τίνι ἁλισθήσεται* (*ἐν* fere i. q. *διά*), haec omnia Syriaca. *Ἔνοχος εἰς τὴν γέενναν* recte Fritzchius usque ad, Syr. ܚܝܒ ܠܓܗܢܐ. Matth. XVIII, 12. *ἕως ἑβδομηκόντακις ἑπτὰ* ܠܫܒܥܝܢ ܙܒܢܝܢ ܫܒܥ ܫܒܥ (cf. Gen. IV, 24. Targ. Gen. XXI, 32.). Item Marc. I, 4. *ἐγένετο βαπτίζων*; VI, 2. *καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται*; IX, 12. *καὶ πῶς γέγραπται* ܐܝܟܢܐ ܕܟܬܝܒ etc. etc. Matth. XVI, 22. *ἵλεώς σοι κύριε* verba, quae ad Christum dirigit Petrus, explicantur ex Syriaco ܚܘܣ ܠܟ ܡܪܝ; haec enim phrasis est Syrorum usitatissima: „Absit, par-

cas tibi" (behüte, Gott behüte). Cf. Act. X, 14. pro μηδαμῶς κύριε; Gal. II, 17. μὴ γένοιτο; Rom. II, 4. 6. 31. etc. Gen. XVIII, 25.; Ios. XXII, 29.; in Chrestomathia I. D. Michaelis pag. 33. ܚܠܝܠܐ ܠܟ ܚܣ etc. Nic. Fuller Misc. II, 2. Arab. حاشى Rabb. חס. חס ושלום. Locutio ἄνθρωπος ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης respondet Syriaco ܐܢܫ ܕܫܡܗ (Uhlemann, Syr. Grammatik. pag. 154.); ad Matth. XXIV, 21.: ἔσται θλῖψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν cf. Bar-Hebraeum pag. 190. ܠܐ ܗܘܐ . . . ܐܝܟ ܐܝܠܝܢ ܕܥܠܡܐ ܗܘܝ et similia. Locutio ἐν ὀνόματι plane est Syriaca (Buxt. Lex. s. v. שם). Marc. IX, 41. ἐν ὀνόματι ὅτι Χριστοῦ ἐστέ; item Matthaeus: qui prophetam recipit in nomine prophetae, i. e. ea ratione habita quod propheta est. Ita in formula baptismi: baptizo vos εἰς τὸ ὄνομα . . . . i. e. in hanc legem et rationem vos plane trado et totos vos tales, quales estis immergo, ut ex plena auctoritate sua omnique vi sua et ea quae inest ratione apud vos valeat, vos in se susceperit, laverit, alluerit, consperserit Nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Sunt alia multa, quae hic memorari possint. Quaedam proposita sunt ab Hartmanno (Linguist. Einleitung pag. 383.): — vocabula, quorum notio ex Aramaismo sumta: ὀφείλημα, ὥρα, λέγειν (iubere), δέχεσθαι (in mentem et animum recipere = קַבֵּל), εἷς (primus; aliquis) etc.; Participia cum Verbo εἶναι; Nominativi absoluti in sententiae exordio; verba multa cum υἱός, τέκνα composita; phrases Syriacae ἅπαξ καὶ δίς, τιθέναι μέρος τινὸς μετά τινος; usus Praepositionum a Graecitate alienus; pleonasmus Pronominis αὐτός etc. etc. De Matthaeo praecipue recte monet Adlerus: „Nec modo in singulis verbis ac phrasibus hanc cum Syriacis conformitatem animadvertimus, sed etiam universam formam orationis ita esse Syriacam, ut ad verbum ex ea vel Aramaea versum videri possit Evangelium Matthaei." Stilus plane convenit cum libris Syriacis. Exempli causa oratio montana neque ad V. T. stilum propheticum accedit neque ad similitudinem Graecorum. Si autem Ephraemum conferas in tractatibus de Psalmo aliisve rebus (licet ille iam declinarit ad rhetoricam Graecam), simile cognosces orationis genus. Sententiae parallelae, quae fere proverbia dici possint, cumulantur, et facilis est transitus ad res alias; exempla et imagines ex vita vulgari

afferuntur; inseruntur adhortationes; ratio sermonis omnino plana tamen rhetoricum quoddam et poeticum sonat. Atque id ipsum est, quod in sermone Apostolico omnino observari potest. Ii quidem errarunt, qui quum Hebraismos N. T. nimis urgerent, ad genus litterarum rude ac fere barbarum detrusisse sibi videbantur orationem biblicam. Quare Raphelius, Albertius, Elsnerus, Kypkius laudandi sunt, viri magni nominis et in scriptoribus Graecis exercitatissimi, quod locos parallelos undique attulerunt, quibus phrases et verba biblica probantur utpote minime a Graecismo aliena et abhorrentia [1]). Utique ea est Graecarum litterarum copia, ea facultas, ut quodlibet fere dicendi genus inter Graecos excultum sit; verborum locutionumque varietas, facilitas et multitudo quanta apud illos reperitur, plenum quasi et perfectum linguae orationisque humanae thesaurum complectitur. Sed multum diversa est dictio Homeri a Demosthene, atque caveant illi, qui orationis Graecae virtutes nimis urgent in posterioris aevi scriptoribus, ne patres litterarum Graecarum vituperaverint. Cuique id exploratum esse puto, anologiam multam esse dictionis biblicae cum Homero, atque maxime ex poetis promti sunt loci paralleli ad locutiones biblicas illustrandas. Cuius rei causa in conspicuo est. Proprium enim est sermoni Orientali, ut magis ad vivum exprimat omnia, ut actiones vitae quasi depingat, ut in simplicitate orationis gaudeat poetica dictione. In verbis fere omnibus latent imagines et metaphorae; in sententiis analogiae et adagia. Evangelistas eiusmodi locutiones quis tandem puta-

---

1) Cf. Winer Grammatik pag. 19. sqq., ubi rectissimum hac de re iudicium fertur. — Maxime ad Syntaxin pertinent, quae idiomati N. T. propria sunt. Qui linguae Syriacae assuetus est, in iis, quae apud scriptores sacros a Graecitate vulgari discedunt, plerumque idioma Syriacum agnoscet. Nam in usu Pronominum, Coniunctionum, Praepositionum logica Syrorum simplicior est quam Graecorum; rationes, secundum quas sententiae tum oriuntur et formantur in animo, tum in oratione inter se nectuntur, multo differunt apud homines, qui res ipsas intuentur et apud illos, qui ex arte quadam cogitandi et dicendi omnia componere solent. Ea de causa idioma Scripturae propius accedit ad sermonem popularem (Volkssprache), atque prae ceteris Lutherus idoneus erat ad interpretandum. — Syntaxis Syriaca etiam post Hoffmanni et Agrellii curas satis nondum exculta est. Cf. Satzlehre in Ewaldi grammatica Hebraea. — In N. T. epistolis structurae sententiarum discrimen magnum est apud Paulum, Ioannem, Petrum, Iacobum.

verit ex scriptoribus Graecis sumsisse, quae apud Graecos rariores et poeticae sint [1]), vulgares vero et usitatissimae apud Hebraeos et Syros. Sermo antiquior et simplicior solet etiam sensus naturales et corporales, ut ita dicam, ubique exprimere et artem non tam in loquendo ponere, quam naturae ipsius artem intueri et depingere. Accedit quod Orientales magis sub divo et ipsa cum natura vitam degunt; vespere fessi et lassi nimio illius plagae ardore, sedentes sive accumbentes colloqui solent. Id quod non potest vim aliquam non exserere in genus dicendi. Exemplis illustrabimus sententiam nostram.

Homerus eodem verbo utitur ad hominum et animalium actus describendos; ita in N. T. *χορτάζειν*, *ψωμίζειν* dicitur ut de animalibus ita etiam de hominibus. Apud Homerum frequentissimae sunt phrases *ἐν φρεσὶ θέσθαι* (שׂים על לבב) et similes; actiones animae describuntur ad similitudinem corporalium. Ita in N. T. spirituales necessitudines simili modo describuntur sub imagine τοῦ *πεινᾶν* et *διψᾶν*, quo pertinent ipsa sacramentorum elementa et tropi. Nam is qui revera esuriat et sitiat iustitiae causa, percipiet quid sit Christi carnem edere et Christi sanguinem bibere; qui sordibus peccati plane se defoedatum videt a capite ad plantam pedis usque, is de lavacro et balneo sibi gratulabitur. Huc referendae sunt phrases plurimae: *ἀνοίγειν τὸ στόμα, τοὺς ὀφθαλμούς*, *ἐνωτίζεσθαι*, *τιθέναι εἰς τὰ ὦτα*, *στηρίζειν τὸ πρόσωπον* etc., quae omnes sensus et actus tanquam corporales exprimunt. Simili modo *σπλάγχνα* et *σπλαγχνίζεσθαι*, *πρόσωπον λαμβάνειν*; Paulus scribit *ἐπλατύνθη ἡ καρδία* (רחב), ut ex LXX

---

1) Ex. causa apud Platonem legitur semel: *οὐ χαμαὶ πεσεῖται ὅτι ἂν εἴποις*. Graecis haec phrasis insolita est, Hebraeis vulgaris. Potest autem locus Platonis argumento esse, a mente humana et optimo genere dicendi minime alienam esse hanc sententiam. Si quis accuratius inspexerit naturam et indolem locutionum Hebraearum, eam veritatem inveniet simulque imaginis elegantiam tantam, ut merito hoc dictionis genus inter studia, quae humaniora dicuntur, referatur. Quis non miratus sit, ubique sententias parallelas ex scriptoribus Graecorum et Romanorum optimis afferi posse ad illustrandam dictionem biblicam. Nam id proprium est scenae et carminibus, ut veritatem rerum humanarum tanquam imagine depingant, quam vulgo homines mutuo commercio detegere et obvelare solent, ita ut gentium ingenia summa, ut theatrum et encomium testimonia praebeant veritati, quam norunt quidem omnes, sed non omnes sequuntur.

Matth. ἐπαχύνθη ἡ καρδία αὐτῶν, τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐκάμμυσαν. Eadem simplicitas est locutionum: ἄρτον φαγεῖν, ποτήριον πίνειν, θάνατον ἰδεῖν [1]), αἷμα ἐκχέειν, ζητεῖν ψυχήν, εὑρίσκειν χάριν, ποιεῖν ἔλεος, εἰςέρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον. Vitae ratio describitur sub imagine viae: venit Ioannes ἐν ὁδῷ δικαιωσύνης; doctrina ipsa ὁδὸς dicitur, quocum conveniunt locutiones: καρδία εὐθεῖα, περιπατεῖν, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, διώκειν δικαιοσύνην, πορεύεσθαι ὀπίσω τινός, ἀπέρχεσθαι εἰς τὰ ὀπίσω, similes. Addas etiam: ἐνδύσασθαι Χριστόν, φυλάσσειν νόμον etc. Gubernatio depingitur tanquam ποιμαίνειν, θεμέλιον τιθέναι, ὑπηρετεῖν, οἰκοδομεῖν. Poeticum quoddam orationis genus etiam in eo conspicitur [2]), quod res multae vitae vulgaris, quarum significationes usu tritissimae colorem et distinctionem fere omnem amittere solent, sub imagine quadam vel ex attributis suis appellantur, ut ξηρά, χεῖλος (de litore), πέρατα τῆς γῆς, ἄνεμοι τέσσαρες, σπέρμα, καρπὸς ὀσφυος, καρπὸς χείλεων, γέννημα τοῦ ἀμπελοῦ etc. Usitatissimus est usus vocis υἱός, τέκνα ad hominum indolem et naturam describendam; Ioannes baptista acerbius increpans exclamat: γεννήματα ἐχιδνῶν. Quae omnia Orientalium consuetudinem redolent [3]). Phrases: ἐν χειρὶ s. ἐν δακτύλῳ θεοῦ, ἐν χειρὶ μεσίτου, ἐν

---

1) Phrases: gustare mortem, πιεῖν τὸ ποτήριον et similes plane sunt orientales. Ephr. in Comm. in Gen. Lamechum dicentem inducit: ebibendo mortis poculo effugiamus periculum imminens.

2) Cordatus quisque homo cognoscit, in proverbiis vulgi medullam rationis et in carminibus vulgi poesiu summam inesse, quam arte et ingenio nemo assequi et imitari potest. Sed ne quis putet simplicitatem formae per se ipsam id efficere; potius ubi ratio innata, sana et sincera, ubi gustus saporque animae genuinus in forma simplicissima tanquam velamine tenerrimo copiam vitae uberrimam effundit, tum fortitudo et pulchritudo membrorum conspicitur.

3) Si quis me somniare putet, quod haec Syrorum sermonis esse propria dico, conferat vel solas locutiones eas, quas C. B. Michaelis ex N. T. proposuit, (Syriasmus pag. 141.): in honore aliquem tenere; comedere iurgia i. e. accusare; premit aliquem negotium, res i. e. necessum habet; ante se venire i. e. proficere; in manus alicuius venire i. e. in potestatem eius; veniunt lacrymae i. e. lacrymari; cor alicui male affectum est i. q. aegre ferre; vacavit ipsi super aliquo i. e. curam gerere; facies retecta est i. e. fiduciam habeo; foris fieri i. e. expelli; spiritus alicui curtatus est i. q. tristitia est affectus; in corde plenum facere, explere i. q. consolari; spiritum protahere i. q. longanimem esse; ad caput ascen-

ἐν ὀνόματι plane sunt Syriacae. Etiam γλώσσῃ et γλώσσαις λαλεῖν huc transferendum est atque magnopere errasse puto, qui dictionem hanc ex Graecorum scholiastis explicare velint; nam γλώσσῃ linguam significat (I. Cor. XIV, 9. 10.). Sunt et alia multa verba, quae lucem accipiant ex collatione vocabuli Syriaci et Hebraei. Πορεύου εἰς εἰρήνην respicit ad salutandi formulam Oriental. vulgarem. Evangelizare est Syr. ܣܒܪ. Σωτηρία redditur nonnunquam ܦܘܪܩܢܐ; σώζεσθαι ܚܝܐ (cf. ܟܘܪܗܢܐ ܡܢ ܚܝܐ reconvalescere ex morbo Dan. V, 19.); σωτήρ ܡܚܝܢܐ, ad quam vocem conferas Ioannis formulas: ζωὴν διδόναι et similes. Vox παραμύθιον respondet Hebr. דברו על לב; ad φανερὸν ποιεῖν cf. ܓܠܐ, καταλλάσσεσθαι, ܐܬܪܥܝ gratos se facere sibi invicem (Ies. XL. נרצה עון); vox εὐλογεῖν plane induit notionem Syr. ܒܪܟ; ἐναγκαλίζεσθαι phrasin Syriacam exprimit; „manus alicui imponere" Syriacum aliquod sonat, ut in malam quoque partem legitur in Peschito Act. IV, 21. non invenerunt causam, quam ponerent in capite illorum. Notio vocabuli τετέλεσται multo fit plenior, ditior, fortior, si delegas ad Syriacum ܡܫܠܡܘ (Ioa. XIX, 30.) perfectum, absolutum, consummatum est; ad integrum revocatum, ad plenitudinem perductum; ventum est ad pacem. Δεόμεθα II. Cor. V, 20. illustratur ex Syriasmo, ubi saepius ܒܥܐ pro παρακαλεῖν, hortari. Αἰών et κόσμος notionem attrahunt Syr. ܥܠܡܐ; ex Syriaco explicanda sunt σκεῦος ἀσθενέστερον I. Petr. III, 25.; I. Thess. IV, 4.; σκῆνος apud Paulum II. Cor. V.; voces ἐκτενής Act. XII, 5., προςκαρτεροῦντες Act. II, 46., πυκνός I. Timoth. V, 23., constantiae adiunctam habentes notionem assiduitatis ex ratione Semitarum: Marc. III, 7. ἐπιπίπτειν,

---

dere facere i. e. ad bonum exitum perducere; spiritum excedere facit i. e. se defendit; in capite ponere i. e. supplicium sumere ex aliquo; in corde ponere i. e. apud se constituere; transit super vinum i. e. vinosus est; intravit in annos, i. e. provectus est aetate; ad protectionem alicuius provocare i. q. appellare; succiditur spiritus i. q. segnescere; pone aliquem incedere i. e. sequi; post aliquem mittere i. q. accersere. — Haud inepte Arias Montanus in Appendice Bibl. Polygl. phrases et locutiones Scripturae vulgares congessit, ex quarum collatione idem probari reperies, quod supra exposuimus.

ܠܒܗ ܠܗ, Marc. III, 21. ἐξέστη, Io. I, 16. χάριν ἀντὶ χάριτος (ܚܠܦ).

Maxime quidem id conspicitur in Evangeliis, quae Christum talem nobis depingunt, oculis proponunt, animis imprimunt, qualis in mundo obambulaverat. Etenim non fuerat ille vir scholae et eruditionis sed vitae et plebis, atque qui in rebus divinis plebeii erant et infantes, eos erudire voluit oratione tali, quae facilis, perspicua et plane humana erat, a rebus humanis et naturalibus verba sumens, quibus invisibilia et aeterna quasi cum lacte instillaret. Et quis quaeso est, quin voces coelestes, tonitrua simul et aurae flatum tenerrimum percipere sibi videatur in tam simplicis orationis velamine? Quae tamen simplicitas tantum abest ut arte careat, ut Paulus praecipue, linguarum peritissimus, et Lucas verbum haud raro forment vel consulto eligant, quod simplicissimam et verissimam rei notionem exprimat [1]) vel quod ad instituta et verba V. T. propius accedat. Quis non videt, ritus omnes legis Mosaicae, tentorium et templum, res pontificales et civiles Hebraeorum redire iis in vocabulis, quibus utuntur Apostoli ad Christi opus salvificum et statum gradusque ecclesiae describendos, de quibus longum est multa disserere. Quare optimi semper interpretes statuerunt, in sententiis et dictione N. T. rite illustranda redeundum esse ad V. T. libros, ad quos Christum, Evangelistas et Apostolos ubique et in omnibus respexisse luce clarius est, ita ut nemo sententiae apostolicae rationem, formam, scopum et finem recte perspicere possit, nisi eadem cum Apostolis iudicandi loquendique via ingrediatur, nisi una cum Christo et Apostolis ad V. T. dicta respiciat, quae omnia consummanda, implenda et ad vitam veritatemque perducenda erant. Itaque ubi de stilo N. T. quaeritur, rectissime puto Boeclerum (diss. de lingua N. T. originali) dixisse, quaestionem non agi, num phrases et verba, quae in N. T. occurrant, e Scriptorum profanorum monumentis possint erui, sed an tota dictionis indoles faciesque stili totumque

---

1) Cf. vocabula multa composita: ἔκτρωμα, ἀποκαραδοκία, ἐπερώτημα, σιτιστά, περίλυπος, ἀπογενόμενοι, ἐνόντα, ἐκμυκτηρίζειν, ὑπωπιάζειν, μετεωρίζεσθαι, καπηλεύειν, ἀνακεφαλαιώσασθαι, καταβραβεύειν, παραδειγματίζειν, ὀλιγόπιστος etc. etc.

orationis corpus conveniat cum ea Graecitate, quae in profanis scriptoribus occurrit. Ne vero metuamus ab eorum conviciis, qui impuritatis notam litteris Divinis inuri putant, si stilus N. T. mere Graecus esse negetur [1]). Sane si pro barbarismis essent omnia habenda, quidquid a Graeci sermonis consuetudine alienum est, si scriptores Graeci soli essent tanquam norma dictionis sequendi, si ea sola humana, polita, eleganter et bene scripta habentur, quae apud Graecos reperiuntur, pudore suffundi nobis videmur, quod a barbara gente, in barbaro Hebraeorum sermone, semibarbaro N. T. stilo fidei nostrae historiam et doctrinam traditam accepimus. Sed etiam tum iis, qui Graecos solos laudandos esse putent, ex Graecis scriptoribus probari potest, locutiones Apostolorum neque a Graeco ingenio alienas esse, reperiri potius easdem apud optimae notae scriptores, neque linguae grammaticaeque Graecae leges violatas esse ab Apostolis. Tamen dictionis suae colorem non tam ex Graecis scriptoribus sumserunt auctores sacri, quam ex V. T. et linguis Orientalibus. Atque qui primo oculorum obtutu barbarismi et soloecismi videntur, si originem causasque interiores investigaveris, insitas habent scintillas quasdam veritatis et elegantiae et accuratissimam rerum competentiam, porro imagines, tropos et rhythmos sequuntur, qui splendida orationis ornamenta merito dicuntur. Subsidia igitur ad N. T. interpretationem habemus certissima: V. T. textum Hebraeum, versionem Alexandrinam, porro Targumistas [2]) et versionem Syriacam. Observetur igitur in

---

1) Lactantius, inst. div. V. c. I.: „Haec imprimis causa est, cur apud sapientes et doctos et principes huius saeculi Scriptura S. fide careat, quod Prophetae simplici ac communi sermone ut ad populum sint locuti.“ Et paulo infra: „Nemo rem veritate ponderat sed ornatu. Non credunt ergo divinis quia fuco carent.“ — Philo interpretes LXX excogitasse dicit *συντρέχοντα τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα*, quibus *ἐμφατικῶς* vim Hebr. vocum exprimerent. Stilum idioticum describit Aristoteles *περὶ ποιητ.* c. II. utpote qui *ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων* ac verbis usu communi tritis constet. Dionysius Halicarn. *περὶ τοῦ Δημοσθενοῦς δεινότητος* agit etiam de characteris Lysiaci simplicitate, qui *τὰ κοινὰ καὶ ἐν μέσῳ κείμενα ὀνόματα τήν τε σύνθεσιν τὴν ἰδιώτην* secutus sit. Simplicitas sermonis biblici a Boeclero definitur: conspicua sinceritas, innata minimeque affectata vis et admirabilis competentia.

1) Scripsit Theod. Hackspanius de usu script. Iud. in expl. librorum N. T. — Lightfootus et Schoettgenius quam multa attulerunt ad il-

interpretatione N. T. linguae Graecae lex et regula ea via, quam Winerus sua, qua solet, subtilitate praeivit; removeantur conatus omnes, quibus vis et notio particularum, praepositionum, verborum confunduntur, variantur, debilitantur; afferantur loca parallela ex optimis Graecorum scriptoribus — sed agnoscatur dictionis color Orientalis, Aramaeus [1]).

Affert etiam multum utilitatis versio Syriaca ad singuli cuiusque scriptoris dictionem singularem cognoscendam. In Matthaeo tanta est textus Graeci cum Syro convenientia, ut fere nihil mutandum sit et verbum de verbo reddere possis, si Matthaeum Syriace loquentem facere velis. Etenim ut omnino observatum est, versionem librorum N. T. maxime Evangeliorum facillime fieri in linguam Orientalem, et vocabulis, quibus Apostoli usi sunt, respondere ubique vocabula textus Hebraei et versionis Alexandrinae, haec inquam N. T. convenientia cum linguarum Orientalium idiomate tanta est in Matthaeo, ut vir linguae Syriacae peritissimus Adlerus Matthaei textum Aramaeum originalem statuerit. Id minime verum habeo; Matthaei exemplar Graecum satis se probat genuinum, primarium, authenticum, neque moror traditionem veterem, Hebraice Matthaeum scri-

---

lustranda Biblia! sed ad dictionem multo plura afferri possunt. Targumistae maxime eam ob causam conferendi sunt, quod tropos et imagines V. T. solvere et in eam dictionem prophetas quasi transscribere solent, quae sermoni pedestri et aetati seriori communior est. Unum exemplum ut afferam, Ies. LI, 16. Targumista ad servum Dei haec verba Deum loquentem facit: In umbra potentiae meae protexi te, ut suscitarem populum . . et fundarem ecclesiam. Ad quem locum verba Christi conferenda: aedificabo ecclesiam meam. Bartol. Meyerus Phil. S. P. II. c. 2. p. 165—200. ex Targumistis multa attulit ad phrases biblicas illustrandas.

1) Optime in universum Olearium iudicasse puto. Wineri votis accedo, ut Hebraismi N. T. curis novis colligantur et proponantur. Cf. Ernesti, institutio interpretis: „Atque ita constituta ac definita quaestione, negamus sine dubitatione, dictionem N. T. esse pure Graecam Hebraicamque consuetudinem imitari defendimus nec modo in singulis verbis ac phrasibus et figuris dicendi, sed etiam universa forma orationis, idque exemplis perspicuis constare, quorum numerus etiam maior sit, quam vulgo credant illi ipsi, qui a nobis non dissentiunt, ut bene monet Werenfelsius, quum etiam Lucas, qui magis purus ceteris putatur, innumerabilia habeat Hebraica sitque initium Evangelii eius totum ita Hebraicum, ut ad verbum ex Hebraico versum videri possit.“ — Quot Hebraismorum manipulos Olearius ex solis sex Lucae capitibus congessit!

psisse. Sed quos scripsit Matthaeus Iesu Christi sermones, quas narravit historias, ea omnia Aramaice dicta, in gente Aramaei sermonis gesta erant, atque probatur Evangelistae in reddendis iis, quae audiverat et conspexerat, fides summa et veritas, quod plane ad verbum Graeco sermone expressit, quae Aramaice Iesus locutus erat. Eo magis admirabilis est ratio, qua vocabula Syriaca et omnem orationis habitum in Graeco depinxit, id quod exemplis infra satis multis demonstrabimus. Iam quaedam est in Marco differentia; minus facilis et expedita est versio Syriaca; occurrunt apud Marcum vocabula et structurae, de quibus apte reddendis haesitavit desudavitque Syrus. Est in Marco succinctum quoddam, breviuscule dictum, nonnunquam rapidum; habet vocabula emphatica, rariora, non tam planus et amplus est quam Matthaeus, quare Syrus minus expedite huius Evangelistae sermonem sequitur. In primis statim capitibus id apparet. Exempli causa apud Matthaeum rarior est usus verbi *ἔχειν*, apud Marcum in cap. III. toties occurrit, ut Syrus de versione sollicitus sit [1]). Lucae prooemium rhetoricam Graecam redolet, versibus quattuor una periodus constituitur. In hoc prooemio reddendo illico impegit Syrus; ne sententiam quidem satis percepit. Deinde vero ubi Lucas narrare incipit, quae accurate a testibus oculatis exploraverat, ita plane dictionem et idioma Apostolorum excipit et suum facit, ut virum Orientalem audire tibi videaris [2]). Idem in Actis, licet eandem sermonis rationem sequatur, est tamen liberior; quare in huius libri capite uno Syrum saepius vacillare, offendi, flectere orationem reperies

---

1) Syriasmi Matthaei passim detegi possunt ex Marco. Ex. gr. Marc. *εὐθέως*, Syr. et Matth. *ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ*; Marc. *κατ᾽ ἰδίαν*, Syr. et Matth. inter se et illum; Marc. *ἵνα παρελθῇ ἀπ᾽ αὐτοῦ ἡ ὥρα* (c. XIV, 35.) ubi Matth. Syrorum more (c. XXVI, 39.) *ποτήριον* etc.

2) Lucae oratio mollior est et mitior, quam reliquorum et admirabili quadam dulcedine perfusa. Parabolas nonnullas ita composuit, ut linguae vernaculae nostrae sermo popularis felicissime eas reddere possit. Agnoscitur facile vir perpolitus, eruditus, Graecus, sed qui Orientalium simplicitatem nativam optime imitatus est, qua animus eius totus erat commotus. Formal ille verba et phrases haud paucas ex more Orientalium. In Actis scribit ex. gr. *καρδιογνωστής*, ubi Syrus: qui scis, quae in cordibus sunt omnium, ut Ioannes: sciebat, quae erant in homine; *ἀφελότης καρδίας*, ubi Syrus ܦܫܝܛܘܬܐ; *προσωποληπτής* etc. etc.

quam in decem capitibus Evangelii. Ioannis Evangelistae, cuius Graecitatem laudant, tanta est sermonis simplicitas et color vere Aramaeus, sive notiones principales spectas sive verba sive verborum syntaxin, ut huius Evangelii ipsa Heracleensis versio promta, splendida et facilis videatur, alios libros si contuleris. Denique quod miratus sum, in Iacobi et Petri epistolis Syro interpreti fere plures et maiores difficultates se praebuerunt quam in Paulo, cuius omnino tanta est ars et facultas, ut quas in dicendo propter sententiarum abundantiam ubertatemque quasi provocavit difficultates, easdem superasse simul et subegisse dicendus sit et rerum gravitatem profunditatemque inexhaustam moderasse summa distinctione sermonis et perfectione. In epistolis tantum ad Corinthios, in quibus vehementiores animi impulsus et sermonis alacritatem splendidamque rhetoricam admirantur omnes, toties et tantopere lapsus est Syrus noster, ut operi suo hisce in scriptis imparem eum fuisse liqueat.

Cap. IV.

Versionis Syriacae indoles exemplis illustratur.

Quum omnibus satis compertum sit, Christum Aramaice locutum esse et Apostolorum omnium eandem linguam fuisse vernaculam, mirum videri potest, quod tam pauci reperti sunt, qui versionem Syriacam ad N. T. libros illustrandos adhiberent. Cuius rei causae plures esse videntur. Primum enim, quamquam versio Syriaca toties edita et ubique pervulgata est, rarior tamen est ea linguae Syriacae cognitio et facultas, qua illi opus est, qui ex versionis illius usu fructus uberiores percipere velit. Accedit, quod Syriaca scripta admodum pauca edita sunt et desideratur adhuc eiusdem linguae lexicon et thesaurus, ex quo verborum notio planius cognosci possit [1]. Deinde, licet Ernestius, qui hermeneuticae leges optime descripsisse dicitur, primum oportere statuerit interpretem N. T. bene peritum esse Graecae et Hebraicae consuetudinis loquendi, factum tamen est

1) Delectat nuntius recens acceptus, Bernsteinium lexicon propediem editurum esse.

nostris temporibus, ut plerumque N. T. interpretatio a V. T. explicatione plane divelleretur, qua via eo usque ventum est, ut ex Philone, Platone, ne dicam nostri temporis philosophis notiones biblicae definiantur. Denique qui versionem Syriacam contulerunt, partim non adeo multa praestiterunt partim tantum abest, ut eius usum probaverint, ut suspectum eum reddidisse videantur [1]). Qui primus et fere solus versionis Syriacae usum uberiorem instituit, Ludovicus de Dieu, licet multa optime monuerit, tamen non ea facultate praeditus erat, qua in verborum fontes et notiones, in locutionum et structurae grammaticae rationes et modos, in sententiarum tropos inquirendum est. I. D. Michaelis et Adlerus pauca tantum exempla proposuerunt, quibus imitationem aliorum excitatam non esse doleo [2]). Quae Boltenius [3]) attulit, quamvis non omnia plane spernenda, propter huius viri rationem interpretandi illegitimam vix multis innotuerunt, paucioribus probata sunt. Quae Kaiserus de linguae Aramâicae usu ad N. T. illustrandum pluribus tractatibus egit [4]), pauca si excipias, plane erronea sunt et a tramite recto aberrant. Ille enim non illustrat sed obscurat Evangelistarum dicta ex suo, quem laudat, Aramaismo; etenim haud raro talem fingit Aramaeam

---

1) Winer, Gramm. p. 35.: „Henneberg, in dessen exegetischen Schriften viel Gebrauch vom Syrischen gemacht ist, hat diese Vergleichung nicht wahrhaft gefördert, da ihm feste Principien abgingen.“

2) Friedr. Eberh. Boysens kritische Erläuterungen des Grundtextes d. h. Sch. N. T. aus d. Syr. Uebers. Fasciculi tres. Quedl. u. Leipz. 1761. 62. Huius libri legendi facultas tum demum facta mihi, postquam liber meus fere absolutus erat. Continet res aliquot bene observatas, sed et falsas; atque deest copia doctrinae. Sunt tamen studia viri rebus aliis distracti laudanda et commendanda nostri temporis pastoribus. Dicit enim ille optime: „Unser ganzer Glaube, unsre Hoffnung und der Friede unseres Geistes gründet sich auf das heilige Buch der Offenbarung, und wir sind ihm unsre ganze Aufmerksamkeit schuldig. Ein Diener des Evangelii kann sich nicht genug mit demselben beschäftigen etc.“

3) Der Bericht des Matthaeus von Iesu dem Messia. Item: Des Marcus, Lucas, Iohannes. Uebersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Ioh. Adrian Bolten. Altona 1792—97.

4) Th. Ph. Chr. Kaiser: Commentationis, qua linguae aramaicae usus ad iudicanda et interpretanda evangelia canonica novis exemplis defenditur, sectio I. Erlangae 1823. Progr. Pasch. Simile quid auctor prosecutus est in programmatis postea editis.

vocem et sententiam, qualis ex ore Iesu prodiisse vel in archetypo Evangeliorum Aramaeo fuisse ipsi videatur, quae sensum plane diversum praebet ab eo, quem in Graeco habemus, ita ut Graeci textus errores statuat, ubi ad Aramaeae vocis veritatem revocare studet [1]). Maxime id egit, ut Evangeliorum varietates a variis Aramaeae cuiusdam vocis notionibus repeteret, qua in re minime feliciter egit.

Equidem quum primum Evangelia Syriace legerem, adeo placuit seque mihi commendavit haec Scriptura, ut animum inducerem, ex versione Syriaca annotationes scribere ad quattuor Evangelia, quibus, si aliorum assensum nactae essent, similes adderem in omnes N. T. libros. Neque in posterum ab hoc consilio plane destiti. Nam revera versio Syriaca apparatus et thesaurus uberrimus dicendus est ad dictionem N. T. facillime explicandam, neque dubito, quin ab omnibus, maxime si Evangelia Syriaca legerint, tenor colorque orationis multo facilius perspiciatur [2]). Hoc tamen loco sufficiat exemplis aliquot id demonstrasse. Primum autem indoles versionis Syriacae accuratius describenda est; virtutes enim primariae eius non tantum interpreti tribuendae sunt, quantum ex linguae ipsius indole redundant; habet deinde et interpres ipse suas laudes sed mixtas vitiis et erroribus.

---

1) Winerus in diss. de usu vers. Syr. critico pag. 2. recenset scripta quoque plura, quae ad usum hermeneuticum pertinent. C. Sonntag, miculae ex N. T. Syriaco. Altdorf. 703. 4. (Chr. B. Michaelis lumina Syriaca alio loco laudata legi). M. Weber de usu vers. N. T. Syr. hermeneutico. Lips. 778. 8. F. G. Maier, Beiträge zur Erklärung des Evang. Matth. Wien 1816. 8. Des Iohannes, Linz 1818. 8. A. F. Pfeiffer in vers. Syr. I. ad Tim. ep. Erlang. 1776. 4. I. M. Faber observv. in ep. Iac. ex Syro, Coburg. s. a. 4. Adde: Agrell, de dictione N. T. Wexion. 1798. otiola Syriaca Lund. 1816. 4. p. 53—58. — Hos libros inspicere mihi non obtigit. Omnino in plurimis bibliothecis dissertationes et scripta ad versionem Syriacam pertinentia admodum parca manu collecta sunt. Ex antiquioribus cf. Rich. Simon, hist. des Versions du N. T. chap. XV.

2) Io. Franc. Bernd, schediasma philologico-exegeticum de primariis quibusdam versionis Syriacae virtutibus in quorundam N. T. locorum illustratione conspicuis. Scribit ille in fine p. 24.: „Non difficile mihi foret, plura eiusmodi collationis exempla adducere; quandoquidem ultra chiliadem ex instructissimo isthoc, non vereor dicere, hermeneuticae sacrae thesauro collecta habeo."

In universum igitur non dubito cum omnibus versionis Syriacae fautoribus eam simplicem dicere, bonam, accuratam, splendidam partim et nonnunquam vere admirandam. Graecam linguam bene norat interpres, in reddendo facilis est et promtus, atque eo sermone ipse utitur, ut inter optimos et classicos linguae Syriacae scriptores merito collocetur [1]). Quod si in universum cuique probatum erit, qui vel pauca versionis Syriacae capita contulerit, tamen ea non fuit fides interpretis, ut non multa sibi dederit minime laudanda, neque tanta linguae Gr. scientia imbutus est, ut non erraverit saepius, denique Apostolorum sententiam tantum abest, ut in omnibus assecutus sit, ut plane eam haud semel perverterit.

Primum quidem partim linguae alterius idiomati partim versionis libertati id dandum est, ut ad sententiam rite et ex linguae ratione exprimendam interpres non tam verbum de verbo reddat quam sensum assequi studeat. Quare non vitia dicimus, si addita quaedam sunt ad interpretationem vel ordo paulisper mutatus vel pronomen insertum vel nominis status et numerus mutatus, ubi linguae Syriacae consuetudo id flagitaverit. Veruntamen quum maxime in Evangeliis interpreti licuisset, textum Graecum fere in omnibus accuratissime reddere, satis liquet, nonnunquam eum minus accurate et liberius in translatione versatum esse. Sententiarum particulas quasdam abiecit et neglexit

---

1) Io. Ern. Gerhard: „Id vero haud veremur cum Tremellio adserere, quod maiori ex parte e Graeco illa archetypo fidelissime sit expressa.“ Vide alia testimonia in Gutbirii editione ex. c. Martinii, Prof. olim Witeberg.: „Versio est haec Syra, sed omnium prima et antiquissima; versio est inquam, sed omnibus aliis ut probatior et plenior praeferenda . . . . . per hanc solam Graecus textus vere illustratur, recte intelligitur; huius enim solius auctoritas proxime ad ipsorum fontium maiestatem accedit.“ Wolfg. Franzius: „Hanc versionem omnes eruditi maxime purissimam esse statuunt et pronuntiant etc.“ I. D. Michaelis Einl. pag. 399.: „Sie ist die beste Uebersetzung, die ich bisher kenne; Dr. Luther seine, die ich so hoch schätze, wiewohl im N. T. nicht völlig so hoch als im Alten, steht ihr am nächsten und beide haben einige Aehnlichkeiten mit einander . . . Sie lässt sich sehr gut lesen, meistens wie Original und gut verstehn. . . . Die syr. Uebersetzung hat so wenige Fehler als ich in keiner gefunden habe und ich frage sie gern um Rath.“ Quod nimium est his in iudiciis, meum non facio; a nugis non libera est versio Syriaca.

Syrus, quae exprimendae fuissent, ex. c. particulas comparativas ὡς — ὡςεί haud raro praetermittit; particulam καὶ in Graeco saepe insertam ex. c. ὃς καὶ παρέδωκεν et alia id genus multa non curavit; particulas γὰρ, δὲ omisit vel cum aliis permutavit; nominum numerum mutavit, ubi nulla instabat necessitas; addere quaedam haud raro sibi permisit, ubi melius tacuisset. Ita omisit quaedam, quae bis dicta et supervacua ipsi videbantur ex. c. Matth. XXII, 32.: Deus non est Deus mortuorum, ubi Dei nomen semel scribit (legitur tamen apud Persam); c. XXVI, 60. οὐχ εὗρον semel reddit; XV, 4. ἐνετείλατο λέγων S. dixit; c. XXVIII, 9. desunt plura verba; Marc. VII, 36. μᾶλλον περισσότερον Syr., unum verbum scribit; Matth. XXIV, 31. μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης cum tuba magna. In solo Matthaeo verba aliquot omissa repperi c. XIV, 22.; XII, 8.; XXII, 13.; XXV, 1. 13.; XXVI, 9.; II, 18.; V, 27.; VIII, 32.; IX, 13.; XI, 28. 35.; XII, 5. 28.; XVIII, 5.; XXI, 41.; XXII, 44.; XXVI, 60.; XXVII, 1. 2.

Magis interpretis animus et consilium conspicitur in iis quae addidit. Primum quidem, quae lectoribus ignota esse putavit, explicat interpretamento; ad nomen „Puteoli“ addit „civitas Italiae“ (Act. XXVIII, 13.; XIII, 13. etc.); Act. XIX, 35. vocem Διοπετοῦς explicat: simulacrum, quod de coelo descendit; Act. V, 37. ἀπογραφὴν explicat „in diebus, quibus scribebantur homines ob argentum capitis;“ c. XVII, 19. scribit „Senatus, qui vocatur Areopagus.“ Nomini Herodis Act. XII, 1. additur „Agrippas“; Timotheus c. XX, 4. dicitur Lystranus. Reperiuntur et alia Syri interpretamenta. Act. XIII, 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον reddit: Paulus vero et Barnabas; Act. VI, 11. ὑπέβαλον miserunt et docuerunt; c. XXVIII, 31.: conduxit sibi Paulus de suo domum et fuit ibi duos annos. Omnino circumlocutione utitur multis in locis: Matth. VIII, 32.; XIV, 13.; XV, 20.; XXI, 34.; Luc. XII, 45.; IX, 34. Aliquoties, raro tamen, unam vocem reddit per duas et ex synonymorum numero vel omittit unum vel etiam addit. Rom. XI, 4. οὐκ ἔκαμψαν γόνυ S. non genua flexerunt, nec adorarunt; Eph. V, 4. εὐτραπελία aut (verba) irrisionis aut scurrilitatis. Reperiuntur etiam additamenta ex aliis Evangeliis sumta: Matth. XXVIII, 18. ex Ioa. XX, 21.: ut pater me misit, ita vos mitto ego; Luc. IX, 39. Matth. XXII, 37. additum est „ex virtute sua“ ex Luca

et Marco. Cf. Marc. XIII, 14.: quod dictum est a Daniele propheta. Luc. IV, 18. misit me ut sanarem contritos corde; cf. Matth. XX, 22. 23.; Marc. VI, 11.; Matth. XIV, 24. *μέσον τῆς θαλάσσης* S. remota a terra stadiis multis. Nonnunquam vero non interpretem solum vel paraphrasten agit, sed etiam commentatorem. Tum simili via ingreditur qua Alexandrinus V. T. interpres, ut pluribus notavi in libro meo de Ieremiae vers. Alex. p. 130. sq. Ita Act. X, 22. addit: dictum ei est — in visione — ab angelo. C. VII, 31. dixit ei Deus ܒܚܙܘܐ cf. XII, 22. ܗܠܝܢ ܡ̈ܠܐ ܩܠܐ ܕܐܠܗܐ ܐܢ̈ܝܢ; Act. XVIII, 5. 6. Paulus premebatur verbo. Hebr. VII, 3. vocem *ἀγενεαλόγητος* commentario circumscribit; vertit enim: cuius nec pater nec mater scripti sunt in genealogiis neque principium dierum eius neque finis vitae eius; v. 6.: hic vero, qui non est scriptus in genealogiis illorum, etc. I. Cor. VII, 35. *ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως* (quae verba propter translationis difficultatem a vetere Latino interprete omissa esse putat Hieronymus adv. Iovin. I. c. 8.), ut sitis seduli (s. firmi, constantes ܐܛܝܒܝܢ) erga Dominum in honestate decora, non cogitantes de mundo. In eiusdem capitis vers. 36. liberius iterum versatur Syrus: „Si quis autem putat quod despectus sit propter virginem suam, quod praeteriit tempus eius et non tradiderit eam viro etc.“ Ita sane sententia moribus Orientis convenientior est. Haud raro vim vocis alicuius bene circumscribit Syrus. Luc. VII, 39. *τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνή* quae sit et quae eius fama. Act. VIII, 1.: Paulus erat *συνευδοκῶν* morte Stephani; Syr. bene ei placuit et consortem se fecit mortis. Act. IV, 21. *καὶ δεηθέντων αὐτῶν*, ܘܟܕ ܒܗܘܢ ܐܬܟܫܦܘ. Nonnunquam optime et facillime structuras graviores solvit; maxime ubi protasis longior est et participia copulantur, vix potuit Syrus, quin sententiam breviorem reddere et maiorem in minores distribuere studeret. Si in voce quadam notiones plures coniunctae sunt (Zeugma), nonnisi apte explicat Syrus, II. Tim. II, 26. *καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος* et reminiscantur sui ipsorum et liberentur ex laqueo Satanae. Quae per ellipsin supplenda erant, plerumque recte posuit. Matth. XXVI, 13. *πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι* addit: tanquam ad sepeliendum. Io. VII. Spiritus nondum datus erat. Sunt autem alia additamenta leviora. Matth. XXVII,

37. *τὴν αἰτίαν αὐτοῦ* Syr. culpam mortis. Nomini Petri additur Symeon; nomen Iesu vel additur vel ommittitur et quae sunt similia. Habes circumlocutionis exempla Matth. VIII, 32.; XIII, 35.; XIV, 13. 35.; XX, 17.; Luc. IX, 34.; Act. V, 4.; VII, 45. etc. etc. Pro „Angeli" scribit angeli sancti Matth. XVI, 27.; c. XXV, 10. non solum sponsum scribit, sed addit „et sponsae" (ut Itala).

Quanta interpretis nostri non libertas solum sed licentia sit in inversionibus, supra vidimus (pag. 200.). Tum sane non explicare solum sed corrigere vult et dignitatis rationisque leges, quae ab Apostolis minus observatae ipsi videntur, pressius sequi, quare matrem Iesu praeponit fratribus, Paulum Barnabae, Deum Patrem Filio. Cf. etiam Matth. XXIII, 28.; XXIV, 10. *Τὸ θέλειν* praeponit *τῷ ποιῆσαι* II. Cor. VIII, 10. Habet igitur interpres propriam suam sententiam, sibi placet in sapientia sua, est talis, qui Apostolorum sermonem cum rationis legibus conciliare studet. Atque inde nascitur licentia, qua saepenumero abutitur, ut ad arbitrium suum contextum leviter immutet. Exempli causa Syrus, quandocunque in textu Graeco legitur *ὁ θεὸς καὶ πατήρ*, copulam omittit et scribit: Deus pater (exceptis paucis locis Iac. III, 9.; Apoc. I, 6.). Sed alio iterum loco inserit copulam, Rom. I, 1. *κλητὸς ἀπόστολος*: vocatus et apostolus. Id igitur sibi permisit interpres, ut quae ipsi faciliora et magis consentanea viderentur, haud raro substitueret et immutaret. Ita Ebr. II, 6. *διεμαρτύρατο δέ πού τίς*, Syrus: sed sicut testatur Scriptura, c. XI, 20. *πίστει περὶ μελλόντων εὐλόγησε*, Syr. per fidem eius, quod futurum erat; c. XI, 35. *ἔλαβον γυναῖκες* S. et reddiderunt mulieribus filios ipsarum per resurrectionem ex mortuis (ita interpres historiae et veritati rem magis respondere putat)[1]. Phil. IV, 19. pro *ἐν δόξῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* vertit: *ἐν δόξῃ Χ. Ι.* Ebr. VI, 2. pro *βαπτισμῶν* singularem exhibet *βαπτισμοῦ*, unicum baptismum intelligens; Ebr. III, 3. pro *τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ* multo melius scribi putat: potentia verbi sui; pro *ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ* II. Thess. I, 7. scribit:

---

1) Non plane pro explorato acceptum velim, ep. ad Hebr. ab alio interprete translatam esse atque libros ceteros, licet multa id suadeant. Loco laudato interpres ostendit accuratam historiae sacrae (Elisae) cognitionem.

cum exercitu angelorum suorum; Hebr. VI, 1. *τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον* recte interpretari putat, si verba aliter composuerit: initium sermonis Christi. II. Tim. IV, 1. *κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ* Syr. in revelatione regni sui (Hendiadyn esse putat). Haec exempla ex multis elegi, quia mentem et consilium interpretis illustrare videntur. Quis tandem est ex interpretum numero, quin multis locis mederi studuerit difficultati verborum vel commutando particulas vel demendo vel addendo vel variando. Id ipsum in Syro quoque conspicuum est. Sunt loci alii satis multi, in quibus liberius et minus accurate vertit, quos vel ex uno N. T. libro omnes recensere longum est; cf. Matth. IX, 32. Gr. egressis autem illis; Syr. Arabe accedente: quum egressus esset Iesus. Matth. XIV, 13. *ἠκολούθησαν πεζῇ* Syr. aptius putat scribere: per aridam (terram, oppositam mari). Marc. I, 38.: *ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις* S. in vicos et in urbes propinquas. Marc. III, 31. *ἔρχονται . . . καὶ ἔξω ἑστῶτες ἀπέστειλαν*, Syr. venerunt stantes foris . . . et miserunt. Ex Matthaeo inter alios reperi Syrum hisce in locis liberius et minus accurate vertentem: c. II, 8.; III, 7.; VII, 24.; XII, 4.; XIII, 18.; XVII, 19.; XX, 29.; XXII, 4. etc. Sunt autem, ut non semel monuimus, in Evangeliis multo minus obvia praetermissa et loci minus accurate s. liberius redditi, quam in Epistolis; atque mirum est, quod saepenumero, ubi paululum Syrus a textu Graeco deflectit, textus Graeci ipsius variae lectiones reperiuntur cum Syro congruentes. Ita Matth. VII, 24. *ὁμοιώσω* S. *ὁμοιωθήσεται*. Matth. IX, 15. *πενθεῖν* Syr. *νηστεύειν* ut cod. Cantabr. et Montfort. Marc. III, 4. *ἀποκτεῖναι* S. ܠܡܘܒܕܘ Vat. *ἀπολέσαι*. Matth. IX, 8. *ἐθαύμασαν* Syr. ܕܚܠܘ, exemplar quoddam Gr. teste Beza: *ἐφοβήθησαν*. II. Cor. I, 20. Syr. per ipsum reddimur Amen, ut Vulg. etc.

Possunt et alia exempla colligi, unde patet, interpretem Syrum nonnunquam non solum minus accuratum, leviorem, dormitantem, sed etiam talem Bibliorum explicatorem fuisse, qui sibi ipsi placens, de Apostolorum ratione dubitans, suae rationis certissimus, pro hebetitudine sua verba divina corrigere et emendare voluerit. Quae capere non potest, ex propria mente explicat. Ita I. Cor. X, 2. baptizabantur *εἰς Μωϋσῆν* scribit: per Mosen (ܒܝܕ). II. Cor. XIII, 10. sensus plane mutatur mutato

Pronomine: Christus qui non infirmus est in vobis, sed potens est in vobis. Rom. IX, 22. locus est vexatissimus, cuius structura difficilis. *Εἰ δὲ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν ... ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς* . . Syrus vertit: Si vero voluit Deus ostendere iram suam, intulit pro magna longanimitate sua iram super vasa irae, quasi legisset *εἰ . . . ἔθελεν, ἤνεγκεν . . . ὀργὴν εἰς* etc. Rom. I, 20. vertit: Opera Dei a (?) creaturis mente cernuntur. I. Tim. II, 15.: *σωθήσεται διὰ τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν*, (ubi est enallage numeri, nam *μείνωσιν* ad feminas referendum est) — Syrus scribit: Vivet per liberos, si manserint. Iam vides, auctorem quod capere non potest, ad arbitrium exponere. Est nonnunquam etiam *μικρολογία* eius conspicua, quae taedio afficit. Matth. XXVII, 60. *ἐλατόμησεν . . . προςκυλίσας . . . ἀπῆλθεν.* Iosephum ipsum effodisse sepulcrum et lapidem advolvisse, vix credibile. Quare Syrus scribit: quod effossum erat; deinde: advolverunt. (Notandum tamen, quod Persa habet singularem. Cf. variantes quoque vers. Heracl. ap. Adlerum). Matth. XXI, 7. *ἤγαγον τὸν ὄνον καὶ τὸν πῶλον καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν.* Hoc loco si *αὐτῶν* referatur ad *ὄνον καὶ πῶλον*, homines emuncti naris nostro quoque tempore monuerunt, non potuisse Iesum super asinam et pullum insidere. Quare sunt, qui *αὐτῶν* omittant vel legant *αὐτοῦ* vel ad *ἱμάτια* referant. Syrus et ipse Evangelistam purgare studet. Scribit igitur: posuerunt vestimenta super pullum et insedit illi Iesus (cf. lectiones marginales vers. Heracl. ap. Adlerum) [1]).

Putant vulgo, mediocrem linguae Graecae eruditionem sufficere ad N. T. interpretandum. Id qui dicunt, explicent, quomodo factum sit, ut viri linguae Graecae peritissimi in libris N. T. interpretandis haud parvam operam posuerint. Sunt enim omnia in Bibliis tam distincte, tam diligenter, tam exacte dicta, sunt vocabulorum notiones, sententiarum consecutio et structura, sunt denique et maxima et minima tanta cura observanda et ex mente

---

1) Mirum est, quod nonnunquam usum loquendi satis vulgarem vel quae poetice dicta sunt critici vituperant. Scribit Homerus, Diomedem corpora divina vulnerasse, quum Venerem solam laeserit. Decet regem non uno vehi equo sed pluribus. Rex noster clementissimus, quum urbem suam ingrederetur, hostes omnes in aeternum devicturus et regnum suum coeleste occupaturus, biga ista usus est asinae eiusque pulli.

Apostolorum exponenda, ut opus difficillimum sit libros illos aliam in linguam transferre. Syrus interpres omnino satis gnarus erat linguae Graecae; contra leges grammaticas vix multum peccavit; nonnunquam etiam quae difficiliora sunt, apte et recte exposuit. Haud raro miratus sum, eum in notiones et sententias biblicas intrasse magis et multo accuratius res sacrás examinasse et perspexisse, quam solet interpretum vulgus. Sagacitas quaedam, rerum verborumque copia et recta interpretandi ratio conspicitur in auctore nostro.. Tamen non ea linguae Graecae peritia erat, ut omnia recte intelligeret. Id quod maxime in Epistolis apparet. Pauca sufficient exempla ex epistolis ad Corinthios, quas utpote rhetorico verborum apparatu abundantes interpreti nostro multas difficultates parasse supra diximus. II. Cor. XI, 25. *τρὶς ἐναυάγησα, νυχθήμερον ἐν τῷ βύθῳ πεποίηκα*, Syr. ter fui in naufragio die et nocte; sine nave in mari fui. C. XIII, 7. opto autem a Deo, ne sit in vobis aliquid mali, ut (!) probatio nostri appareat etc. I. Cor. II, 5. *ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ*; S. ne vobis sit onerosa res (s. sermo). I. Cor. IX, 12. *εἰ ἄλλοι τῆς ὑμῶν ἐξουσίας μετέχουσιν*; S. si aliis est potestas in vos. Luc. I, 1. *παρηκολουθηκότι*; S. quia proximus (praesens) fui accurate (sollicite) iis omnibus (Evangelii praedicatoribus?). Adde Phil. I, 16. 26.; II, 13. 15. etc. Tamen pauca haec esse video, in quibus a sensu verborum longius aberraverit interpres Syrus, atque etiam tum, ubi recte non explicat, est tamen consideratio quaedam conspicua, ut aptum sensum rimetur [1]). Erat sane negotium arduum et difficillimum Apostolorum libros in linguam alienam vertendi; sententiae erant a vulgari dicendi ratione alienae, notiones verborum singulares, partim novae atque si propter colorem Aramaeum multa interpreti Syro familiaria erant, alia maxime in Epistolis Graecismum redolebant, cui explicando impar fuit Syrus nisi in Graecorum libris exercitatissimus fuerit.

---

1) I. D. Michaelis laudem nimiam tribuit Syro his verbis: „Eigentlich schwache, thörichte, unwissende Erklärungen erinnere ich mich gar nicht in ihr gefunden zu haben, und da ich sie oft in Collegiis bei schweren, zweifelhaften Stellen anführe, sonderlich bei *ἅπαξ λεγομένοις*, thue ich es immer mit Respekt, auch wo ich nicht beitrete; bei manchen andern Uebersetzungen kann ich mich nicht immer des Lächlens erwehren, bei ihr bin ich, so viel ich mich entsinnen kann, nie dazu versucht worden.“

Si recte statuimus supra, exemplar Graecum habuisse interpretem nostrum accentibus et interpunctione non instructum, maxime laudanda est eius facultas, quod in universum optime sententias partesque sermonis disposuit. Nonnunquam tamen structurae leges violat vel parum observat: Hebr. IX, 6. *τούτων δὲ οὕτω κατασκευασμένων*; haec verba Syrus priori versui adiunxit: nequaquam tempus est, ut loquamur de unoquoque ex istis, quae ita adornata erant. Matth. VIII, 29. Syrus verba *πρὸ καιροῦ* ad *ἦλθες* attrahit, quae potius ad sequentia trahenda; c. XXVI, 71.; Act. III, 18. verba: *ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι* falso construit Syrus. Aliis in locis error versionis vel ex varia Graeci textus lectione originem duxisse videtur vel ex corruptione textus Syriaci. Matth. XXII, 23. *οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν* S. Sadducaei dixerunt ei, non est resurrectio mortuorum. Sumsit Syrus vocem *λέγοντες* notione vulgari, neglecto articulo, qui neque legitur apud Lachmannum. Act. XII, 10. *διελθόντες τὴν φυλακήν* S. ܥܒܪܬ pro ܥܒܪ (Philox.), et quum praeterita esset custodia prima et secunda. Matth. XXVI, 71. *λέγει τοῖς ἐκεῖ καὶ οὗτος*. In contextu Syriaco, ut nunc punctis distinctus est, *ἐκεῖ* ad verba posteriora relatum est: Dixit iis, quod ibi etiam hic erat; sed possunt etiam coniungi verba ܠܗܘܢ ܕܬܡܢ.

At vero ut non taceamus vitia et errores versionis Syriacae, neque eius laudes praetermittendae sunt. Bona sunt mixta malis. Est nonnunquam liberior Syrus, sed in universum accuratus; peccat haud raro, quum sensum apostolicum non assequatur, etiam corrigere audet, omnino tamen promte et bene ea quae facilia et plana sunt in sermonem Syriacum transferre solet. Quam scite et apte nonnunquam idiomati Syro accomodet verba Graeca, exemplis multis comprobari potest. I. Cor. VII, 31.: *οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ παραχρώμενοι.* Syrus: qui utuntur saeculo hoc ܠܐ ܠܒܪ ܡܢ ܙܕܩܐ ܕܚܫܚܬܐ ne extra convenientiam (iustitiam) usus sc. utantur. Locutionem *ἑαυτοὺς συνιστάνειν* reddit: ut ostendamus vobis, quid (quales) nos (simus). II. Cor. III, 1.: *ἀχάριστοι* reddit ܟܦܪ̈ܝ ܛܝܒܘܬܗ (II. Tim. III, 2.); *ὁ συμπρεσβύτερος* I. Petr. V, 1. ܩܫܝܫܐ ܚܒܪܗܘܢ; *εὐγενής* Luc. XIX, 12. ܒܪ ܛܘܗܡܐ ܪܒܐ etc. etc. Si quis perpendat, quam difficile fuerit, verba multa transferre, mirabitur Syri inter-

terpretis dexteritatem. Cf. voces *εὔκαιρος* Hebr. IV, 16.; *περιποίησις* Eph. I, 14.; *καπηλεύω* II. Cor. II, 17.; *θριαμβεύω* II. Cor. II, 14. Delectat saepenumero verbum Graecum, quod Syriace verti omnino non potest, a Syro interprete ad notionem simplicem ita redactum videre, ut sensus optime exprimatur. *Νεόφυτος* II. Tim. III, 2. Syrus ܕܛܠܐ ܠܬܠܡܝܕܘܬܗ (die noch frisch, jung sind in der Jüngerschaft) *πλήκτης* I. Tim. III, 6. cuius manus currit ad percutiendum etc. etc. Promte utitur quoque iis, quas lingua Syriaca porrigit, orationis figuris; paronomasia aliquando reperitur, Act. II, 30. ܕܡܢ ܦܐܪܐ ܕܟܪܣܗ ܐܘܬܒ ܥܠ ܟܘܪܣܝܗ. II. Cor. XVIII, 4. Optime Rom. IX, 6. ex idiomate Syro scribitur: ܠܐ ܗܘܐ ܡܦܠ ܢܦܠܬ ܡܠܬܐ ܕܐܠܗܐ nequaquam cadendo cecidit verbum Dei. Item Matth. XII, 30. vim verbi *σκορπίζει* Syrus apposito Infinitivo augere studet.

Sufficiant haec ad facultatem mentemque interpretis declarandam. In universum eruditus et optime instructus erat Syrus noster et ad interpretandum maxime idoneus; Graecae linguae tantopere gnarus, ut plurimis rebus par raro in errorem abductus sit; lingua autem Syriaca tanta facilitate usus est, ut vix multi melius. Graeca enim tam scite, simpliciter et vere transferre solet in sermonem Syriacum, ut viri ingenium haud mediocre cognoscatur. Atque si Michaelis cognationem quandam cum Luthero reperisse sibi videtur, id maxime in eo situm est, quod Syrus ad vitam omnia et ad captum vulgi exprimit, sermone usus plano, forti, simplici. Neque ingenii dexteritas et sagacitas quaedam neganda est. Sed quod maxime in Bibliorum interprete postulatur, fides est sincera et Spiritus Sancti institutio. Interpres Syrus non perstitit plane in doctrina Apostolica neque ea in verbum divinum reverentia est, ut probe eius litteram in omnibus tueatur. Quare non mirum est, quod sententiam saepenumero non assequitur, ita ut in explicando plane aberret vel ea, qua est levitate, corrigere et mutare incipiat. Quare si Apostolicam mentem et Verbi Divini expositionem veram, castam, accuratam, in omnibus fidam requiris, eam non invenies apud Syrum; si de adminiculo et instrumento cogitas ad linguam N. T. facilius cognoscendam et ad notiones rerum et verborum felicissime indagandas, versio Syriaca antiqua maxime

20

tibi commendata sit. Quomodo ex sententia nostra usus hermeneuticus institui possit, exemplis demonstrabimus.

Recte monuit I. D. Michaelis, usum versionis Syriacae fieri posse ad nomina propria et nomina geographica illustranda. Capernaum scribitur ܟܦܪܢܚܘܡ vicus Nahumi, Bethania ܒܝܬ ܥܢܝܐ, Bethphage ܒܝܬ ܦܓܐ (de Dieu: domus patientis et domus blandientis [1]), *Αἰνών* ܥܝܢ ܝܘܢ, Bethesda ܒܝܬ ܚܣܕܐ etc. Cf. Matth. XV, 39. ܡܓܕܘ [2]), c. XIV, 34. ܓܢܣܪ, c. XXVII, 57. ܪܡܬܐ (Arimathia) Luc. XXIV, 23. ܠܥܡܐܘܣ. Cf. porro versionem Syriacam ad vocem Boanerges Marc. III, 17. ܒܢܝ ܪܓܫܝ ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܒܢܝ ܪܥܡܐ. Thaddaeus scribitur ܬܕܝ, quod alii aliter explicant (vide Michaelem in Lexico), *Καναvίτης* ܟܢܢܝܐ (קַנָּא) cui respondet Syriacum ܛܢܢܐ Luc. VI, 15. Iscariotes in Syro venit ܣܟܪܝܘܛܐ ad quam formam de Dieu confert אסכרה, apud medicos i. q. מחנק suffocatio. Addas nomina ܐܦܪܝ . ܢܦܬܠܝ etc. [3]). Falso Syrum scripsisse putant nomina Gethsemane et Barrabae; ܓܕܣܡܢ (גד סימן?) et ܒܪ ܐܒܐ (secundum Hieronymum בַּר רַבָּן) [4]).

---

1) ܦܓܐ ex altera notione est amarus, immaturus (פגים grossi, vox plane alia Luc. XIX, 4. *συκομωραία* ܬܐܬܐ ܦܩܥܬܐ ficus insipida). — Pro Bethabara Io. I. Syrus Bethaniam scribit, ut codd. nonnulli.

2) Iisdem litteris urbs Megiddo apud Syros scribitur. Hieronymus „nunc autem regio dicitur Magedena circa Gerasam.“ Iudaeorum mappa a L. de Dieu laudata habet מגדן inter Dalmanutham et Gerasam. Sed in citeriori terra Magdala quaerenda. Arabs eodem nomine locum appellat, quo hodieque dicitur.

3) Mirum est, quod Act. XIII. pro *Βαριησοῦς* legitur ܒܪ ܫܘܡܐ, de quo nomine varias virorum doctorum sententias vide in Lexico Castell. ed. Michaelis.

4) Obiter hic memorem, quod ex nominibus propriis fortasse pronuntiatio vocalium cognosci potest, qualis fuerit Syri interpretis. Ita scribitur Thomas ܬܐܘܡܐ Thaumas etc. Cf. ܒܐܬܝܢܘܣ (*Ἀθηναῖς*). Si credibile esset in versione nostra legi nomina, ut primum ab interprete scripta sunt, patet, eum litteras ܝ ܘ ܐ pro vocalibus adhibuisse ex. c.

Nonnunquam versio Syriaca in subsidium vocari potest ad usum et consuetudinem temporis illius cognoscendam. Exempli causa παρασκευή Io. XIX, 31. vertitur ܥܪܘܒܬܐ et notissimum est, apud Syros dies septimanae ita numerari et appellari, ut ܥܪܘܒܬܐ diem Veneris significet. Dies quae praecedit sabbatum illo nomine ubique intelligitur. Ioannes igitur non dicit, parasse se Iudaeos ad paschatis diem primum celebrandum, sed crucifixum esse Iesum die VI. in ipso Paschatis festo sabbatum antecedente, quod ea de causa magnum erat, quia in Pascha incidit. Vide Luc. XXIII, 54.; Matth. XXVII, 62.; Ioa. XX, 31. Porro μία σαββάτων a Syro non solum dies I. septimanae intelligitur, sed patet etiam ex versione nostra solitum fuisse Christianis diem primum ut diem dominicam celebrare I. Cor. XI, 20. Porro pro hora tertia, sexta, nona Syrus scribit: tres horas etc., unde facilius cognoscitur, integrum trium horarum spatium intelligi. (De numerorum syntaxi cf. Agrellium).

Sed fructus uberrimi et laetissimi percipiuntur ex collatione versionis Syriacae ad vocabula singula textus Graeci. Etenim ut supra demonstravimus, Evangelistae et Apostoli voces multas et locutiones mutuati sunt ex lingua Aramaica, quare saepenumero vocis et locutionis cuiusdam origo et significatio optime cognoscitur ex versione nostra. Ex Matthaeo praecipue exempla proponam, unde ni fallor cuique patebit, Evangelistam ea ipsa verba, quae Aramaea a Domino nostro audiverat, fide summa et ea arte reddidisse, ut vox Graeca plane exprimat Syriacam nec tamen ipsa a Graecitate aliena sit. Erat quidem inter dialectum Syriacam Palaestinensem et eam linguae formam, qua interpres noster usus est, differentia; sed non solum sermo et dicendi genus in versione nostra quam proxime accedit ad Evangeliorum idioma, quia est simplex, planum, vegetum, plenum sanguinis et nervorum, ab idiomate populari et proverbiali haud alienum, sed etiam eo maxumopere laudandus est interpres, quod verborum notionem, vim et efficaciam rectissime percepit et

---

Act. XVII, 17. ܐܦܩܘܪܘܣ . . . ܦܝܠܘܣܘܦܐ philosophi — Epicuros. — In textu edito Nomina propria vocalibus ita instructa sunt, ut ad formam Graecam propius accedant.

optime reddidit. Patet quoque, ut pluribus demonstrabimus, interpreti Iudaeorum rationem, sermonem et theologiam satis familiarem fuisse, ita ut locutiones usitatas omnemque vitae formam ad veritatem exprimat, unde probatur sententia nostra, scriptam esse versionem in eius regionis finibus, ubi Iudaei plurimi habitaverint. Quam ad rem etiam illud facit, quod supra diximus, Syris consuetum esse, dies ad normam Iudaeorum numerare; sabbatum quoque Syros Christianos celebrasse, cognitum est.

Proferamus igitur exempla ex Matthaeo. Cap. I, 1. *βίβλος γενέσεως*. Syrus ܟܬܒܐ ܕܝܠܝܕܘܬܗ ܕ i. e. liber s. tabula generationis, cognationis, ergo genealogia. Cf. ספר תולדות in V. T. ubi Syrus ܬܘܠܕܬܐ. Sed v. 18. *γέννησις* a Syro vertitur ܝܠܕܐ partus, natales. Rectissime igitur vidit, primum per generationes ter quattuordecim a Matthaeo *γένεσιν* Iesu Christi proponi, qui filius dicitur Abraham et filius David; deinde a versu 18. narrari *γέννησιν* partum Iesu Christi, quomodo Maria Iesum pepererit Nazarenum. — c. I, 18. *μνηστευθείσης* ܡܟܝܪܐ (vendita) in uxorem promissa, desponsata; *δίκαιος* S. ܟܐܢܐ vir probus, rectus, iustus. — V. 19. *παραδειγματίσαι* (LXX Ier. XIII, 22. etc.) S. ܢܦܪܣܝܗ. Monuit R. Simon, melius reddi non potuisse vocem Graecam; nam Syr. est detegere, in publicam proferre turpitudinem vel ignominiam. Idem verbum Es. III, 17. פתחן יערה. Cf. Col. II, 15. — Cap. II, 1. *μάγοι* S. ܡܓܘܫܐ, quod vocabulum de Dieu refert ad rad. ܓܫ palpare, scrutari, explorare (?). In Simplici V. T. hoc vocabulum non legitur, sed in Danielis vers. Philoxen. Etiam Act. XIII. *μάγος* alia voce redditur. — V. 5. *διὰ τοῦ προφήτου*. Syrus praepositione ܒܝܕ utitur, sed v. 17. *ὑπὸ* ῾*Ιερεμίου* ܡܢ. — V. 13. *ἐγερθείς*, qua voce saepius utitur Matth., plane respondet Syriaco ܩܘܡ. — Vocabulum *βαπτίζειν* Syrus reddere solet per ܥܡܕ abluit se, ablutus, intinctus, immersus est aqua, quod optime id exprimit, quod baptismi proprium est; unde explicatur quoque, quod Apostoli docent, per baptismum ablutos nos esse, item immersos et sepultos cum Christo et quae sunt similia. — Cap. IV, 5. *πτερύγιον* Syrus ܟܢܦܐ. Patet *πτερύγιον*

eodem usu adhibitum esse ab Evangelista, quo vox Syriaca usitata erat. — V. 24. *δαιμονιζόμενοι* ܕܝܘ̈ܢܐ, *σεληνιαζόμενοι* ܒܪ̈ܝ ܐܓܪܐ qui extra tectum ambulare solent, noctambulones, *παραλυτικοί* ܡܫܪ̈ܝܐ. — V. 15. *πέραν τοῦ Ἰορδάνου*. Syrus: limites Iordani; *πέραν* Hellenistis limitem designat et citeriorem et ulteriorem, ut Syris ܥܒܪ cis et ultra. — Cap. V, 3. *οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι*. S. ܡܣܟ̈ܢܐ ܒܪܘܚ. ܡܣܟܢ depauperavit (Lev. XXV, 39. 47.), Ethpa. attenuatus, exhaustus est; adi. pauper, egenus, tenuis, inops. Oppositi sunt igitur qui dicunt: *ὅτι πλούσιος εἰμὶ καὶ πεπλούτηκα καὶ οὐδενὸς χρείαν ἔχω* (Apoc. III, 17.). — V. 5. *πραεῖς* ܡܟܝ̈ܟܐ pp. depressus, demissus, atque inde mansuetus, humilis, quare respondet Hebr. ענוים. — V. 13. *ἁλισθήσεται* Syrus refert ad *ἅλας*. — V. 14. *ἐπάνω ὄρους κειμένη* ut Lat. urbs Macedonibus sita i. e. condita, S. aedificata. — V. 18. *κεραία* i. e. *γράμματος ἄκρον*, Hebr. עוקץ s. קוץ litterarum aculei, eminentiae, cornicula. Syr. ܣܪܛܐ lineola, litterarum ductus, quod respondet Syrorum scripturae. Ibidem: *ἕως ἂν πάντα γένηται* ܥܕܡܐ ܕܟܠ ܢܗܘܐ donec quidquid est Legis, factum sit iuris sui. — V. 22. *ῥακά* Syrus iisdem litteris retinet (Theophyl. *κατάπτυστον*). — V. 25. *ἴσθι εὐνοῶν* Syr. concordare, consentire te facias, concordem te reddas. — V. 26. *κοδράντης* ܩܕܪܢܛܐ Rabb. et Talm. שׁמרן; sec. de Dieu pars dimidia quadrantis, Marc. XII, 42. *λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης*. — V. 29. *σκανδαλίζειν*. Recte monuerunt multi, hoc verbum explicandum esse ex Hebr. כשׁל. Item ubique Syrus. Hoc loco: si est ܡܟܫܘܠܐ ܠܟ si res est offensionis tibi, qua impingere possis, ut concidas. — C. V, 37. *ἐκ τοῦ πονηροῦ* ܡܢ ܒܝܫܐ cf. c. VI, 13. ܦܨܢ ܡܢ ܒܝܫܐ [1]). — Graecum *ὁ πλήσιον* plane respondet Syr. ܩܪܝܒܟ propinquus, proximus loco, genere, sanguine. — V. 44. *ἐπηρεάζω*. Hesych. *βιάζειν*. Syr. qui ducunt vos cum violentia, qui vos violenter tractant. — Cap. VI, 1. *τὴν δικαιοσύνην* ܙܕܩܬ̈ܐ

---

1) ܒܝܫܐ et Masc. et Neutr. esse potest. Vide cap. XIII, 38. *υἱοὶ τοῦ πονηροῦ*. I. Io. V, 18. *ὁ πονηρός*.

recte notatur in Cod. Nitr. II. ad huuc locum, significari hac voce et ἐλεημοσύνην et δικαιοσύνην. Matthaeus haud inconsulto voce posteriori utitur; in lege scriptum erat: Pauperi ne detrahas vestimentum, quod tibi erit in iustitiam. Iudaei id sibi iustitiam reputabant, quod dona dederunt. — V. 2. μὴ σαλπίσῃς Syr. ne cecineris buccina ante te. — ἀπέχουσι acceperunt mercedem suam. — V. 7. βαττολογεῖν ܦܩܦܩ Chald. obmutuit, Pa. sec. Ferrarium: effutivit, garrivit, blateravit. — Πολυλογία Syr. bene ܣܘܓܐܐ ܡܡܠܠܘܬܐ. — V. 8. ὧν χρείαν ἔχετε ܡܢܐ ܡܬܒܥܐ ܠܟܘܢ quod vobis requisitum s. requirendum est. — V. 16. σκυθρωποί (LXX pro זעפים Gen. XL, 7.; Dan. I, 10.) ܟܡܝܪ̈ܐ; monachos Iudaei כומרים vocant. — V. 19. βρῶσις ܐܟܠܐ. — C. VI, 32. ἔθνη ܥܡ̈ܡܐ ܕܥܠܡܐ. — Cap. VII, 14. τί στενή ܥܠܝܨ a ܥܠܨ coangustatus est, macruit, attenuatus est. Occurrit idem vocabulum Ies. XXVIII, 20.: ܡܫܬܠܬܐ ܥܠܝܨܐ ܠܐ ܡܣܬܦܩܐ textura nimis angusta est, quae non sufficit ad explendum. — V. 5. διαβλέψεις bene Syrus: ܢܬܚܙܐ ܠܟ perspicuitas tibi erit, potestas tibi erit animadvertendi. — V. 25. προσέπεσον Syr. bene ܐܬܛܪܝܘ irruit, conflixit, allisus, obductus est. — V. 29. ὡς ἐξουσίαν ἔχων ܫܠܝܛܐ (Einer, der damit zu schalten und zu walten versteht). — Cap. VIII, 17. ἐβάστασεν Syrus optime ܢܫܩܘܠ tanquam onus imponet sibi et portabit (Praeterita mutat in Futura). Liceat hoc loco memorare, quod in Matthaeo pleraque, quae ex Prophetis citantur, ad verba Graeca accurate redduntur, ratione non habita textus Syriaci, ut in V. T. legitur. — V. 24. σεισμός est Syr. ܙܘܥܐ. — V. 30. μακρὰν ἀπ᾽ αὐτῶν (Luc. μακρόθεν) respondet Syriaco ܠܘܬ ܡܢܗܘܢ. — Cap. IX, 15. filii thalami est Syr. ܒܢܘܗܝ ܕܓܢܘܢܐ. — V. 22. θάρσει ܐܬܠܒܒܝ (fasse Herz, fasse Muth). — V. 36. ἐσκυλμένοι καὶ ἐῤῥιμένοι. Syrus ܠܐܝܢ ܗܘܘ ܘܫܪܝܢ fatigati et soluti. Minus accurate. Significat autem interdum σκύλλω fatigare et pro ܫܪܝܢ, quod lectioni ἐκλελυμένοι responderet, Michaelis legere vult ܫܕܝܢ.

Cap. X, 16. ἀκέραιοι ܬܡܝ̈ܡܐ. — V. 32. ὁμολογεῖσθαι ἐν ἐμοί phrasis Syra est ܐܘܕܝ cum ܒ. Quod verbum in Aphel significat pp. emisit, professus est; quae accepta sunt, reddere, retribuere; ergo in aliquo collocare retributionis, professionis materiem, acquiescere in aliquo cum confessione sua omnique verborum vitaeque ratione; in aliquo habere causam gratiarum, agnitionis, laudis, confessionis. Cap. XI, 25. ubi Christus dicit: ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ . . . ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν etc. idem verbum legitur in Syr. cum ܠ, confessionem facere alicui, i. e. id tibi verum et rectum esse agnosco, ea de re tibi rationem reddo, confiteor id et profiteor et ea in re tibi laudem et veritatem et iustitiam affero et renuntio, quod etc. — Cap. XI, 11. ἐγήγερται. Haec vox saepius legitur in Evangeliis notione a Graecismo aliena. Cf. Matth. XXIV, 11.; Ioa. VII, 16. propheta non surrexit, non excitatus est. Sed respondet plane Hebr. קום I. Reg. III, 13. et Syriaco ܩܡ. Hoc verbo utuntur Syri in phrasi: constitutus s. factus est episcopus, ex. c. dixerat Abulpharagium dignum esse ܕܢܩܘܡ ܠܗܘܢ qui illis praeesset ut Mafrianus. Est porro: inclaruit, vixit; in Chronico Edess. anno 782 inclaruit Eutyches. (Cf. nostrum: es kam ein Prophet auf). — V. 11. γεννητοὶ γυναικῶν est Syr. ܝܠܝ̈ܕܝ ܢܫ̈ܐ (apud Iobum ילוד אשה LXX γεννητὸς γυναικός). — Ibidem ὁ μικρότερος. In Evangeliis μέγας et μικρός plane eadem ratione dicuntur, ut Syr. ܪܒ et ܙܥܘܪܐ. Inde cognoscitur emphasis, quae inest locutioni Matth. V. „qui vero ita facit et docet, μέγας dicetur in Regno“ (cf. רב Rabbi). ܪܒ nonnunquam dicitur id, quod per eminentiam magnum est: mandatum magnum, urbs regis magni, ubi magnus i. q. summus. Sunt et alia sibi opposita, quae plane conveniunt cum locutione Syr. ut ἀγαπᾶν et μισεῖν ܪܚܡ et ܣܢܐ. Non abs re fuerit, genuinam vim, „amandi“ et „odio habendi“ ex linguis orientalibus explicare. אהב pp. est adspiravit rei alicui, quae allicit et capit venustate sua, adspirare, in eam inclinare, in eam ferri; חבב arcte amplexus est, sibi attraxit, in gremio suo tulit et fovit. שנא autem: abstinuit re deformi, aversatus est, neglexit, odio habuit. Inde intelligitur, quam vere dicat Christus, non posse hominem amare

duos dominos, necesse esse, ut unum amet, alterum oderit. Etenim rebus duabus hominem allicientibus, non potest in utramque adspirare et inclinare; uni acclinabit, ab altera abstinebit. Plane alius notionis sunt verba alia ut שׂנֵא, quae et ipsa nos vertimus: odio habere. Sunt porro ἀγαθός et σαπρός s. φαῦλος sibi opposita, ut Syr. ܛܒ et ܒܝܫ; etenim verbum posterius pp. est id quod foetidum, putridum, emarcidum. — C. XI, 13. οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος. Syrus vulgo scribit ܢܡܘܣܐ, sed hoc loco ܐܘܪܝܬܐ, ut Pentateuchus Syriace dicitur (c. XII, 5.). — C. XI, 17. ὠρχήσασθε — ἐκόψασθε. Syrus bene eodem verbo utitur ܪܩܕ cuius notio in Pael iubilare, in Aphel plangere. Ad dictum conf. Herodotum: παίεσθέ μοι ὀρχεόμενοι, ἐπεὶ οὐκ ἐμέο αὐλέοντος ἠθέλετε ἐκβαίνειν ὀρχεόμενοι. Gemar. Sanhedr. c. XI ad Prov. XXIX, 9.: hoc est, quod ait vulgus: flevi viro, at non agnovit; risi viro, at non agnovit, ubi sensus innuitur: Sive succenseat sive ludat sapiens cum improbo et stulto, nil efficit; opera perdita est; gubernari non vult nec edoceri [1]. — Ibidem v. 19. ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς S. ܡܢ ܥܒܕܝܗ Trem. a cultoribus suis, Boder. in Reg. a servis; de Dieu vertendum monet ab operibus suis. Aethiop. ex operibus. Pers. ab operibus suis sapientia perfecta est. Ita legi in exemplaribus nonnullis, Hieron. quoque testatur. In textu Syriaco agitur de punctatione. Miror, quod Schaafius quoque vertit: a cultoribus suis, nam lectio recepta referenda ad vocem ܥܒܕܐ opus. In Lexico autem Schaafius scribit ܥܒܕܝܗ (Partic.) qui colunt, qui faciunt eam. Ita si scripsit Syrus interpres [2]), recte interpretatus est. Etenim non dubito, quin Christus dixerit, sapientiam i. e. sapientiam illius temporis, sapientiam Pharisaeorum ab omnibus, qui eam sectabantur, contra Ioannem defensam esse et probatam. — V. 20. ὀνειδίζειν Syr. ܠܡܚܣܕܘ probro exponere,

---

1) Placuit Domino saepius uti adagiis et proverbiis. Non dubito, quin ex scriptis Aramaeis et Syriacis multa promi possint ad N. T. adagia et proverbia illustranda.

2) Potest punctari quoque ܥܒܕܝܗ a servis suis; παῖς certe saepe redditur Syr. ܥܒܕܐ (c. XII, 18).

laudem gloriamque adimere atque verbis aliquem dehonestare. — V. 28. πάντες οἱ κοπιῶντες ܟܠܟܘܢ ܠܐܝܐ omnes vos, qui fessi estis laboribus, viribus extenuati. — V. 30. ὁ ζύγος μου χρηστός S. ܒܣܝܡ suavis, benignus, dulcis. — Cap. XII, 13. ἀποκατεστάθη ὑγιής plane exprimit Syr. ܐܬܚܠܡ. — V. 20. λίνον τυφόμενον Syrus Graecae vocis sonum imitatus ܛܦܛܦܐ (crepitavit flamma, fumigavit, lente extincta est. Chald. טפא extinxit). — V. 36. ῥῆμα ἀργόν S. ܒܛܝܠܐ inutilis, otiosus, s. rectius id quod a recta via deflexit et defecit, Arab. بطل quod incassum fuit et evasit; Adi. vanus, irritus, frustaneus. Inde oritur haec notionum scala: iocus, mendacium, nefas (cf. אולה). — V. 39. μοιχαλίς ܓܝܪܬܐ. — V. 43. δι' ἀνύδρων τόπων Syr. ad verbum: in locis, ubi non sunt aquae (אשר אין מים בו). — V. 55. τέκτων ܢܓܪܐ i. e. teste Ferrario: faber lignarius, tignarius. — Cap. XIV, 2. ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν haec formula ex Syriaca orta ܩܡ ܡܢ ܒܝܬ ܡܝܬܐ. — V. 2. δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. Respondet Syr. ܡܬܥܒܕܢ quod pass. fieri significat, sed active: operari, efficacem esse. Cf. Eph. III, 20., I. Thess. II, 13. — V. 6. γενέσια ܒܝܬ ܝܠܕܗ. — V. 8. προβιβασθεῖσα S. quia edocta erat a matre sua. προβιβάζειν (LXX semel pro הורה) proprie est praecedere; Orientalibus id verbum placuit propter notionem et imaginem ex vita communi sumtam. — V. 10. ἀπεκεφάλισε S. caput amputavit. — V. 17. ἄρτοι S. ܓܪ̈ܝܨܢ placenta, torta panis. B. B. Ex. XXIX, 13., Iud. VIII, 5. — V. 31. εἰς τί ἐδίστασας verbum plane Syriacum: ܐܬܦܠܓܬ. — C. XVII, 17. εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται. Syrus Schaafio interprete: atque inde purgatione eiicitur foras. ܐܦܕܪܘܬܐ λουτρών nescio num latrinam significet. — V. 24. πρόβατα τὰ ἀπωλολότα S. ܕܐܒܕܘ. — Cap. XVI, 22. ἐπιτιμᾷν Syr. ܟܐܐ quod plane respondet. Sed var. lect. ܟܠܐ. — Cap. XVII, 21. ἐκπορεύεται cf. Marc. VII, 29. Syr. ܢܦܩ quod est tum exire tum eiici. (Luc. XVI, 4.). Vox ἐκβάλλειν quoque in N. T. aliquo modo mutuata est eandem rationem, qua Syri dicere solent ܢܦܩ. — Cap. XIX, 6. συν-

ἔζευξεν Syr. eodem verbo utitur, ܙܘܓ, quod in idiomate Syriaco usitatum est de matrimonii non iugo dicam sed vinculo. 1. Tim. IV, 3., 1. Cor. VII, 36., 1. Tim. V, 14., Hebr. XIII, 4. Etiam Subst. ܙܘܓܐ meliori sensu apud Syros in usu est quam apud Graecos; ܒܪ ܙܘܓ est commilito, sodalis, socius II. Cor. VI, 14. cf. Pauli allocutio: *σύζυγε γνήσιε*. Apud Graecos rarius a poetis *ζεῦγος* de coniugio dicitur. — V. 11. 12. *χωρεῖν* S. ܣܦܩ quod vocabulum in linguis Semiticis est I. percutere ut audiatur sonus, spec. pulsavit testudinem s. vas magnum, amplum, vacuum, quod sonum dat profundum. II. evacuavit, vacuus fuit; Pa. evomuit. III. cepit, suffecit.

Cap. XX, 12. *μίαν ὥραν ἐποίησαν* S. confecerunt, absolverunt. — V. 28. *λύτρον* ܦܘܪܩܢܐ quod verbum I. redemtionem II. redemtionis pretium denotat. — V. 30. *ἔκραξαν* S. ܩܥܘ ܗܘܘ alias ܐܙܥܩܘ (v. 31). — Cap. XXI, 5. *ἐπιβεβηκώς* ܪܟܝܒ; *ὑποζύγιος* reddit Syrus ܐܬܢܐ asina domita, portando assueta opp. ܥܝܠܐ, quam vocem ante adhibuit. — V. 32. *ἰδόντες* Syrus bene amplificat illustrando: neque vero tum, quando vidistis, egistis resipiscentiam. — V. 37. *ἐντραπήσονται* S. ܢܒܗܬܘܢ. — V. 44. *συνθλάω* bene Syrus ܢܬܪܥܥ (Hebr. תְּרֹעֵם Ps. II.). Vocem *λικμήσει* Syrus reddit per ܕܪܐ, Arabs يطحنه commolet eum. Verbum utrumque convenit in notionibus variis; *λικμᾶν* enim pp. est ventilare frumentum (vid. Albertium ad l.) ut Hebr. זרה, pro quo LXX Ruth. III, 2. *λικμᾶν*. Graviorem vim induit *λικμᾶν* apud Graecos notatque perniciosam cladem et deturbationem. (LXX Dan. II, 44.). Item זרה et ܕܪܐ dispersionem significat quae fit per modum allisionis et contritionis. Zach. I, 19. illa cornua, אֲשֶׁר זֵרוּ quae frangendo et illidendo dissiparunt Iudam (zerstieben). Quare imago loci nostri ita explicanda est: „neque aliter iis eveniet, quibus lapis ille inciderit atque paleae, quae venti turbido flatu omnes in auras dissipatur; nam pondere suo gravitateque levitatem illorum et inconstantiam vapulabit; qui fructibus non sunt repleti et vacui timore Dei, eos auferet et confringet idem lapis; qui piis fundamentum veritatis iactum et columna fiduciae unica et firmissima exstructa est.“ — Cap. XXII,

13. *τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον* S. ܒܪܝܐ i. e. quod extra, quod foris est, quod extraneum, quod in deserto est. Solent Syri opponere ܕܓܘ ܒܪܐ ܐܘ ܕܓܘ ܥܕܬܐ res ecclesiasticas et profanas. — V. 15. *παγιδεύω* Syrus ܨܘܕ venatus, aucupatus est, illaqueavit, irretivit. — V. 19. *τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου* S. denarium argenti capitis; item aliis locis. — V. 35. *νομικός* ܣܦܪ ܢܡܘܣܐ. — V. 40. in duobus his praeceptis *κρέμανται* Lex et Prophetae. Cf. Hebr. תלה quod construitur cum ב et על (Es. XXII, 24.). Est imago Orientalibus vulgaris clavi, de quo pendeant quam plurima. Haec igitur mandata sunt quasi duo clavi firmissimi, duae columnae, de quibus suspendeant, in quibus haereant omnia mandata et statuta verbi Divini. — Cap. XXIII, 5. *φυλακτήρια* S. ܬܦܠܐ תְּפִלִּין. Patet omnino, Syrum in rebus Iudaeorum exercitatissimum fuisse. *κράσπεδα* (LXX = ציצית) ܬܟܠܬܐ תכלא, quod pp. est hyacinthus, inde fimbria purpurea, fimbria. — V. 7. *ἀσπασμοί* S. amplexus. Evang. Hebr. פרסות manuum expansiones, complexus. — V. 8. Syrus hoc versu legisse videtur *διδάσκαλος*, habet enim ܪܒܘܢ. Rabbi enim Graece *διδάσκαλος*. Dicunt Rabbini: גדול מרב רבי וגדול מרבי רבן וגדול מרבן שמו. V. 10. Syrus vocem *καθηγητής* (Seldenus: dux, princeps, gubernator) optime reddit per ܡܕܒܪܢܐ; ad quam vocem cui in mentem non veniant loci V. T., in quibus Deus celebratur, qui fidelium dux est et gubernator, qui peccatores benigne instituit, qui ad vitam, honorem et beatitudinem per mortem, ignominiam et miseriam perducit omnes, qui auctoritatem ipsius sequuntur. Locum luculentum affert Elsnerus ad vocem Graecam illustrandam; Plutarchus enim tradit, fuisse Alexandro plures *τροφεῖς*, *παιδαγωγούς*, *διδασκάλους*, sed Leonidam, omnibus impositum, repudiato paedagogi nomine *διὰ τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν οἰκειότητα τροφέα Ἀλεξάνδρου καὶ καθηγητὴν* appellatum fuisse. — V. 13. *προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι* S. eo praetextu, quod producitis preces vestras. — Versus 14. neque Origeni neque Eusebio lectus videtur; Syrus versum exhibet, sed proxime praecedenti antepositum, ut Arabs quoque. — V. 15. *προσήλυτος* ܓܝܘܪܐ (גר — Giaur). — V. 23. *ἡδύοσμος* ܢܢܥܐ in Talm. נניא i. q. מינתא teste Aruch. *ἄνηθον* ܫܒܬܐ eadem vox ap. Arabem,

quae sec. Golium anethum. — V. 24. διυλίζω S. ܨܠܠ excolavit, defaecavit. Orta est notio a sono aquae per multa eaque minutissima foramina fluentis. Sic Arab. صلّة notat pluviam largam, et alio notionis flexu pluviam lenem et dispersam. — Cap. XXIV, 15. τὸ βδέλυγμα etc. Syrus: si videritis ܐܬܐ ܕܛܢܦܘܬܐ ܕܚܘܪܒܐ abominabile signum vastationis, quae dicta est in Daniele propheta, quod statura sit in loco sancto. (Schaafius non recte vertit: signum abominationis desolationis, quod . . .). — V. 6. πόλεμοι S. ܩܪ̈ܒܐ contentiones, altercationes, pugnae, tribulationes. — V. 28. σῶμα S. ܫܠܕܐ, quod pp. corpus. Prooemium hoc Syrorum fuisse videtur. Marcus clarius πτῶμα. — V. 32. ἐκφύῃ intr. sumendum, ut Syrus habet, Vulg. Arabs. τὸ θέρος ܩܝܛܐ קַיִץ, quae vox ver quoque comprehendit. — V. 33. ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις — impersonaliter dictum videtur. S. ܠܗ ܕܡܛܐ prope ventum est. — V. 38. κιβωτός bene S. ܟܘܐܠܐ. Mirum est, quod neque in Genesi neque I. Petr. III. idem vocabulum legitur, sed Graecum κιβωτός. Est autem illud (quod vocalibus variis instruitur) ad rem significandam aptissimum, a capiendo, comprehendendo dictum. Idem verbum est etiam plaustrum coeleste, et ܟܘܐܠܐ navis oblonga. — V. 49. διχοτομήσει. Foedifragis minabantur antiqui, ut simili modo dissecarentur atque animalia mactata super quibus ὅρκια τέμνειν solitum erat. διχοτομήματα Gen. XV, 17. et Ex. XXIX, 17. de animalium segmentis. Syrus optime ܢܦܠܓ diffidet, dividet. — Cap. XXV, 27. τοῖς τραπεζίταις S. proiicere ܦܬܘܪܐ ܥܠ super mensam. — Cap. XXVI, 8. εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη (wozu diese Vergeudung). Vix apud Graecos ita dicitur ἀπώλεια; Syriacum est ܐܒܕܢܐ, quod simili sensu memini legi apud Bar-Hebraeum. — V. 10. κόπους παρέχετε — ܡܠܐܝܢ, ad quam vocem conferendum Ies. VII, 13. הַמְעַט מִכֶּם הַלְאוֹת אֲנָשִׁים. — V. 18. πρός σε ποιῶ Syr. ܠܘܬܟ. — V. 23. ἐμβάψας ܨܒܥ ܐܝܕܗ. — V. 29. γέννημα τῆς ἀμπέλου; ad verbum haec ex Syriaco a Matthaeo translata sunt. Omnino maxime in ultimis Evangelii capitibus est tanta Syri cum Matthaeo in omnibus et minimis confor-

mitas, ut pateat, tum Matthaeum Iesu verba atque fata postrema plane ad verbum et ex idiomate illius terrae reddidisse, tum interpretem Syrum his in capitibus summa diligentia expressisse verba Evangelistae (cf. v. 18. 23. 26. 29. 30. etc.). — V. 30. ὑμνήσαντες ܫܒܚܘ. — V. 36. χωρίον ܕܘܟܬܐ; locus, villa, fundus. — V. 37. λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Sunt vocabula peculiaria, quibus Evangelistae Iesu luctam et conflictationem in horto describunt. Syrus ܠܡܟܡܪܘ i. e. caligine obduci, tenebrisque tristitiae, moeroris omniumque dolorum ita affici ut lux fugiat, spes omnis evanescat et quae modo floruerint, ea omnia abeant in putridam, marcidam taetramque speciem et deformitatem summam. Idem vocabulum Marc. X, 22. pro στυγνάζειν, Marc. XIV, 23. pro ἐκθαμβεῖσθαι. Lex. Syr. Arab. vertit per عبوس contristatio, التكلّع morositas, خبث النفس malitia animae. Pro ἀδημονεῖν Syrus scribit ܠܡܥܩܘ arctari, angore et angustiis ita confici vehementerque premi, ut animum quis despondeat, moerore constrictus quasi et iugulatus. (Cf. בהתעטף עלי נפשי Ion. II, 8. etc.). — V. 49. ἑταῖρε Syrus ܚܒܪܝ. — V. 50. ἐφ᾽ ᾧ πάρει S. ob idne est, quod venisti? — V. 64. τῆς δυνάμεως. Vulg. addit Dei. הגבורה inter Dei nomina emphatica usitatum erat Iudaeis. Eodem verbo Syrus utitur. Hebr. VIII, 1. — V. 67. κολαφίζω ܩܦܚ pugnis caedere; fit colaphus contracto pugno. — V. 73. οἱ ἑστῶτες, Marc. XIV, 70. παρεστῶτες Syr. qui stantes erant. Dan. VII, 16. חד מן קאמיא. Io. XVIII, 26. — Cap. XXVII, 3. ἀπήγξατο S. ܚܢܩ ܢܦܫܗ (item Arabs). LXX ἀπάγχομαι pro נחנק II. Sam. XVII, 23. strangulavit, suffocavit se. — V. 14. πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα S. ne uno quidem verbo respondit. — V. 29. στέφανος ἐξ ἀκανθῶν S. ܟܘܒܐ quod vulgo vertitur rhamnus Plin. XXIV, 14. — V. 44. λῃσταί ܠܣܛܝܐ, latro, grassator, ille, qui ipse refugium habens magno conatu omnia perpetrare audet; sicarii, quibus tum referta erat Iudaea. — V. 50. ἀφῆκε τὸ πνεῦμα ܫܒܩ reliquit, deseruit, sivit, ut ipse dixerat: potestatem habeo vitam tradendi et vitam resumendi. — V. 53. καταπέτασμα ܐܦܝ ܬܪܥܐ cf. Ies. XXV. פני הלוט. — V. 57. σινδόνι καθαρᾷ S. involvit involucro lini mundi

(lib. Iuchasin fol. 54, 2.). — Cap. XXVIII, 19. μαθητεύσατε non dubito, quin Matth. hoc vocabulum elegerit ad reddendum id ipsum, quo Christus usus erat ܬܠܡܕܘ. Multo gravius id est quam „docere“; est enim „discipulos facite“. Sicut Christus duodecim illos fecerat discipulos suos, ita ipsos in mundum exire iussit, ut gentes eiusdem doctrinae discipulos facerent, quam ex ore magistri acceperant; quare additur: docentes eos servare omnia, quae vobis mandavi. Quare qui fidem acceperunt, μαθηταί dicebantur omnes et apud Syros ܐܬܬܠܡܕ est i. q. Christianum fieri. Plura hac de voce vide in Lex. Cast. ed. Mich.

Sufficiet haec obiter tetigisse et quasi digito demonstrasse, ut cuique linguae Syriacae perito probatum sit, quam bene et feliciter Graecitas Matthaei illustretur ex versione Syriaca. Apparet enim, Matthaei verba plane respondere idiomati Syriaco, ita ut ex versione nostra quibus verbis Dominus noster ipse usus sit, plerumque cognosci possit. Id nonnunquam cum magna animi oblectatione admiratus sum, quam scite Apostolus verba Syriaca in Graecum transformaverit. Tantum enim abest, ut Matthaei color Aramaeus in opinionem nos deducat, Syriace Matthaeum scripsisse, ut ex ipsa versionis collatione certissimum nobis sit, textum Matthaei Graecum authenticum, ab ipso Apostolo scriptum et genuinum esse. Quia maxime in Iudaeorum usum Evangelium hoc scriptum erat, verisimile est, iam pridem eius versionem Aramaeam (Hebraicam) factam esse, quae postea tanquam authentica venditabatur. Apud Syros fama vulgaris erat, Matthaeum in Palaestina scripsisse Hebraice; sed quis quaeso Evangelium Hebraicum illud inspexit? versionem Syriacam factam esse ex Matthaeo nostro in conspicuo est [1]).

Neque tamen in Matthaeo solum, sed etiam in libris ceteris ad vocabula et locutiones a scriptoribus sacris adhibitas rite illustrandas multum profert versio Simplex, quia origines Graecitatis N. T. in usu Syriaco quasi indagandas praebet. Qua in re in-

---

1) Verba Graeca in Syriacum Matthaei textum assumta habes haec: στρατιῶται, σπεῖρα, ἄρχων, τετράρχης, γένος, ἀναγκή, χλαμύς, βῆμα, σπόγγος, πίναξ, θρόνος, σπυρίς, κόφινος, κλεῖδες, ξένος, λῃσταί, λαμπάδες, μαργαρίτης, — porro verba Latina: Praetorium, centurio (VIII, 4. ἑκατόνταρχος) etc.

terpretis nostri virtus et facultas eximia conspicitur ea, quod linguae suae peritissimus, in rebus Iudaicis satis exercitatus, propriam vim verborum et dictionis colorem quam plurime ita expressit, ut Iesu et Apostolorum sermonem ipsum in illo refulgere videamus. Ad versionis indolem describendam adiiciamus aliquot exempla interpretationis partim bonae partim singularis. Matth. VI. oratio dominica iis verbis legitur in versione nostra, quae vix multum differunt ab ipsis Domini nostri. Mirum est, quod ἄρτος ἐπιούσιος redditur: ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ, quod vertunt panem sufficientiae, Trem. necessitatis, Boder. indigentiae nostrae. (Arabs خبزنا كفافنا). Panis, quo nobis opus est, quo indigentiae nostrae et necessitati succurritur. Quae interpretatio eo magis memorabilis est, quum certissimum sit, Evangelistas verbo ἐπιούσιος respexisse ad verbum Aramaeum, quo Christus usus erat. Ἐπιούσιος — Origenes ait — παρ᾽ οὐδενὶ τῶν Ἑλλήνων οὔτε τῶν σοφῶν ὠνόμασται. Suidas: ἄρτον τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζοντα. Philoxen. ܠܚܡܐ ܕܠܢ ܗܘ ܡܣܘܢܩܢܐ panis, qui nobis est necessarius, respondens necessitati nostrae. (Hieros. ܠܚܡܢ ܕܦܢܩܘܬܐ panis noster opulentiae.) Ad commendandam hanc versionem facit locus Talmudis a Lightfooto laudatus: necessitates populi tui Israelis sunt multae et cognitio eorum tenuis (ita ut non norint necessitates suas patefacere); sit beneplacitum tuum, ut des unicuique כדי פרנסתן quod sufficit in alimentum. Ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, Syrus recte ex phrasi Iudaeis usitata reddit: ܘܫܒܘܩ ܠܢ ܚܘܒܝܢ. Eodem verbo ܚܘܒܬܐ utitur c. XVIII, 21. pro Gr. δάνειον; v. 14. autem ὀφειλήματα reddit ܣܟܠܘܬܗܘܢ (נבלה) id quod vituperio et poena gravissima dignum, ἀδίκημα, flagitium. Ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ plane respondet Syriaco: ܦܨܢ ܡܢ ܒܝܫܐ, ad quae verba iterum consulendus Lightfootus. — Cap. XI, 12. ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν Syr. ܒܩܛܝܪܐ ܡܬܕܒܪܐ ܘܩܛܝܪܢܐ ܚܛܦܝܢ ܠܗ. Satis miror, quod interpretes fere omnes verba haec intelligunt bono sensu de ratione, quomodo quis in regnum divinum intrare debeat; a quo errore ne Syrus quidem liber est, (Luc. XVI, 16. ܟܠ ܠܗ ܒܥܐ ܕܢܥܘܠ); sed Syri verba satis probant, verba Graeca

tractationem duram, violentam, superbam significare atque versum de iis explicandum esse, qui vim inferant et sibi quasi arripiant regnum divinum. Phrasis enim Syriaca: per violentiam ducere idem est, quod violenter tractare. Luc. VIII, 29., XV, 23., Act. VII, 24. Quare recte Ferrarius et de Dieu: violenter tractatur. Arabs: cogitur, vim patitur (ἀδικούμενος). Item ܚܛܦ ut Gr. ἁρπάζειν vim, violentiam et iniuriam exprimit. — Cap. XV, 5. δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφελήθῃς ܩܘܪܒܢܝ ܡܕܡ ܕܬܬܗܢܘܢ ܡܢܝ i. e. donum Deo id sacravi, ex quo vos a me vultis adiuvàri, unde utilitatem vultis a me percipere; ergo non licet tibi, ex meis tibi aliquid adsciscere, quoniam omnia Deo devovi (כל מה שאני אעשה לפי אבא כקרבם). In vers. Philox. legitur hoc scholion Iacobi Edesseni: „Abibat unus eorum et habitabat cum sacerdotibus. Et veniebat pater eius aut mater et imbecilles corporibus atque senes se fingebant dicebantque ei: honora nos (dono da nobis) omnibus in rebus, quibus egebant. Responderunt illis sacerdotes: quae vos postulatis, ut a nobis accipiatis, sunt Dei sacrificium etc.“ —

Exemplis his ex Matthaeo sumtis, quibus alia multa ex eodem addi possunt, pauca tantum subnectam ex aliis libris, quo magis versionis nostrae usus exegeticus commendatus sit. Marc. X, 22. ὁ δὲ στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ etc. στυγνάζω est pp. vultu taetro, nigro, tristi affici, plane igitur respondet verbo, quo utitur Syrus כמר (ein bös, sauer Gesicht machen, finster werden). — Cap. XIV, 70. ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει phrasis Syriaca esse videtur; Pesch. et Phil. ܕܡܐ similis est. In eod. cap. phrasis ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν v. 56. convenit cum usu Syrorum. Ibid. v. 72. ἐπιβαλὼν ἔκλαιε S. incepit flere. — Luc. II, 25. σημεῖον ἀντιλεγόμενον ܐܬܐ ܕܚܪܝܢܐ signum litis, contentionis, iurgii, obstinationis. ܐܬܚܪܝ repugnavit, litem movit, altercatus est; quare respondet Hebraeo מי מריבה, LXX ὕδωρ ἀντιλογίας (Num. XX, 13.) et מרה. — Cap. V, 10. ἔσῃ ζωγρῶν S. eris capturus (venaturus) ad vitam. — C. XII, 29. καὶ μὴ μετεωρίζεσθε Luth. fahret nicht hoch her. Syr. ܘܠܐ ܢܦܠܓ ܗܘܐ ܪܥܝܢܟܘܢ ܒܗܠܝܢ ne aberret, evagetur cogitatio vestra his in rebus. Idem verbum reperitur Ier. III, 14. pro שובבים ex vers.

vers. Symmachi. — C. XVIII, 11. σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν προςηύχετο Syrus: stabat seorsim cum se ipso et precatus est. — Io. XIV, 1. πιστεύετε εἰς τὸν θεὸν καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε; Syrus Imperativum scribit: fiduciam collocate in Deo et in me fiduciam collocate. V. 19. ἔτι μικρὸν καὶ ὁ κόσμος με οὐκέτι θεωρεῖ, ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με. Syrus verba ἔτι μικρόν ad versum priorem attrahit: venturus enim sum ad vos paulo post. Et mundus non visurus est me etc. quia ego vivo, vos quoque vivetis. — Act. I, 4. συναλιζόμενος quum ederet cum iis panem. — C. II, 24. λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου (v. l. ᾅδου) Syrus ܫܪܐ ܚܒ̈ܠܝܗ ܕܫܝܘܠ quae verba et ipsius Petri fuisse videntur et ad V. T. locos parallelos respiciunt. — C. X, 36. οὗτός ἐστι πάντων κύριος. Syrus hoc loco forma emphatica utitur ܡܪܝܐ, quam Syri Tetragrammaton vocant, qua significari dicunt: dominationem, maiestatem, essentiam, aeternitatem (v. Schaafium in Lexico). — C. XXVIII, 12. ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται Syr. quia a nemine accipitur, unde probabile, eo tempore scriptam esse versionem nostram, quo vix multi ad doctrinam Christianam accesserant. — Rom. I, 10. εἴπως . . εὐοδωθήσομαι Syr. si quando aperiatur mihi via, ad quam locutionem cf. Pauli verba alio loco obvia: ἀνέῳγη μοι θύρα μεγάλη. — C. IV, 17. Syrus: coram Deo, cui fidem habuisti, quod mortuos vivificat. Pers. II utitur, ut Vulg. — V. 21. πληροφορηθείς Syr. optime ܐܫܪ; quod verbum in Kal et Pael significat: eventu comprobatus est II. Sam. XVII, 23.; Ps. 105, 19.; Act. III, 7. Ergo eventu probatus, ad plenam veritatem certitudinemque perductus, consolidatus et certificatus est. Aliis quoque locis verba πληροφορεῖν et πληροφορία Syrus optime reddidit. — C. III, 23. locus hic celeberrimus a Syro transfertur rectissime: quia omnes peccaverunt ܘܚܣܝܪܝܢ ܡܢ ܬܫܒܘܚܬܗ ܕܐܠܗܐ. Voce ܚܣܝܪ Syrus saepius utitur, ut exprimat ἄφρονες Eph. V, 17. carentes mente, ἀπιστίαν Rom. II, 23. etc. ܬܫܒܘܚܬܐ reperitur ex. c. I. Petr. II. pro ἀρεταὶ τοῦ θεοῦ. Sensus igitur est: homines carere ea, quae Dei et in Deo est, rerum perfectarum, gloriosarum, laudabilium copia; in statum et habitum omnes delapsos esse, ut frustra apud eos requiratur ea, in qua creati sunt, gloria et virtus. Verba versus sequentis ita reddit Syrus: . ܘܡܙܕܕܩܝܢ ܒܛܝܒܘܬܐ ܡܓܢ

ܘܒܦܘܪܩܢܐ ܕܒܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܗܢܐ ܕܩܕܡ ܣܡܗ ܐܠܗܐ ܚܘܣܝܐ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܒܕܡܗ. — C. VI, 7. *δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας* Syrus sententiam Apostoli bene explicat ܐܬܚܪܪ ܠܗ liberatus, liber factus, manu missus est, quo eodem verbo utitur c. VII, 2. *κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός.* — Cap. VII, 6. *νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου* S. ܐܬܒܛܠܢ aboliti sumus pp. inutiles, otiosi redditi sumus, abrogati sumus, ita ut etiamsi velimus, tamen non possimus neque liceat nobis de operibus Legis curare et in Lege operari, quia per Christi mortem ad hanc rem plane inutiles facti sumus, ut hac ab re abstinere et cessare debeamus. Ceterum Syrus non legit *ἀποθανόντος* sed *ἀποθανόντες.* — C. VIII, 27. *ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας* Syrus verbo utitur ܡܓܫܫ (ܓܫ) palpavit, perscrutatus est; i. e. qui cordis intestina et abscondita palpando perquirit et explorat. In eod. versu *ὅτι κατὰ θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων* Syrus convenit cum Luthero: quia secundum voluntatem (beneplacitum) Dei pro sanctis orat. Cum Luthero et alias Syrus consentit, ex. gr. in reddendis verbis: *εἰς εὔκαιρον βοήθειαν* Hebr. IV, 16.: Luther: zur Zeit, wo Hülfe noth sein wird; Syr. ad auxilium, quando angustia nos presserit. — C. IX, 12. maior minori serviet. Syrus male: natu maior minori. — C. XII, 16. *τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες* S. idem, quod de vobis ipsis curatis s. cogitatis, etiam de fratribus vestris sc. cogitate. — I. Cor. VII, 35. *οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω* Syrus bene: nequaquam laqueum (ܡܚܢܩܘܬܐ) iniicio vobis, qui vobis sit quasi ad strangulandum, illaqueandum, irretiendum. — C. II, 17. *καπηλεύοντες* ܡܡܙܓܝܢ verbum miscere, ut vinum miscere solent. — I. Cor. XI, 10. *ἐξουσία* in capite mulieris, Syrus haud inepte ܦܘܠܓܢܐ ne appareat talis, quae proprii arbitrii esse velit, cui non sit dominus et dominatus. — II. Cor. V, 19. Deus erat in Christo et reconciliavit mundum cum se ipso. Syrus: conciliavit mundum ܥܡ ܦܪܨܘܦܗ; vocem singularem eligit, ut pronomen „ipse" de Deo exprimat. — C. VI, 16. *εἴδωλα* Syrus ܦܬܟܪ̈ܐ. — Gal. II, 2. *τοῖς δοκοῦσι.* Mira est versio Syri: cum iis, qui putabantur aliquid esse inter me et ipsos, i. e.

qui dignitate me superare videbantur. — Eph. I, 4. ἐν ἀγάπῃ Syrus cum προορίσας ἡμᾶς connectit. — V. 10. ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν 'I. X. Syr. ut omnia a principio renovarentur in Christo. — Phil. II, 5. qui quum esset ܒܕܡܘܬܗ ܕܐܠܗܐ nequaquam duxit ܚܛܘܦܝܐ (rapinam, praedam), quod erat ܦܚܡܐ ܕܐܠܗܐ (aequalitas, comparatio, exemplar, par, aequalis Dei) sed se ipsum ܣܪܩܗ (evacuavit). (Verbum ܚܛܦ significat quoque: sibi arrogavit, cum vi sibi arripuit. Vid. Hahn et Sieffert Chrest. in Lex.). — C. II, 13. καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας S. falso: tam velle quam agere id quod vultis. — V. 15. λόγον ζωῆς ἐπέχοντες quod sitis illis loco salutis. C. III, 12. et curro, si quo modo apprehendam id, cuius causa (ἐφ' ᾧ) apprehendit me I. Chr. — II. Tim. IV, 13. φελόνην Syr. de theca librorum explicat. — Hebr. IV, 13. πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος Syrus optime: ܕܠܗ ܥܬܝܕܝܢ ܠܡܬܠ ܦܬܓܡܐ cui rationem reddere debemus. — Iac. V, 11. τὸ τέλος τοῦ κυρίου Syrus explicat: et finem (exitum), quem fecit ei Dominus, vidistis i. e. ad quem beatitudinis finem Dominus Iobum perduxerit ex miseriis, compertum habetis. — I. Petr. III, 2. ἄνευ λόγου S. singulariter neque recte: sine labore et opera. — C. V, 5. τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε ܐܬܥܛܦܘ ܡܟܝܟܘܬ ܠܒܐ induimini circumcirca animi submissionem, contritionem. — I. Io. II, 9. vocem παῤῥησία Syrus reddere solet: faciem detectam, unde phrasis Pauli lucem accipit II. Cor. III, 18.: ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι.

Cap. V.

De usu dogmatico.

Postquam exemplis illustravimus, qui usus versionis Syriacae in rebus criticis et exegeticis esse possit, pauca denique specimina proferemus, quae ad res dogmaticas et dogmatum historiam pertinent. Id quod saepius diximus, bona in versione nostra mixta esse malis, recta perversis, idem apparebit doctrina interpretis Syri in singulis fidei articulis examinata.

Doctrina de Iesu Christo, deo vero et homine vero. — Locum nobilissimum de Trinitate I. Io. V, 7. in vers. Syr. desiderari et in loco altero de Christo I. Tim. III, 16. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, vocem Θεὸς vel plane omissam vel cum Pron. ὅς commutatam esse, supra monuimus. Inde suspicari quis possit, versionem Syr. dogmati Ebionitarum ab incunabulis indulsisse; neque defuerunt, qui Nestorianorum opiniones in illa latere pro certo haberent [1]). Sed hoc plane erroneum et fictitium est. Praebet versio documenta praeclara et satis multa ad Trinitatem et divinam I. C. personam probandam. Act. X, 36. Petrus nuntium de I. Chr. filiis Israel allatum esse dicit, quod ille sit πάντων κύριος. Quemadmodum ὁ κύριος in vers. Alex. et in N. T. respondet Hebraeo יהוה, item Syrus hoc loco forma emphatica utitur ܡܪܝܐ, quae in V. T. pro יהוה scribitur, quae Syris posterioribus nomen tetragrammaton dictum simili modo sanctum et mysterii plenum videbatur atque nomen Iehova Iudaeis. Scribitur vulgo forma illa emphatica de Deo Patre, sed interdum de Filio; legitur etiam de Spiritu Sancto. Etenim II. Cor. III, 18. verba καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος Syrus vertit: ܐܝܟ ܕܡܢ ܡܪܝܐ ܪܘܚܐ ut a Domino Spiritu, Genitivum κυρίου non de Christo explicans, sed connectens cum voce πνεύματος. Enuntiatur igitur nomen Domini, quod Deo soli competit, de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto. Ea de causa addit quoque Syrus Io. VII. Spiritus nondum datus erat, ne de aeternitate Sp. S. dubitetur. Christus homo verus et deus verus in Scriptura Syrorum docetur I. Cor. XV, 47. ܒܪܢܫܐ ܕܬܪܝܢ ܡܪܝܐ ܡܢ ܫܡܝܐ homo secundus Dominus e coelo. Iesum Christum esse Deum verum, Syri palam confitentur his quoque in locis: Matth. I, 23. nomen

1) Indolem non Monophysiticam sed Nestorianam redolere vers. Syr., statuunt St. Ev. Assemani (Cat. Bibl. P. I. T. II. p. 188.) et Adlerus de verss. pag. 39. Lectiones Nestorianis faventes genuinas esse iactat licet plane rerum harum inscius Gibbonius cap. 47. not. 35.

2) Cf. Bar Bahluli glossam in Lex. Schaafii et Castelli (ed. Mich.). Connexus inter Iudaeos et Syros in rebus plurimis conspicitur. Rabbini paulo post Apostolorum tempora pro מרך אתא dicere coeperunt: שם אתא. Satis mirum est, quod pro Bariesus legitur in vers. Syr. Bar Schumo, quasi nomen Iesu violari putassent Syri in viri istius nomine.

Emmanuel redditur a Syro ܥܡܢ ܐܠܗܢ nobiscum Deus noster. Ioa. XX, 28. Thomas dicit Christo: ܡܪܝ ܘܐܠܗܝ Domine mi et Deus mi [1]). Observatione dignissimus est locus insignis Ioa. I, 1. qui ita legitur in vers. Syr. ܒܪܫܝܬ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܡܠܬܐ . . . ܘܐܠܗܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܗܘ ܡܠܬܐ i. e. in principio erat Verbum et hoc Verbum erat ad Deum versus et deus erat hoc Verbum. Ubi plura monenda sunt. Primum quod *λόγος* vertitur ܡܠܬܐ verbum, quare, versionibus antiquis in hac explicatione consentientibus, interpretes videant, quo iure Philonis notionem ex philosophia Platonica desumtam in Evangelium insinuent. Deinde recte Gutbirius notavit, antiquitatem Syriacam a primis inde nascentis ecclesiae temporibus per inusitatam verborum constructionem fidei mysterium hic innuisse; etenim ܡܠܬܐ quod feminini generis, hoc loco cum verbo masculino iungitur, unde patet, Verbum dici hypostaticum, Verbum utpote personam divinam [2]). Porro Syrus non scribit simpliciter ܗܘܐ sed ter ponit ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ; quocum conferenda sunt verba Hebr. I, 3. de Filio haec asserentia: ܕܐܝܬܘܗܝ ܫܘܦܪܐ ܕܫܘܒܚܗ ܘܨܠܡܐ ܕܐܝܬܘܬܗ. Neque id negligendum, quod Syrus, qui vulgo articulum non exprimit, hic scribit ܗܘ ܡܠܬܐ hoc verbum. Addendus locus Rom. IX, 5.: ex quibus apparuit Christus secundum carnem, qui est Deus supra omnes, cui (sint) laudes et benedictiones in saecula saeculorum, Amen. Quod Syri testimonium tacuit Wetstenius, adeo in contrarium flexit Grotius; ad quem locum scholiastes autem Syrus in M. S. Ridl. scripsit: „obturentur ergo ora Nestorianorum, qui eam, quae peperit Christum in carne, *θεοτόκον* esse negant.“ Item I. Io. V, 20. dubium non est, quin ad Filium retulerit Syrus verba Apostoli: *οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος*; scribit enim: ܗܢܘ ܗܘ ܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ ܘܚܝܐ ܕܠܥܠܡ. Item Tit. II, 13.: ex-

1) Ex hoc loco Iacobitae denominationem sumsisse videntur, qua saepissime utuntur: Dominus noster et Deus noster, I. Chr.

2) Simili modo Apoc. XIII, 1. bestia dentata, quia Antichristum designat, nonnisi cum masculinis iungitur.

spectantes spem benedictam et revelationem ܕܐܠܗܐ ܪܒܐ ܘܡܚܝܢܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ad Iesum Christum utrumque praedicatum retulit Syrus: Dei magni et servatoris nostri, quia ܕ non repetiit ante ܡܚܝܢܢ; neque verba Graeca τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, si regulam grammaticam de articuli positione (Winer §. 18, 4. 5.) observas, aliter construes. Quod Filius Patri non ὁμοιούσιος sed ὁμοούσιος est, probatur ex Syrorum Scriptura: Ioa. V, 18. Iudaei eum interficere quaerebant, quia, quod Deus pater ipsius esset, dicens erat et aequalem fecit ܫܘܝܗ (ἴσον) se ipsum cum Deo. Item Phil. II, 6. nequaquam rapinam duxit τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, quod erat ܦܚܡܐ ܕܐܠܗܐ (vide supra Hebr. I, 3.); ܦܚܡ autem est: mensus est et eiusdem mensurae, eiusdem pretii cognovit; aequalis, aequiparatus fuit; aptus, dignus, par negotio fuit; unde Subst. comparatio, (aequalis), exemplar. Quo loco Christus de se testatur: Pater et ego ἕν ἐσμεν, Syrus scribit ܚܕ ܚܢܢ quod non tantum est eiusdem consilii sed ita uniti sumus, ut utrum de Patre an de Filio cogites, eadem sit utriusque substantia, voluntas, vis et veritas; sicut Christus alio loco dixit, qui me videt, videt Patrem; ut non possit quis cognovisse et vidisse Filium, quin cognoverit et viderit in Filio Patrem. — Christi opus salutare optime illustrari ex iis verbis, quibus Syrus verba Graeca: σωτήρ, σωτηρία, λύτρον, καταλλάσσω et similia reddit, supra monuimus; unum hoc loco proferamus, quod Syrus ubique, quando Christum περὶ vel ὑπὲρ ἡμῶν passum esse Scriptura docet, particula ܚܠܦ utitur, ex. c. Matth. XXVI, 28. hic est sanguis meus . . ., ܕܚܠܦ ܣܓܝܐܐ ܡܬܐܫܕ item I. Tim. II, 6. ܗܘ ܕܝܗܒ ܢܦܫܗ ܦܘܪܩܢܐ ܚܠܦ ܟܠ ܐܢܫ; Tit. II, 14.; I. Petr. III, 18. etc. etc. Syrus igitur pro certo habuit, passionem et mortem I. Chr. expiatoriam et vicariam fuisse.

Quodsi vero interpres Syrus locos plurimos de Christo agentes optime reddidit et recte explicavit, restant alii, in quibus nescio quo aberravit. Iam illud mirum est, quod Io. I, 18. pro μονογενὴς υἱός legitur ܝܚܝܕܝܐ ܐܠܗܐ unigenitus

Deus [1]), qui est in sinu Patris; quod tamen ita illustrari potest, ut ex doctrina Trinitatis Deus Pater ἀγέννητος et Deus Filius γεννητός a Syro distincti sint [2]). Sed aliter res se habet Hebr. II, 10. et Hebr. V, 7. Lectionem Hebr. II, 10. „ipse enim Deus per gratiam suam pro omnibus gustavit mortem," ab interprete ipso originem duxisse puto; nam non solum Arabs eandem repraesentat, sed etiam Ephraemus, quantum ex commentario eius Armeniace edito cognoscere licet, ita legisse videtur, ut P. Boetticherus familiariter mecum communicavit. Porro Hebr. V, 7. verba ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ leguntur Syriace: ܐܦ ܟܕ ܒܣܪܐ ܠܒܝܫ ܗܘܐ etiam quum carne vestitus (indutus) esset. Ibidem cap. X, 5. σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι Syrus vertit: ܦܓܪܐ ܕܝܢ ܐܠܒܫܬܢܝ corpore autem induisti me [3]). Est quidem tenendum, de ep. ad Hebraeos satis dubium esse, num ab eodem interprete translata sit a quo libri ceteri, sed quae in hac epistola palam profertur doctrina, ea in universa versione delitescit. Etenim ut Patres ecclesiae primaevae in eam sententiam fere omnes declinant, Filium Dei aeternum parasse sibi et assumsisse corpus ex utero virginis, haec inquam doctrina, secundum quam veteres in Christo de corpore humano fere solo cogitabant, versioni Syriacae familiaris esse videtur. Mysterium illud magnum, rationem humanam excedens: quod Deus patefactus in carne, et iterum: Verbum caro factum est, et iterum:

---

1) Aliter verti non posse puto; ܝܚܝܕܝܐ in locis Evangeliorum aliis ubique est filius unigenitus. Eandem lectionem apud Nestorianos reperiri, benigne mihi exposuit Vir Cl. Roediger.

2) Doctrinam Trinitatis Syro plane consuetam et familiarem fuisse, inde quoque patet, quod pro θεὸς καὶ πατήρ ubique scribit: Deus Pater. Simili modo pro κλητὸς ἀπόστολος scribit: vocatus et Apostolus; nam κλητός in lingua ecclesiastica idem fere quod frater, Christianus. — Vocem παράκλητος Syrus retinet Io. XIV; eadem Christus ipse uti potuit, nam in linguam Iudaeorum recepta erat (Targ. Iobi XXXIII, 23. p. מליץ).

3) Hebr. II, 16. nequaquam enim ex angelis assumsit, sed ex semine Abraham assumsit, — ubi ex mente Syri ni fallor supplendum — carnem et sanguinem. — Memorabilis est etiam locus II. Cor. IV, 6.: quia Deus, qui dixit, ut e tenebris lux oriretur, ipse ortus est in cordibus nostris. Cf. carmen Narsetis ab Hanebergio editum.

qui non confitentur Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί — non revelatum erat interpreti Syro. Etenim non intellexit, quid πνεῦμα quid σάρξ in Scriptura significaret; quamquam enim interdum σάρξ per ܒܣܪܐ vertit, plerumque tamen σάρκα idem habet quod σῶμα, ut I. Petr. III, 18. θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι: et mortuus est (in) corpore et vixit (in) spiritu [1]). Atque hoc errore Syrorum doctrina universa infecta est, qui ubi de humanitate I. Chr. agitur, ܦܓܪܢܘܬܐ corporalitatem dicere solent, vel ut in Symbolo Apostolico legitur: ܐܬܦܓܪ incorporatus est. Hoc errore per Scripturam Syrorum ipsam propagato, non mirum est, quod alii ad Nestorianorum alii ad Monophysitarum dogmata delapsi sunt.

De iustitia fidei. — Summus Lutherus gravissime reprehensus est a Catholicis, quod Rom. III, 28. scripsit „sola fide". At vero illud „sola" minime a sententia Apostoli abesse, potius inhaerere sermoni et connexui, testis est interpres Syrus, qui simili modo (Arabe ipsum secuto) Rom. IV, 5. inseruit particulam ܒܠܚܘܕ: ei vero, qui non operatur, sed credit tantum in eum, qui iustificat peccatores, reputatur ei fides sua in iustitiam. Omnino interpreti nostro non ignotum fuisse, quid Apostoli de fide loquentes intellexerint, ex aliquot locis demonstrabimus. In ep. ad Hebr. fidei notio haec exstat in Scriptura Syriaca, c. XI, 1: ܐܝܬܝܗ ܕܝܢ ܗܝܡܢܘܬܐ ܦܝܣܐ ܥܠ ܐܝܠܝܢ ܕܐܝܬܝܗܝܢ ܒܣܒܪܐ ܀ ܐܝܟ ܗܘ ܕܗܘܝܢ ܠܗܘܢ ܒܣܘܥܪܢܐ . ܘܓܠܝܢܐ ܕܐܝܠܝܢ ܕܠܐ ܡܬܚܙܝܢ i. e. est autem fides persuasio super (de) illis, quae

1) Cf. I. Petri II, 11.; Rom. XIII, 14.; II. Cor. I, 12.; Matth. XIX, 6.; XXVI, 41. etc. Rom. VII, 14. optime quidem Syrus vertit verba: ὁ νόμος πνευματικὸς — ἐγὼ δὲ σαρκικός — ܕܪܘܚ : ܕܒܣܪ; plerumque autem adiectivum σαρκικός reddit per ܦܓܪܢܝܐ. I. Cor. III, 1.; Hebr. VII, 6.; Io. VIII, 15. Quod discrimen statuendum inter ܦܓܪܢܐ et ܦܓܪܢܝܐ (quod multo rarius legitur), mihi non patet. Proprie פגר est cadaver, ex quo sanguis effluxit; גשם moles, id quod crassum est, quod gravi mole succumbit, inde corpus; sed apud Syros פגר de corpore et mortuo et vivo dicitur.

sunt in spe, tanquam essent in actu (effectu), et est revelatio (manifestatio) eorum, quae non conspiciuntur. Fides igitur res, quas a Deo promissas et verbo divino propositas speramus, ea persuasione et veritatis firmitate amplectitur et obtinet, quasi iam essent in facto; futura ut praesentia, promissa ut praestita, ea quae solo verbo continentur, ut re ipsa apparentia possidet; eadem est manifestatio et revelatio rerum earum, quae non conspiciuntur, ita ut res divinae et invisibiles revera adsint, detegantur, coram omnibus manifestentur et probentur ipsa fide. Vox Syriaca ܗܝܡܢܘܬܐ per se ipsa multo magis quam Graecorum *πίστις* fidei notionem veram exprimit; nam eam animi indolem innuit, qua quae vera sunt pro veris habentur et fiducia cordis collocatur in eo, quod et firmissimum et certissimum est. Rom. III, 25. Syrus vertit: ܗܢܐ ܕܩܕܡ ܣܡܗ ܐܠܗܐ ܚܘܣܝܐ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܒܕܡܗ .... ille, quem a principio (antiquitus) posuit Deus propitiatorium (pp. rem s. personam, propter quam et in qua Deus parceret et indulgeret, quominus occideret et perderet) in fide, quae est in sanguine illius, propter peccata nostra, quae antea peccavimus, — in spatio, quod dedit nobis Deus in longanimitate sua ad ostensionem iustitiae suae, quae est in tempore hoc: ut ipse sit iustus et iustificet in rectitudine s. firmitate, probitate (ܘܢܙܕܩ ܒܟܐܢܘܬܐ) illum qui est in fide illa, quae est Domini nostri I. Chr. Vocem ܒܟܐܢܘܬܐ ex suo addens Syrus innuit, fieri in iustitia et veritate, ergo unam firmam certamque esse eam iustificationem, qua Deus iustus iustificet credentes in I. C. Phil. III, 9. ut reperiar in illo, ubi non est iustitia mei ipsius, illa quae ex lege, sed illa quae est ex fide Christi, quae est iustitia quae est a (ex) Deo. Quibuscum verba v. 10. (*τοῦ γνῶναι αὐτόν*) Syrus ita connexuit, ut in fide hanc cognitionem sitam esse scribat: ܕܒܗ ܐܕܥ in qua s. ut per eam cognoscam Iesum et vim resurrectionis eius et fiam particeps passionum eius etc.

Veruntamen ne ita quidem interpres Syrus, licet satis bene de fide docuisse videatur, expertem se servavit illius erroris, quod non tam fide quam operibus vera pietas et religio constet. Gal. V, 16. *πίστις δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη* a Syro

redditur: ܕܡܫܬܡܠܝܐ ܒܚܘܒܐ[1]) quae perficitur in amore s. dilectione. Ergo non vidit, Paulum in hac epistola loqui non de tali fide, quae ad perfectionem aliqua re egeat — sed hoc ipso loco Paulum describere eam fidem, quam omnino dicat et velit, fidem veram, vivam, quae ex sua ipsius natura efficax est, efficacem se praestat in amore Dei liberatoris nostri et amore fratrum. Utinam vero amorem et opera amoris docuisset Syrus! sed in eam doctrinam et ipse delabitur, quae ecclesiam Syriacam universam pessumdedit; laudari enim ab eo opera abstinentiae et pravae humilitatis, satis conspicuum est ex capite illo, quo maxime et Hieronymus et omnes semper monachi in vitae asceticae laude confirmari se putabant. I. Cor. VII, 5. Apostolus scribit: *μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μήτι ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ.* Syrus verba posteriora corrumpit et pervertit: nisi quum consenseritis de tempore, quo affligatis vos (ܬܬܟܢܘܢ)[2]) ad ieiunium et precationem. Ibidem v. 6. *τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην* . . Syrus: hoc autem dico t a n q u a m i n f i r m i s (ergo quasi per indulgentias et ad vos descendens) non vero ex mandato; v. 7. ego enim cupiens sum, ut omnes homines similes mei sint i n p u r i t a t e. Ibidem v. 21. ubi Apostolus scribit, si qui servus liber fieri possit, ut libentius occasione s. libertate utatur, Syrus in contrarium flectit sententiam (ut interpretes quoque haud pauci): Etiam si potueris liber fieri, elige tibi, ut servias. Ergo abstinentiam, afflictionem corporis per ieiunium, puritatem vitae coelebis, voluntariam servitutem Syrus tum prava expositione tum additamentis in textum intrusis [3]) tanquam doctrinam apostolicam venditat. Item verbum *σωφρονεῖν* plerumque de castitate Syrus exposuit Tit. II, 4. 6. etc. Quantopere doctrinae istius venenum inter Syros postea se diffuderit, cuique compertum est.

---

1) Idem vocabulum habes Iac. II, 22. *ἡ πίστις ἐτελειώθη*; sed Iacobus ex professo id agit, ut inter fidem et fidem discrimen faciat, fidem mortuam et fidem vivam.

2) Idem vocabulum in V. T. occurrit, in quo praecepta non multa de ieiunio, quae Pharisaei autem amplificaverant. Pharisaeorum mandata et traditiones iam Apostolorum tempore in ecclesias invecta sunt.

3) *Νηστείαν* addunt v. 5. etiam Cyrillus Alex. et edd. aliquot. Millius: quod preces ieiunium fere comitetur in S. Litteris, adscripsisse

Videamus de aliis quibusdam fidei articulis. In libro II. p. 89. antiquitatem versionis nostrae inde probavimus, quod duo tantum in illa munera ecclesiastica appareant presbyteri et diaconi. Inter viros omnes veritatis amantes satis constat, in epp. Paulinis episcopi munus non differre a munere presbyteri, quod clarissime demonstratur etiam ex vers. nostra, in qua vox utraque eodem verbo ܩܫܝܫܐ redditur. Hoc autem Syri testimonio refelluntur etiam ii, qui nescio quid sibi persuadentes a Ioanne episcopatum institutum esse dicant. Certissimum est, tempore interpretis Syri in ecclesia nullam fuisse Episcopi praerogativam. Apostoli omnino non dederunt constitutiones; qui verbo fidem praestabant, eos congregarunt, plane ut consuetudo illorum temporum ferebat, quare Iacobus Iudaeorum more *συναγωγήν*, Paulus Graecorum more *ἐκκλησίαν* vocat coetum eorum, qui Christo nomen dederant, ad audiendum verbum die dominica conveniebant et fractione panis in unum vitae spiritualis corpus coalescebant. Syrus ecclesiam dicit ܥܕܬܐ (עדה) congregationem, coetum, conventum, in quo alii munere presbyterorum, alii diaconorum (ministrantium) fungebantur. Petrus et Ioannes ex Iudaeorum consuetudine etiam se ipsos presbyteros dicunt, Paulus episcopi nomine uti maluit [1]). Vocem *ἐπισκοποῦντες* I. Petr. V, 2. Syrus explicat: ܘܣܥܘܪܘ ܕܪܥܝܘܬܐ, ita ut presbyteri officium sit, visitare, curam gerere, operari, invisere modo spirituali. Memorabilis est etiam locus Pauli I. Cor. V, 1. Ibi Paulus scribit: *κέκρικα ὡς παρὼν . . συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος . . . παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον* etc. Paulus hoc loco actionem ecclesiae, cui mente adfuerit, describit talem, in qua congregata ecclesia et apostolo peccator traditus sit Satanae. Patet, Apostolum non sua sola auctoritate id facere voluisse, quum scribat *συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος*. Syrus ipsum Infinitivum *παραδοῦναι* diserte ad ecclesiam trahit; iudicavi, ut . . .

---

videtur studiosus aliquis vel etiam librarius. — *ἐν ἐγκρατείᾳ* v. 6. addit Chrysostomus. Vide Tertul. de Monog. c. 11, ad Ux. 1, 3, Exhort. ad cast. c. 4. Ad caput universum cf. Hieron. adv. Iovin. — Locum Pauli alterum „femina salva erit *διὰ τεκνογονίας*" a Syro corruptum esse, supra diximus.

1) Paulus I. Cor. XI, 16. in Plurali scribit *αἱ ἐκκλησίαι τοῦ θεοῦ*. Versiones fere omnes Syr. Lat. Arab. Aethiop. Singularem exhibent.

congregemini vos omnes et ego vobiscum spiritu : et t r a d a t i s hunc Satanae. Ergo non penes episcopum sed penes ecclesiam cum episcopo coniunctam erat illo tempore ius excommunicationis. Diem sabbatorum primam utpote diem Domini celebratam esse, probatur ex I. Cor. XI, 20. Ad archaeologiam ecclesiasticam spectat illud quoque, quod Hebr. VI, 4. verbum ἅπαξ φωτισθέντες a Syro vertitur: qui semel ad baptismum descenderunt, unde apparet primum recens baptizatos dictos esse φωτισθέντας, deinde in balneum descendisse, qui baptizabantur. Quod autem infantes baptizari solebant in ecclesia antiqua, innui puto I. Cor. VII, 14., ubi Syrus: alioquin filii eorum polluti essent, nunc autem puri sunt; quod enim ἅγια reddit per vocem ܕܟܝܢ, in eo ad baptismum respexisse videtur. De eucharistia, de precibus etc. conferendus est locus Act. II, 47. Et illud moneo, quod baptizari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν vertitur a Syro: loco pro mortuis, quam explicationem veram habeo. Petri doctrina de baptismo I. Petr. III, 21. minime satis intellecta est ab interprete Syro; patet autem ex verbis eius „cum confitemini Deum in conscientia pura“ Dei confessionem factam esse in baptismo. In coena sacra vestigia consecrationis reperisse mihi videor. I. Cor. X, 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν S. ܟܣܐ ܗܘ ܕܬܘܕܝܬܐ ܕܡܒܪܟܝܢܢ poculum hoc gratiarum actionis, cui benedicimus. Idem verbum adhibetur C. XI, 24. de pane, ubi in Graeco legitur εὐχαριστήσας ἔκλασε, in versione Syr. autem ܘܒܪܟ ܘܩܨܐ et benedixit et fregit. Ceterum ex verbis Syriacis tum in Evangeliis tum in ep. ad Cor. facile cognoscitur, quod coenae sacrae ritus et institutio ad Iudaeorum ritus et V. T. coenam paschalem conformata sunt. I. Cor. XI, 20. verba οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν miro modo vertuntur: non sicut iustum est dici Domini nostri, editis et bibitis. Diem igitur dominicam dici consuetum erat, non autem coenam Domini. V. 27. ἐσθίειν ἀναξίως Syrus male vertit: qui biberit ex poculo et non est dignus eo[2]). —

---

1) Ex ep. ad Cor. interpres Syrus explicat locum ep. ad Hebr. X, 20. τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος, ad quae explicanda utitur verbis ex II. Cor. XI, 29. qui non distinguit sanguinem Domini; videtur igitur de coenae sacrae usu indigno cogitasse.

2) De laudibus Mariae apud Nestorianos decantatis cf. versus aliquot a Tuchio prolatos (comment. de Lips. Cod. pag. 8.). — Petrum

Mariae virginis veneratio quaedam conspicitur in falsa versione vocis κεχαριτωμένη Luc. I, 21. Angelus Mariam salutat utpote cui Deus se gratum et benignum praestiterit, sed Syrus vertit ܡܠܝܬ ܛܝܒܘܬܗ; quae igitur verba de Christo adhibuit Ioannes c. I, 14. πλήρης χάριτος, eadem de Maria interpres Syrus. Vulg. (quasi ex Syro sumsisset) gratia plena; vers. Hieros. ܪܚܡܬܐ, Philox. ܪܚܝܡܬܐ (Hebr. רחמה). Etiam Petri ni fallor praerogativa quaedam innuitur Matth. X, 2. ܩܕܡܝܗܘܢ ܫܡܥܘܢ. — Quae apud ecclesiae primaevae doctores sententia legitur de descensu Christi ad inferos, eadem conspicitur in loci vexatissimi versione I. Petr. III, 19., ubi verba ἐν φυλακῇ Syrus de inferis explicat: praedicavit animabus illis, quae detinebantur ܒܫܝܘܠ (Trem. et Boder. in sepulcro); quare in sequentibus pro ποτὲ scribere debuit ܕܡܢ ܩܕܝܡ, quae a n t e a non obediverant. Versionem falsam et perniciosam habeo; patet autem, veteres ex hoc loco de descensu ad inferos docuisse. Denique ne locum de rebus novissimis plane intactum relinquamus, Syrum interpretem Apostolicam doctrinam de resurrectione carnis probasse, ut ex aliis locis multis, ita demonstrari potest ex loco Paulino II. Cor. V, 10.: τοὺς γὰρ πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν .... quae Syrus vertit: ut reportet unusquisque in corpore suo id quod fecit sive bonum sive malum.

Apostolum in hymno celebrat Ephraemus: O te beatum, qui factus es et caput et lingua in corpore fratrum. Item in cod. aliquo Barberino inter N. et V. T. est pictura interserta, Christus inter Mosen et Petrum, ubi Simeon dictus caput Apostolorum. Ephraemus in orat. in App. Opp. Gr. Tom. I. p. 458. „Lucerna Christus, candelabrum est Petrus, oleum autem subministratio S. Spiritus.“ Cf. eiusdem orationes ad Mariam Deiparam. In Ep. Cosmae presb. ad Simeonem Stylitam nominatur Simon Petrus: fundamentum ecclesiae Christi.

Addenda.

Lib. I, cap. I. Ad nomen Aram. Bar-Hebraeus in Gramm. metr. in Prooemio se scripturum esse ait ܠܐ ܠܡܫܡܫܘ ܐܪܡܝܬܐ ܒܡܫܘܚܬܐ ܐܪܡܝܬܐ ܕܗܝ ܗܝ ܡܡܠܠܐ ܣܘܪܝܝܐ, ubi quae lingua Aramaea, eadem Syriaca. Idem dialectos discernens Edessenam vocat Aramaeam κατ᾽ ἐξοχήν. Mesopotamia apud Armenios quoque dicitur Aram. Neum. Arm. Lit. p. 11. In Iacobi Edesseni scholiis ad Genesin (Ephr. Opp. Syr. I. p. 155) haec leguntur: Et venerunt in hac partitione filiis Semi: ܐܬܐ ܕܠܒܢܝ ܘܐܬܝܗܒ ܠܒܢܝ ܘܦܘܪܫ ܢܛܪܐ ܘܦܘܢܝܐ ܒܠܒܗ ܘܕܠܒܗ ܐܬܪܐ ܕܡܕܢܚܐ ܥܠ ܦܪܬ ܠܠܒܢܢ ܒܢܘܗܝ ܕܐܪܡ ܠܒܢܘܗܝ ܥܘܨ ܘܚܘܠ. Terram igitur inter Euphratem et Libanum filiis Aram, Uz et Chul contigisse docet Iacobus. — Ad nomen Meschech moneo, Caesaream Cappadociae ab Armeniis dici Maschak (Neum. l. c. p. 14) quod nomen accepisse fertur a viro quodam eiusdem nominis, qui bis mille annis a. Chr. vixerit. — Aram Zoba in libro Iudith redire videtur sub nomine Syriae Sobal (c. III, 1. 11.) ubi distinguitur a Syria propria et Mesopotamia et tractum illum significare videtur, in qua urbs Aleppo sita est. Chaleb in Abulfedae Syria dicitur الشهب: haec est urbs as Schohba (?), quae antiquis temporibus fuit ex oppidis amplissimi territorii. — Syros eosdem esse quos Assyrios, probatur inde quoque, quod apud Armenios Syri dicuntur Assyrii. Nomen Syriae ad Regem aliquem refertur in scholio Cod. Iac. Usserii ad Gen. XXIV, 30. (Hottinger. Diss. III. Thes. XLVII.): „Aramaeus Syrus est; Syria de nomine ܣܘܪܘܣ appellata est, qui interfecit fratrem suum et regnavit in Mesopotamia et vocata est omnis terra pos-

sessionis eius Syria. Antea vocabantur Aramaei et quum demum regnaret eis Syrus, tum Syri dicti sunt.“ Nescio de quo agatur; vix tamen de alio nisi de Seleucida quodam intelligendum. — Syria quid sit scriptoribus Arabum et Nestorianorum vid. Assem. IV. p. 782.

Ad pag. 23. not. 2. Alexandri cognomen „Corniger“ facilius inde explicatur, quia cornibus Iovis Ammonii se ornaverat.

Ad pag. 39. In lingua Armenica idem observatur, adhibitas esse postea particulas, ubi antiquitus vocabula flecti solebant. Neum. l. c. p. 11. — De dialectorum linguae Syriacae reliquiis scripsit F. Larsow (Progr. Gymn. Berolin. „zum grauen Kloster.“ 1841.).

Lib. II. c. III. Epiphanius versionem Syriacam Ev. Ioannis et Actorum monet, sed nescio quam. — Theodorus Mopsuestenus in V. T. textum Graecum ubique secutus est, neque τοῦ Σύρου neque τοῦ Ἑβραίου ratione habita. Sed frater eius Polychronius, cuius commentarios in Danielem edidit Maii (nova coll. Patrum tom. I.) saepenumero exemplari Syro utitur, notata simul varietate versionum Graecarum Symm. etc. Cf. Maii tom. I. p. XXXII et lectiones Syri in commentario allatas tom. I. p. 108. 113. 140. 152. 170. — Citationes ex N. T. multas in Ephraemi commentariis obvias vid. apud I. D. Michaelem in Introd.

Ad pag. 72. Interpretis munus ecclesiis Syriae et Palaestinae commune fuisse Eusebius diserte tradit. Cf. Assem. I. pag. 475.

Ad Excursum. Facit ad coniecturam nostram de Abgaro probandam etiam illud, quod Helena apud Eusebium in lib. II. capitis XII. inscriptione dicitur „Osroenorum regina“, licet in capitis fine ex monumento Helenae Hierosolymitano notetur, Adiabenorum reginam eam fuisse. Ergo quae Adiabenorum regina erat, habebatur regina Osroenorum. Orosius Helenam Christianam facit. Abgarus ipse dicitur ab Eusebio (I, 13.) τῶν ὑπὲρ Εὐφράτην ἐθνῶν ἐπισημότατα δυναστεύων fuisse, quae verba quadrant in regem Adiabenorum non minus quam Osroenorum. Inter reges Edessenos, Adiabenos et Parthicos multa reperio indicia familiaritatis et foederis. In vita Thaddaei et Maris traditur Phraates Phraatis Edesseni filius (Pacori?) illo tempore Parthis imperasse. Hyrcanus Iudaeus, quem Pacorus Parthus, Barzapharnes et Pacorus Edessenus captivum fecerant,

detinebatur ab Arsamo Adiabeno. Plane cadere videtur in Izatis Adiabeni filium, quod Abgarus, Izatis fil. Edessae Mausoleum sibi aedificavit a. 89. sec. Chron. Edess. Edessae de regni successione illis temporibus tumultus et seditiones multas fuisse ex eodem Chronico clarissime patet. Secundum Armeniorum historiam Eruandus II. a Chr. 75. Romanis Edessam et Mesopotamiam concessit. Illo tempore tradunt Romanos a Sinope Pontica, quae urbs hucusque aerarium et archivarium fuisset, Edessam bibliothecam et vectigalia transtulisse eique loco toparcham praeposuisse. Toparchas mansisse ad Caracallae usque tempora. Quod si verum est, videntur Romani a. circiter 80. Abgarum, Izatis filium, toparcham et regulum Edessenum constituisse. Izatem aliquot filios Romam misisse, ex Iosepho cognitum. Mansit regnum apud Izatis posteros, qui contra Parthos regnum occupantes et Edessenos ipsos tumultuantes auxilium Romanorum saepius implorare coacti sunt. Ut Romani a Sinope ita Izatis filius Nisibi bibliothecam et aerarium Edessam transtulit.

Ad geographiam Mesopotamiae. Izati a patre regionem eam commissam esse, in qua Israelitae exsules habitabant, certissimum mihi videtur. Ad urbem Beth-Zabde (Gezira) praecipue attendendum est. In illa plurimi Iudaei habitabant, in eadem plurimi a primo inde tempore Christiani, in eiusdem regione plurima monasteria exstructa sunt. Monasterium Arcae inde distare dicitur milliaria quattuor. Fluvius Cabur eidem oppido proximus; legitur enim in Chronico Dionysii (Assem. II. p. 111.): a. 1067 accidit terrae motus in regione Gezirae et tria Chaburae adiacentia oppida corruerunt. De hac urbe cf. Ainsworth, Travels p. 148. et Buckingham, Reise durch Mesopotamien p. 320. De fluviis, qui ex Curdorum montibus in Tigrim immittunt, vide Ainsworth Travels p. 167 not. 1. Beth-Zabde (Djezire ibn Omar) apud geographos Arabes describitur tanquam urbs non magni ambitus (Schultens, ind. geogr.): secundum Buckinghamium fabulantur Arabes, antiquitus tot aedes Turcicas huic urbi fuisse quot dies in anno numerantur. Traditionem de arca ab Iudaeis originem duxisse puto, qui etiam nomina Erech, Zoba etc. oppidis Mesopotamiae adaptarunt. Montes Gordyaei (in quibus Monasterium Arcae) apud Arabes sunt Dschebel Dschudi „mons imminens insulae fil. Əmar (Beth-Zabde) ad latus orientale Tigris, super quo consedit arca Noae.“ Legitur locus ex

Lexicographo Arabe apud Schultensium (s. v. Curdi), qui de Iosephi lectione (*Καιρῶν*) vix dubitationem relinquit. „Kardy et Bazydi sunt duo vici montis Dschudi in Mesopotamia prope vicum ثمانين (זמנין *καιροί*) ubi arca Noae resedit.“ — De Kurdorum nomine ambigitur, num et ipsum a Gordyaeis s. Chaldaeis aut aliunde repetendum sit. Renellus putat Kurdorum regionem esse i. q. קִיר Script. Sacrae. — Geographia Mesopotamiae ex scriptoribus Syrorum et Arabum componenda adhuc desideratur. De Edessa, Nisibi aliisque urbibus cf. Schultensii Indicem geographicum et peregrinatores recentiores. In tabula geographica urbes tantummodo nobiliores notavi; etenim de situ locorum plurimorum, quorum in Assemani Bibliotheca mentio fit, non satis compertum est.

Lib. III. p. 126. not. 1. Abulfeda quoque tradit (Schultens, Ind. geogr.), Edessae Christianos trecenta amplius habuisse monasteria. Edessa saec. IV. sqq. urbs amplissima erat et opulentissima.

Ad pag. 130. Mar Abas (qui Nisibenae scholae postea rector) Alexandriae cum Ioanne Grammatico conversatus est. Assem. II. p. 411.

Ad pag. 142. Cum Evangeliorum epigraphis apud Syros usitatis aliquo modo convenit fragmentum e cod. M. S. Taurinensi depromtum (Hippolyti Opp. ed. Fabricius II. p. 50.): „Scire iuvat quod S. Matthaei Evang. scriptum est in Palaestina Hebraice VIII. post assensionem anno; Marci Ev. Latine scriptum Romae a. XII; Lucae Ev. Graece in magna Alexandria XV; Ev. Ioa. Graece in Patmo ins. XXXII.“

Ad pag. 161. De vocalium punctatione in Codicibus Mss. cf. etiam Tuchium, comment. de Lips. Cod. Pentat. Syri M. S. part. I. Lips. 1849. Ex. III, 14. si in codice ita scriptum est, ut reperitur in commentatione p. 4. ܐܗܝܐ ܐܫܪ ܐܗܝܐ discrimen statuendum videtur inter formas ܗ̇ܝ et ܗ̈ܝ. Ceterum non video, cur Tuchius vocales has pronuntiatas velit vocali o, quas omnes legunt per a. Cod. Lips. si Nestorianorum fuit, non interdum solum (p. 15.) sed in universum voc. Zekofo per a. legenda est. — Nestorianos ū et ī scripsisse ܘ̣ et ܝ̣ (puncto uno subscripto) probatur etiam ex specimine scripturae, quod Adlerus praebet (de verss. p. 36.), ex. c. ܡܕܝܢܘܬܐ.

Ad pag. 176. Ex Bar-Hebraeo docuimus, punctorum omnium radices esse accentus distinctivos maiores habendos. Ni fallor idem valet de punctatione Hebraeorum. Nam ראשי הפסוקים (vid. p. 174.) significare puto versuum segmenta maiora. Etenim ut ראשים dicitur in Genesi de quattuor fluminum initiis (ἀρχαί), ut idem de exercitus agminibus et apud Iudaeos de libri partibus adhibetur, ita ראשי הפ׳ esse puto initia, quae per accentus maiores fiunt mediis in versibus, versuum segmenta, capitula, principia, quare accentus maiores dicuntur reges et duces earum sectionum, in quas versus distributi sunt. Legitur autem in Talmude Tr. Sopherim c. 3. „liber Legis, in quo incisum est (שפסקו) et in quo membra incisorum punctata sunt (שנוקדה ראשי פסוקים) ne legas in eo.“ Unde probatur sententia nostra: punctationis initia facta esse apud Hebraeos eadem quae apud Syros, ut versuum subdivisiones praeponderantes sive capitula punctata sint per accentus maiores. — Iudaeorum scholas quod attinet, memoro a Bar-Hebraeo ad a. circiter DCCC. dissidium tradi inter Iudaeos Babylonios et Tiberiadenses. —

Ad pag. 189. Evangeliarium Barberinum (Adler p. 66.) exhibet indicem omnium pericoparum ex vers. Charklensi. Apud eundem vide p. 74. Missale Syriacum iuxta ritum Iacobitarum s. lectiones apostolicas et evangelicas ex vers. Heracleensi.

Ad pag. 189. not. 2. Storrii librum diu frustra quaesitum his novissimis diebus nactus sum. Memorabilia quaedam continet de vers. Philoxeniana, de vers. Simpl. admodum pauca. Excerpta ex Ephraemo diligenter sunt collecta. Afferuntur lectiones variantes Cod. cuiusdam Parisini ad Matth. capp. XIV. Codex ille Arabica versione instructus Iacobitarum vel Maronitarum fuit et ut alii Iacobitarum Codd. ad textum Graecum in rebus multis propius accedit. Utrum autem ad textum Gr. ipsum an ad vers. Philox. castigatus sit, dubium. Idem de Cod. Coloniensi dicendum, de quo iudicium p. 220. latum suspendo; nam ad Vulgatam illum conformatum esse, ex duobus tribusve locis vix probatur. Optandum est, ut cod. Coloniensis (nunc Leidensis) indoles et origo accuratius investigetur. — Memoratu dignum, quod in Cod. illo Parisino (apud Montefalconium in Bibl. Bibl. penultimo) in verbis Arabicis litterae Eliph, Ie et Vaw vocalium locum obtinent.

Ad pag. 199. Inter Codices Richianos recensetur sub num. 39.: The Correct Reading and Pronunciation of Proper Nomes and Difficult Words occurring in the Syriac Translations of the Old and New Testament and of other works by (?) Iacob of Edissa, written A. D. 1035. Rich, Narrat. II, p. 309. Inter eosdem Codd. sunt plures versionis Philoxenianae.

Ad pag. 203. Ad vocis ܒܓܠܐ pronuntiationem variam cf. Tuchium in comment. laud.

Lib. IV. ad pag. 239. De urbis nomine Acco cf. Bernhardy, Analecta in Geographos Graecorum minores pag. 12, ubi ex indice urbium transscribuntur: *Ἄκη, πόλις ἐν Φοινίκῃ, ἣ νῦν Πτολεμαΐς. οἱ δέ φασιν ἰδίως τὴν ἀκρόπολιν Πτολεμαΐδος Ἄκην καλεῖσθαι.* Ibidem aliae Syriae urbes recensentur *Γερμανίκεια ἡ νῦν Ταλείταβα. Βέῤῥοια τὸ νῦν Χάλεπ καὶ πόλις Μακεδονική* etc.

Corri

Pag. 14 lin. 9 pro victoris lege vic

= 26 = 10 = vinciuitate lege

= — = 20 = mixo-barbaros

= 39 not. 1 = רעשׁ lege רגשׁ;
gregavit.

= 54 lin. 8 = pars quaedam
Syriae superioris

= 68 not. 2 (et saepius) pro Lae

= 80 lin. 7 pro Theoretus lege

= 102 = 3 (a fine) et saepius p

= 105 = 4 pro Chronico Edesse

= 124 = 3 (a fine) pro pag. 917

= 128 not. 2 pro Beth-Arsamenis

= 143 = 1 lin. 2 pro Bisconio l

= 145 lin. 13 lege Rich, Narrat.
p. 306. sq.

= 158 = 6 (a fine) pro subilitate

= 237 not. 2 pro ܣܘܣܛܝܢ̈ܐ lege

ܣܩܛܪ̈ܐ lege ܐ̈ܪ

= 318 = 1. pro *στρατιῶται* lege

Cetera, quae insunt, he

Halis, typis O

rrigenda.


s lege victricis.
tate lege coloniae.
barbaros lege semibarbaros.
ege רגשׁ; item pro consensit: sensit, Pa. con-
it.
quaedam Commagenes, lege, pars quaedam
superioris, Commagene
) pro Laengerke lege Lengerke.
etus lege Theodoretus.
saepius pro Avagaïr lege Avagair.
co Edesseno lege Chronico Dionysii.
pag. 917 lege pag. 927.
rsamenis lege Beth-Arsamensis.
Bisconio lege Biscionio.
Narrat. vol. II. p. 76. App. III. Syriac Mscr.
sq.
subilitate lege subtilitate.
ܘܣ lege ܐܣܛܪܛܝܘܛܐ, in ead. not. p. 238. pro
lege ܐܣܛܪܛ.
ῖται lege στρατιῶται.
sunt, benevolus corrigat Lector.


typis Orphanotrophei.

TABULA CHRONO


Romani.	*Reges Edesseni.*	*Armenia*
(Antiochus Sidetes.)	I. Osroes (131). Sequuntur reges ex Parthorum gente.	Valarsaces Arsaci cui familiaris Iudaeus.
———	———	———
Lucullus. Pompeius. Crassus.	IX. Maanus Divus, qui Crassum seduxit.	Tigranes Magnus (Arabes in Meso ducit, Nisibi statuit, mores inducit.
Antonius.	X. Pacorus, qui in Syriam invasionem fecit, Hyrcanum abduxit.	
Augustus.		
Tiberius. Caligula. Claudius.	XV. Abgarus Uchama (8—45). Meherdatem Edessae excepit.	Bella cum Romanis
	———	
Nero.		Tiridates a Nerone accipit.
Domitianus. Nerva.	XIX. Abgarus, Izatis filius (85—92). Mausoleum Edessenum aedificat.	
Traianus.	XX. Parnataspates, Parthis postea rex impositus a Traiano.	
	XXII. Maanus, Izatis filius (98—114). Traianum excepit.	
Hadrianus.	XXIII. Maanus, Izatis nepos (114—137), eiectus e regno	
Antoninus Pius.	ab Antonino Pio restitutus est (139—151).	
M. Aurelius.	XXVI. Abgarus, Izatis pronepos (152—157), cui familiaris Bardesanes.	
Septimius Severus. Caracalla.	XXIX. Abgarus postremus (200—217), vir sanctus ab Eusebio dictus.	

Armenia.	Adiabene.	Parthi.
Valarsaces Arsacida (150), cui familiaris Bagaratus Iudaeus.	(Armenia inferior.)	
Tigranes Magnus (95—38). Arabes in Mesopotamiam ducit, Nisibi aerarium statuit, mores Graecos inducit.		
Bella cum Romanis continua.	Arsamus s. Monobazus, (Tigranis frater?) qui de dimisso Hyrcano succenset Enano.	
		Artabanus (15—43).
	Izates, Monobazi ex Helena filius (40—60).	Gotarzes (43—50).
Tiridates a Nerone coronam accipit.		Vardanes (51—52). Vologeses (52—90).
	Monobazus, Izatis frater.	
		Traianus Seleuciam expugnat.
	Bebarsapis sub Traiano.	
		Seleucia expugnata a Lucio.
	Abgarus sub Sept. Severo.	Sept. Severus Adiabenicus, Parthicus.



53
54
55
56
57
58
39
38
37
36
35
34
33
Melitene
Euphrates
Amida (Diarbekir)
Samosata
Edessa (Orfa)
Mardin
Zeugma
Apamia
Birtha
Europus
Daisan
Carrhae
Sarug
Anthemusias
Resaina
Cyrrhus
Hierapolis (Mabug)
ANTIOCHIA
Aleppo (Beroea)
Gephyra
Belicha
Nicephorium
MARE MAGNUM
Orontes
Apamia
Hamath (Epiphania)
Teleda
(Hems) Emesa
Libanon
Antilibanon
Tadmor (Palmyra)
Beirut
Sidon
Tyrus
Hermon
Damascus
Akko
Tiberias
SYRIA
Milliaria
1 2 3 4 5
10
15
20



Tabula
YRIAE.
Milliaria Geographica
L. Van
Van
Euphrates
Tigris
Tigranocerta
Amida (Diarbekir)
Tur Abdin
Mardin
Dara
Nisibis
Resaina
Mygdonius
Singar
Beth-Zabde
Bardi Montes
Djulamerik
El Kosch
Amadia
Mon. Matthaei
Mosul
Ninus
Arbela
Sabatus maior
Sabatus minor
Ecbatana versus
Taurisium versus
Corcyra
Hatra
Chaboras
Circesium
M. Hamrin
Takrit
BAGDAD
Ctesiphon
Seleucia (Coche)
Naarda
BABYLON
Urumia
L. Urmia



Tabula
SYRIAE
Milliaria Geographica
MARE MAGNUM
Melitene
Euphrates
Euphrates minor
Samosata
Amida (Diarbekir)
Monast. Ananiae
Mardin
Dara
Edessa
(Orfa)
Daisan
Carrhae
Sarug
Anthemusias
Stationes Parthicae
Belicha
Nicephorium
Besaina
Chaboras
Circesium
Urema
Zeugma
Apamia
Birtha
Europus
Cyrrhus
Hierapolis
(Mabug)
Aleppo (Beroea)
ANTIOCHIA
Gephyra
Orontes
Apamia
Hamath (Epiphania)
Teleda
(Hems) Emesa
Tadmor
Libanon
Antilibanon
Hermon
Damascus
Beirut
Sidon
Tyrus
Akko
Tiberias


58
59
60
61
62
63
39
38
37
36
35
34
33
L. Van
Van
Tigranocerta
Tigris
Tur Abdin
Monast. Ananiae
Mardin
Dara
Nisibis
Mygdonius
Singara
Beth-Zabde
Kurdi Montes
Djulamerik
Amadia
Mon. Matthaei
Mosul
Ninus
Arbela
Ecbatana versus
Hatra
Tigris
Sabatus maior
Sabatus minor
M. Hamrin
Urumia
Taurisium versus
Chaboras
Mons Singara
Euphrates
Tekrit
BAGDAD
Ctesiphon
(al Medain)
Seleucia (Coche)
Naarda
BABYLON
RIAE.
Geographica
20
30

28260
Wichelhaus
Novi Testamenti
versione . . .

Bindery

Bindery